RERUM
IN ORBE
GESTARUM
post obitum
GUSTAVI ADOLPHI
usque ad Nativitatem
GUILIELMI ARAUSIONENSIS III.

COMMENTARIUS.

Exhibens Historiæ civilis

TOMUM III.

Cum indice rerum memorabilium.



FRANEQUERÆ,
Apud HENRICUM AMAMA, & ZACHARIAM TÆDAMA. 1692.

Magnifico, Amplissimo & Spectatissimo

VIRO

D. CORNELIO TERRESTEIN ab HALEWYN

AD COLLEGIUM SUPREMUM CELSORUM POTENTIUM BELGII FOEDERATI ORDINUM EX HOLLANDIA ET WESTFRISIA DELEGATO, ACADEMIÆ LUGDUNO-BATAVÆ CURATORI &c.

ULRICUS HUBER S. D.

HIc liber iterum ad Te vir Amplissime, viam adfectat, jam visus ex parte saltem majore, priusquam esset editus. Experto enim facilitatem & humanitatem tuam in mentem mihi venit hac uti libertate, cum vere novissimo agerem Hagæ Batavorum,

ut instituti mei specimen verecunde tibi offerendum tuæque subjiciendum censuræ putarem: Persuasus ita, me neminem in Fœderatis Nationibus aptiorem ad eas partes adire posse; non modo communi famâ, sed etiam usu colloquiorum edoctus, inter omnes doctrinæ partes, quæ sapientem Reipubl moderatorem ornare possunt, Te omnis Historiæ Græcæ, Romanæ, veteris & recentioris memoriam ex ipsis fontibus ita percepisse judicioque subegisse, uti semper in promptu sit, inde quæ privatis Reique publicæ ex usu sint, depromere & applicare negotiis; eo temperamento, ne cuiquam molesta sit, in tempore locove non suo doctrinæ ostentatio. Cæterum, quod retardare me debuerat, ne tam eruditis oculis hanc levidensæ opellam antea privatim exponerem, idem ut hoc publice rursus auderem, excitasse me profiteri possum. Etsi enim valetudine minus prospera, cum ad te librum mitterem, usus, summo jure; quod ipse, si scissem, petere occupassem; in aliud tempus rejicere me potuisses, ea tamen superfuit humanitas, ut & libri partem legere & horam mihi condicere judiciique tui copiam

facere

facere non ſis gravatus. Quod cum ejuſmodi eſſet, ut à propoſito me non deterreret, quid potius facerem, quam ut hoc qualecunque ſub Amplitudinis tuæ patrocinio opuſculum manumitterem? Uti quam neque ab externâ ſpecie neque ab inſcriptione nec à tractandi modo dignitatem præfert, hanc à tui ſplendore nominis mutuatam ſibi circumdaret. Etſi poſteriores tomi à primævo inſtituto Academici uſus valde ſint alienati; Inſcriptio tamen inde non abludit. Tractandi modus equidem compendiarius, ita jam pridem ab hominibus ſeverioris doctrinæ exagitatus eſt, ut inde laudem quærere, ſit vere laureolam, quod dicitur, myſtaci imponere. Sed eſt verum ſecundam & hanc partem à te Vir Ampliſſime, viſam & jam denuo oblatam minus habere compendiarii characteris, quam ut inde ſolummodo æſtimari debeat. Præſertim ſi ultimi deſcriptionem biennii, quæ ſecundum in hoc tomo librum facit, conſiderare placet. Cujus argumentum eſſe poteſt novi operis præparatorium; modo nec hujus initii nimis pœniteat, neque tempus deſiderium ad hæc nova properandi obruat, neque ſubſidia monumentorum operi tan-

to necessaria deficiant: Denique, si nec alius, quod enixe velim, melius ad hoc officium factus & instructus, qui hunc soli & seculi nostri defectum suppleat, inveniatur; Qui sic animatus sit, ut asperam Historiæ Legem, sine quâ nihil valet, nec falsi quicquam adserendi neque verum reticendi, implere velit & possit. Quod mihi pro tenuitate operis & instituti, sine præjudicio partium, fuisse propositum, ut serio profiteor, ita neminem Partium præjudicio carentem non intellecturum confido. Etsi quanto quæque recentior est historia, difficilius inter adulationem & maledicentiam esse temperamentum, res & eorum qui experti sunt exempla loquuntur. Sed hæc quidem hactenus in nostro instituto minus visa fuit difficilis cautio. Tu Vir Amplissime, hanc animi voluntatem nostri, quâ solitus es benignitate, rogo accipias, & Vive, Vale diuturno Reipubl. Patriæ & Literariæ commodo. Franek. Non. Jul. cIↄ Iↄc xcII.

Institutionum Historiæ Civilis

TOMUS III. LIB. I.

Qui est ab exitu anni 1632. *usque ad Pacem Monasteriensem* 1648.

SECTIO I.

De Rebus Germaniæ.

CAP. I.

De Statu Rerum Universo.

GUstavo Adolpho, qui *Magnus* est dictus, in cruenta apud *Lutzam Saxoniæ* pugnâ, medio victoriarum cursu, interfecto; *priusquam historiæ filum inchoatum pertexamus*, faciendum videtur, ut *quæ vires partium*, *qui motus animorum* per universam *Europam* fuerint, breviter edisseramus. Imperator à molimine subjugandi Germaniam, *Gustavi Adolphi* opera, ingenti cum fragore dejectus, eo mortuo, non credens hostes suos tanto Duce sublato, in partes resolutos sibi

esse constituros, in novas quidem spes erigebatur; sed ut vetus institutum penitus *opprimendi Protestantes & arbitrariam potestatem in Imperio stabiliendi*, à qua devicto *Danorum Rege* parum absuerat, adhuc quidem sibi nullo modo proponeret: Vires enim cùm ipsius, tum Regis *Hispaniæ*, sine quo *Monarchicum Domus Austriacæ institutum* non constabat, vehementer imminutæ, hostibus eorum numero & audendi experientiâ auctis, ejusmodi vasto consilio non respondebant. Maximè, postquam pacis consilia cum *Belgis fœderatis*, in quibus *Hispani suas* vires consumebant, in irritum cesserant; ideoque nulla inde subsidia *pro rebus Germanicis* sperari poterant. Accedebant *Catholicorum Principum* in *Imperio*, quos *Ligistas* appellabant, consilia, cum Cæsare quidem in hoc conspirantia, quo *Suecis* & *Protestantibus* obsisterent, nequaquam tamen, ut animos à metu prævalentis *Austriacorum* potentiæ averterent. Quo respectu semper illi, imprimis *Maximilianus Bavarus* eorum facile Princeps, cum Galliæ Rege taciti fœderis amicitiam studiose coluerunt; cujus fuerat scopus, *ut corpus notabile Principum Catholicorum*, quod interim *rationes suas ab Imperatore separatas haberet, unitum conservaretur*. Quando tamen *Neutralitas*, quam Galliæ Rex pro illis inter *Cæsarem* & *Suecos* elaborare conatus erat, non processerat, hi pro communi salute, cum Cæsare sub illo temperamento, conjuncti manebant.

2. Fæde-

2. Fœderati *Protestantes* morte *Gustavi Adolphi* gravissime perculsi, quominus dissilirent, metu præsentis periculi, cui nulla adhuc pace mederi possent, prohibebantur, & cum non haberent Principes potenter armatos, *à Suecorum auspiciis præsidioque* non erant alieni; *excepto Electore Saxoniæ:* qui ante hac *Protestantium Caput* habitus, nullo modo *ut externis Ducibus se submitteret*, in animum inducere poterat: atque omnimo circumspiciebat, qua ratione cum Cæsareanis, *qui continuo illum ad Pacem seorsum invitabant*, pacisci & tuto inter duas partes medius consistere posset. cujus rei tempus cum nondum adesse videret, in *Suedicâ conjunctione*, suspectus licet, manebat. In cæteris, recens *Gustavici* nominis favor, gloria rerum gestarum & libertatis inde *Germaniæ* partæ beneficium spesque vel potius necessitas eodem præsidio se tuendi prævalebant, ut, si vellent Sueci, in reliquis Protestantibus non esset mora suas opes sanguinemque communi causæ commodandi. Hæc ratio imprimis valida *Suecos*, amisso Rege tam glorioso, *herede puellâ nondum infantiam egressa*, perplexos animavit, ne fructum tot victoriarum & expensarum, derelictâ *Germania*, projicerent. Quæ res cum nec aliis egeret stimulis, incidens in homines strenuos & prudentes, *quibus Suecia tunc & Gustavi Adolphi* schola abundabat, fecit, ne, quod plerique amici & inimici augurabantur, eorum res in confusionem abirent.

3. Accessit *Gallorum & Belgarum Fœderato-*

rum ad causam Suecorum sustinendam promtitudo & liberalitas, non eodem *utrorumque respectu*; Nam Belgæ suarum rerum communisque Protestantium salutis curâ movebantur, *ne Austriaci rursus in Germania prævalerent omnisque victorum vis aliquando in Belgicam incumberet.* Præter quod in fatis erat, ut hujus parvæ Reipubl. opibus animisque, *Monarchica* prævalentium dominationum molimina imprimis subruerentur aut sufflaminarentur. Franci altiora consilia moliebantur. A *Caroli Magni* exitu negligentiâ mollitiâque Regum suorum possessionem *Monarhicæ Potestatis* suprà omnes Europæ cultioris gentes celeriter amiserant. Ad ejus Spem iidem à *Caroli VIII.* tempore revocati, *succrescente Hispanorum, cum Austriacis conjunctorum industria potentiaque* nec minus suis vitiis & motibus intestinis impediti fuere, dum ex adverso *Carolus V. & Philippus II.* strenuè ad illam magnitudinem contendebant. Sed *Hispanis* sub eo conatu fatiscentibus, *Henrico IV.* Rege, cæterorum inbelliâ Principum, *saliva Francis iterum mota* est, quæ morte repentina tanti Ducis absterfa refrixit, sub Tutela potentiâque *Mariæ de Medicis*, & bellis civilibus adversus *Reformatos*; interea dum *Austriaci* tantum non subjugatâ *Germaniâ*, longe Principe, si unita sit, Europæ natione, & *Hispani* idem in *Italiâ* agentes magnis passibus *ad prævalentem Europæ dominatum, summo reliquarum gentium, terrore grassabantur.* Enimvero *Reformati Henricum IV* à suo instituto nequa-

quaquam avertissent, nec adeo Reges sequentes, si *Reformatis justam & pactam libertatem reliquissent:* Sed cum hoc odium *Pontificiorum* & *Aulæ* non pateretur, ideoque bello opus esset, manifesta res erat, *Galliam* foris nihil magnæ rei suscipere & exequi posse, *quandiu motibus intestinis defuncta non foret.* Quibus cum Hispani, negligentiâ inexcusabili, se non interposuissent, passi sunt, Gallos in eum se redigere statum, quo cunctis soluti impedimentis in *confertissimum unius regnum*, sub absolutissimâ Regis Potestate, unius instar animalis, in vicinos, quacunque libitum esset, invehi & insilire possent: Rati id maxime sibi tempestivum evenisse, quando *Gustavus Adolphus*, cujus enormes progressus jam suspectos habebant, repentinâ morte suâ *Suecorum & Protestantium in Germania res*, *perplexas* auxiliique Gallicani indigas reliquerat. Quod in eundem temporis articulum incidit, quo *Ludovicus* Rex & *Richelius Cardinalis*, oppressis *Reformatis*, Aulam quoque suam factionibus & rerum agendarum obstaculis exoneraverant. Non erat quidem eâ consilii facultate fiduciâque *Ludovicus*, ut tantos rerum motus ad exitum procul adhuc è conspectu remotum gubernare posset. Verum *Richelius*, cui nemo calliditate, usu rerum & audaciâ comparari potuit, ita animatus erat, ut nullum majus gloriæ suæ incrementum, quam in *Regni Regiæque potentiæ incremento* situm esse crederet. Atque adeo is præterita cum præsentibus & futuris solido rectoque conferens judi-

cio, nihil ampliuscunctandum, quin *Austriacos in partibus Germaniæ* potissimum & apud *Belgicam*, invaderet, existimavit; relictâ primo quidem intuitu, *qua nunquam diu propitia fuit armis Francorum*, Hispaniâ, & in longum reservatâ, cujus portam tenebant, *Italiâ*. Atque hujus rei consilium adeò pependit à *Richelio*, ut cum post mortem *Gustavi Adolphi*, Rex Ludovicus eum aliquando in secretario suo intentè commentantem invenisset, percunctanti Regi suo, quid ageret, respondisse ferant, *Bellum in Germaniam*. Ab hoc enim tempore Galli, non ut olim, inconsultos impetus *ubi cœperant, desituros*, sed cocta & digesta consilia, causis mediisque attente comparatis, nec nisi in certos exitura progressus, sequi instituerunt.

4. Quo autem facilius invadendis Austriacis, hoc tempus arriperent, opportunitas omnium rerum incredibilis, etiam foris concurrentium, fecit. Nam præter quod *Imperatoriæ à Suecis*, Hispanicæ à *Belgis fœderatis* opes jam pridem vehementer infractæ, ipsorum vires illibatæ essent, mors ipsa *Gustavi Adolphi* præcipuum opportunitatis momentum attulit. Hoc enim subsistente, Galli nihil in summâ moturi, sed eventum speculati vires suas *utrique parti ostentassent*, ut Austriacos ne *Prævalerent*, ita Suecos, ne *Catholicam factionem opprimerent*, enixe prohibituri: Sublato *Gustavo*, spes erat, *si vestigia illorum premerent*, certò rem faciendi; *nec nulla*, summam rerum in se vertendi, vicinitate potentiâque,

ma-

maximè rei nummariæ, quâ nonnisi arcessitâ pollebant Sueci. Nec tamen ita Galli Suecis & Protestantibus se dediderunt, ut Catholicos in Germaniâ fœderatos penitus omitterent; sed in medio bellorum æstu arcanæ amicitiæ fiduciam cum illis excoluerunt. Non minus iisdem Gallis ad suum institutum momenti fuit in *Belgis fœderatis*, qui bello suo, quod gloriosa pace finire poterant, contra rem suam, odio metuque *Austriacorum* & studio *in Protestantium Causam*, continuato, *dimidiâ parte oneris Hispaniensis Gallos allevabant*; æmulationis vero nihil illis inferre poterant. Ac ideo Galli bene caverunt, *antequam se in Austriacos erumperent*, ut *Belgas* à Pacis proposito ad belli continuationem determinarent.

5. A reliquis Europæ Potestatibus ut auxilii nihil, ita nec transversarii quicquam metuebant, omnium animis à terrore dominationis Austriacæ, à cujus fastigio tam parum abfuerat, adhuc impletis, ;*nec ullo tum prævidente periculum à Gallis aliquando infestius & durabilius incubiturum.* In Italiâ Pontifex tacite, Veneti apertè inceptis favebant, Angli communem adversus Austriacos inimicitiæ causam habentes, etsi nihil ausuri, tamen illos deprimi lætabantur; & quo magis aliunde coarctarentur, eò plus *legationes* suas, in quibus, *Jacobi Regis exemplo*, adhuc desudabant, valituras credebant. Dani Suecis æmuli & morte *Gustavi* Regis læti, potentiam illorum in Gallos, si contingeret, derivari facile

passuri videbantur. Etiam Poloni, metus ab Austriacorum potentiâ minimè expertes, ne factionis & exempli contage, libertati suæ aliquando noxia foret, illam porro debilitari optabant, eumque rei fructum à Gallis, qui semper in ea gente favoris sui semina diligenter excoluerunt, potius quam à Suedis suis hostibus, percipi desiderabant. Eadem apud *Othomanos* fuit ratio, *Cæsaris* & *Hispanorum* odio viciniâque & amicitiâ cum Gallis antiquâ, perpetuis officiis cultâ.

6. Tali rerum animorumque dispositione, Franci *contra Domum Austriacam se parabant*, sociis, ministris & satellitibus cunctis, qui illam oderant & metuebant; quibus passibus & difficultatibus, *ut hæ magnis semper adsunt negotiis* & quid interim omni orbe terrarum sit actum, methodo pridem institutâ videbimus.

CAP. II.

De rebus Germaniæ, à morte Gustavi Adolphi, usque ad Pacem Pragensem, ab exitu anni 1632 ad 1635.

QUum metus communis *Suecos* & Germaniæ *Protestantes*, post obitum *Gustavi Adolphi*, adversus *Imperatorem* & *Pontificios* necessario conjunctos teneret, prima cura fuit, *Ordinem certum* ac unitum, sub nomine *Directorii*, cui reliquos socios patere oporteret, id est, *Principatum fœderis* constituendi; quâ gratiâ Conventus *Heilbronnæ* Superioris Germaniæ circulis *anno* 1633. indictus est ab *Axelio Oxenstirnio* Regni

Sue-

Suetiæ Concellario, magni viro consilii & auctoritatis, ubi decretum est, *Commune bellum opera communi prosequendum, neque desistendum, quamdiu Germaniæ libertati & Religioni, juxta Imperij constitutiones, plene cautum non foret, neque satisfactum Regno Suetiæ pro sumptibus operâque in id bellum collatis:* Administratio autem & *directio* rerum in *Oxenstirnium* conferebatur. Non participabant hoc fœdus *Saxo Elector* neque circuli *Saxoniarum*; quando ille non minus prope jam *Suecos* quam *Cæsareanos* gravabatur; ita existimans, *Religionem ex animis amicorum prævalentium non tollere ambitiosum aliis imperitandi studium.* Offerebat ei *Oxenstirnius*, ut, si *Directorio Suedico*, quod in rem communem utilius esset, submittere se nollet, ipse aliud conponeret *Directorium*, ex iis qui ad fœdus *Heilbrunnense* non pertinebant, cui præesset; aut bellum seorsim suis cum Copiis adversus hostem communem faceret. Quam viam, quia pax adhuc cum *Cæsare* tuta non videbatur, ille quidem, *languide*, nec unquam sine tractatibus inter *Arnhemium* Ducem suum & *Vallenstenium* veteres amicos, institit & sequi velle præ se tulit. Apud *Heilbrunnam* initum etiam est fœdus inter *Galliæ Regem* & *Suecos*, quo ille nondum paratus *ad erumpendum*, promittebat annua *decies centena millia* librarum francicarum, usque dum pax inita foret d. IX *April.* 1633.

. 2. Sed partium viribus omni *Germania* sparsis, bellicæ expeditiones tam multiplices interque

ſeſe implicitæ fuerunt, ut hoc quidem *capite* tripartito exponendæ videantur. In *Germania inferiori*, quæ ſit inter *Rhenum*, *Albim & Mænum*, In Superiori, quam ponimus inter *Mænum & Helvetiam*; & in Orientali, quæ ſit inter *Albim Poloniamque & Hungariam*. In Germania inferiore *Svecorum* res curabant, juxta Principes, quorum præcipuus Dux *Luneburgicus*, *Dodo Kniphuſius*, qui junctis viribus *Hameliam* à Cæſareanis inſeſſam obſidebant. Ad quam liberandam *Moguntinus & Colonienſis* Electores aliique *Ligiſtæ & Cæſareani* exercitum ſub *Merodio* Comite belli ſtrenuo Duce *Gronsfeldioque & Bunninghauſio* collegerant; ut hoſtibus facile pares prælioque parati incederent. Concurſum eſt apud *Allendorpium* pagum, haud procul *Hamelia*. Sed exitus fuit memorabilis pro Svecis: Vix amplius *ducentis ſuorum amiſſis*, *quinque millia hoſtium ipſo cum Duce Merodio multiſque minoribus è præfectis occiderunt*, *captis* majoribus tormentis, cum *ſignis militaribus omnique bellico inſtrumento & reliquis plenæ victoriæ* appendicibus, etiam *Hamelia* & *Oſnabruga* civitatibus, *ſub finem anni* 1633. At ſequenti anno fortuna *Catholicorum* ſe rurſus in his partibus excitavit, ductu *Gotofridi* Comitis *Gelehnii*, qui contractis & auctis Partium Copiis, cum *decem millium exercitu* Proteſtantibus ſuperior *Hoxteram* ad *Viſurgim* oppidum vi cepit, cæſis inibi Svecorum *quadringentis*, & Dein *Melandrum* Haſſiacum Ducem non ſine jactura notabili,

bili, *apud eundem Visurgim* fluvium egit in fugam; *Hammonam* deinde, *Lunam* aliaque minoris momenti loca redegit in potestatem; Quas tamen brevi postea *Georgius* Dux *Luneburgicus*, cum Hassis, aliquot jam millibus *Gelehnio* superior, recuperavit. Ipsum verò ad prælium elicere vel compellere non potuit, ad mœnia usque *Monasterii* urbis eum gratis insequutus; ejusdem quoque deditionem civitatis frustra molitus; Cum & hostes à mœnibus pabuli commeatusque inopia in campos depellere conatus fuisset, eventus contra fuit: Nam ipse prior inopiam passus & regredi coactus à *Gelehnianis*, ut fit in recessibus, aliquid damni, pluribus cæsis ac interceptis, accepit. Hæc fere sunt acta in hac inferiori parte Germaniæ *anno* 1634. quam mox sequuta pax *Pragensis*, de quâ *inferius*, initio *anni* 1635.

3. Transeamus ad partem *Germaniæ* Orientalem à nobis designatam. Agebat in illa *Wallensteinius à* Cæsare maxima & pene summa cum Potestate *belli & Pacis arbiter constitutus*, qui post *Lutzensem* pugnam, cum erecto *Pragæ* ferali theatro supplicium de his *qui in Prælio rem male gesserant*, antiquo rigore sumsisset, sequentem fere omnem æstatem occultis cum *Arnhemio* aliisque adversariorum Ducibus, quasi de pace, Consiliis absumsit; minus minusque Imperatori, *cui jam gravis erat Potestas ipsi concessa*, dicto audiens & suspectus occultis illis tractatibus, de quibus cum Imperiali Consilio parum aut nihil

com-

municabat. Autumno jam tamen adulto *anni* 1633. belli facinus se non indignum edidit. Simulata quippe in *Saxoniam*, quasi *post irritos tractatus*, expeditione, causam dedit *Arnhemio* majorem exercitus partem illuc ducendi, relictis in *Silesia* cum sufficientibus ad defensionem copiis *Comite Turriano Tubaldioque*: *Wallensteinius* impetu in hos subito facto, circumventos apud *Stenovium* omnes ad deditionem coëgit, gregariis sacramento suo addictis, Ductoribus fere dimissis. Cujus victoriæ fructus fuit *Gorlitzii & Colbergæ* per vim facta expugnatio, cum deditione *Lignitzii*, *Glogoviæ*, *Landsbergæ*, *Francofurti* aliorumque ad *Oderam* locorum; nec dubius *Silesiæ omnis & Lusatiæ* Dominus, jam *Pomeraniæ* & *Megapolitano* suo imminebat; nisi per motus ad *Danubium* majores, & *ad secretum*, *quod suis Consiliis quærebat*, in *Bohemiam* retractus fuisset. Quæ causa fuerit ipsi novorum consiliorum, inter obscura ac incerta etiamnum habetur, *nullis adversus eum probationibus*, *sed meris Præsumptionibus*, antequam præceps datus est, *productis*. Cæsar extrema rerum suarum necessitate *post Lipsiacam cladem* invidendis eum conditionibus ad Imperium in exercitus suos accipiendum novosque conscribendos incitaverat, ægrè ob injuriam prioris Exauctorationis adsentientem. Nomen ejus apud milites liberalitatis & fortitudinis causa mirifice gratum erat; Ipse vero vetus Imperiorum, pecuniis abundabat. Ita non erat difficile impetrare quod stipulatus est, *Imperium militiæ*

non

non modo independens, sub fide Imperatori debita, Sed etiam *pacis incundæ potestatem*, nihilque negatum fuerat: Nec dubium, quin solus ipse rem Cæsaream restituerit. Quod etiam deinde cum *Arnhemio* clam tractaverat, certum est *potestatem ei datam non excessisse*; contra rem Cæsaris an fuerit, necdum liquet. Cessante vero metu *Imperatoris* post mortem *Gustavi* Regis, subiit animos aulicorum immodica potestas *Wallensteinio* concessa, & invidia, quam ille non *lenire modestiâ, sed arrogantia secretoque tractatuum*, ut erat ingenium, *auxit & exasperavit*. Unde favor ejus in Aula mutatus in odium, quod ipsum latere non potuit, nec etiam mos Austriacæ Domus, quæ nunquam, cum alibi, tum maxime *in Hungaria*, eximiis ministris, quorum merita multum antevenerant, sibi non per omnia obsequentibus odium & cædem reddere cunctari visa est. Noverat etiam hoc agi, ut *Ferdinandus Hungariæ Rex* Cæsaris filius, summo cum imperio sibi substitueretur. Unicum adversus pericula remedium fuisset *Abdicatio* enormis imperii spontanea; Sed hoc à sese impetrare non potuit *animus ferox & superbus*; Quin veterem potius exauctorationis injuriam novâ propulsandâ ulcisci in animum induxit. In militaribus Imperiis, *quale vetus Romanum fuit*, hujusmodi Consilia facilius procedunt; In nostris, ubi regnatricum veneratio domuum, non minus militum quam populorum animos insedit, fere in irritum & in exitium cedunt. Postulanti *Cæsari*, ut

ut extra hereditarias ditiones hiberna ſumeret, ut partem exercitus contra *Vinarienſem*, equitatus partem *Ferdinando Infanti Hiſpanico* ex Italia venienti obviam mitteret, obſequi noluerat, arbitratus, hæc eſſe commenta ſe copiis exuendi & opprimendi. Quare per *Illôum*, *Terſchium*, *Nijemannum* aliosque amicos formulam *Adſociationis* concipi curavit, qua Ductores exercitus inter ſe devinciebantur ad protectionem *Wallenſteinii*, prohibendumque, ne ipſi invito Imperium abrogaretur, quod actum *Pilſæ Bohæmorum* XII. *Januar.* 1634. Qua de re certior factus Cæſar incontinenti *Edicto publico* Imperium abrogat *Wallenſteinuo*, ſolvit omnes ſacramento ei præſtito, facit gratiam Adſociationis pœnitentibus & præmia pollicetur; Interim parere jubet ſibi fidos Gallaſſio, *Aldringerio*, *Picolominæo*. Hoc Edictum mox aliud ſequutum eſt, in quo Cæſar copioſius perfidiam *Wallenſteinii* & conatus ejus exitiabiles ſuumque erga milites animum proſequebatur. Quibus cum non obſcure *Wallenſteinius* pleroſque Duces occupari atque à ſeſe alienari ſentiret, *Pilſâ Egram* in *Saxoniæ* confiniis ſitam, cum paucis, quos ſibi fidos putabat, ſe recepit; cui oppido præerat *Johannes Gordonius* Scotus à *Wallenſteinio* ex infimo loco ad ſumma provectus eique omnia debens, ut & reliqui ductores *Leſlæus & Butlerus* æquè Scoti, militibus *Hibernis*, quibus ut exteris *Wallenſteinius* maxime fidebat, Præpoſiti. Nec erat tum dubium, quin ille vires, quas retinere

tinere posset, cum hoste propediem conjunctu-rus fuisset. *Gordonus* & reliqui Scoti *magnitudine præmiorum*, quæ Cæsar promittebat, *incitati* facile consenserunt in necem benefactoris sui. Ad quam exequendam convivii sacra opportuna crediderunt: quod *Gordonius* in arce, *Wallensteinio* cum *Illõo*, *Terscha*, *Kinschio*, *Nyemanno*, præcipuis illi à Secretis, paraverat. Sed *Wallensteinius* superbiâ, vel secretum rebus turbidis amans non aderat. Reliqui bene excepti, cum observatum esset, *Illoum* prædicasse, *Wallensteinium* cis triduum multo quam unquam alias majorem sub signis exercitum habiturum, juxta secundas mensas, *immissis triginta militibus*, uno *Hispano*, duobus *Scotis*, reliquis *Hibernis*, hospites contrucidati sunt. Ac inde in hospitium *Wallenstenii* properantes ipsum, ut quidam referunt, cubitum iturum & vini haustum à famulo expectantem; vel, ut plures, è lecto per tumultum se jam molitum, hastæ quam *integram bardam* vocant, ictu confecerunt, nihil prolocutum, sed diductis brachiis & ingenti spissoque è gutture spiritu emisso, sicariis obviam se ferentem: Etsi *Buissonus* in *vita Turennii*, illum fortiter ut in acie pugnantem, nec nisi prostratis aliquot sicariis, cecidisse refert, perperam. Acta res *d.* xv. *Februar. inter nonam & decimam* vespertinam *anno* 1634, Postridie *Franciscus Albertus*, *Saxoniæ Dux Lauvenburgius* à Gordonio, missis centum equitibus, quos à *Wallensteinio* per literas in certum locum & tempus condixerat, intercep-

ceptus & *Viennam* miſſus eſt. Unde brevi ad exercitum in *Bohemiam*, cum ſummo Imperio venit *Ferdinandus* Cæſaris filius, qui res tam ſubita revolutione tumentes majeſtate ſua facile ſedavit & majorem copiarum partem ad Danubium abduxit. Quarum partium res geſtæ nunc in ordine ſequuntur.

4. Fuerunt ibi poſt obitum *Guſtavi Adolphi*, tres omnino exercitus ſub *Bernardo Vinarienſi, ſub Guſtavo Hornio & ſub Ottone Reingravio*. Primus Bavariam invaſit; alter Infanti Hiſpaniæ Cardinali,cum exercitu in Germaniam & Belgium cogitanti viam obſtructurus,rejecto transDanubium *Aldringerio*,tranſitu per Helvetios non rogatos facto,*Conſtantiam* ad lacum *Bodanum*; Tertius *Briſacum*, *victo Montecuculo*, obſidebat. Quasurbes obtinuiſſent, ni *Feria* Dux cum *Hiſpanicis copiis* ex Italia in auxilium accurrens utramque obſidionem ſolviſſet; hoſtemque penitus idem è *Svevia & Alſatia* ſubmovere potuiſſet, ni *Aldringerius Wallenſtenii* imperio deterritus prælium recuſaſſet. Qua diſcordia coactus cedere *Feria*, brevi morbo ex animi, *ut ajunt*, dolore contracto deceſſit. Apud *Nicrum* interim & Rhenum *Chriſtianus* Comes Palatinus *Heidelbergam* recuperavit & Reingravius cum *Smidbergio* pro Svecis *Philippoburgum* diuturna obſidione cöegit ad deditionem, quod *Sveci* deinde auri egentes *Galliæ* Regi vendiderunt: Sed Vinarienſis interim copiis auctus è *Weſtphalia*, *Donaverdam*, *Neoburgum*, *Aichſtadium*; Inde *Kelhemium & Neoſtadium* in

Pa-

Palatinatu ſuperiore vi vel conditionibus cepit, ipſam *denique Ratiſponam*, cum pleriſque apud Danubium locis. Nam ſuperiorem Bavaricam partem ſtrenuè tuebatur *Johannes à Verda*, vulgo *de Weert*, ex infimis ordinibus ad imperatoriam à Cæſare dignationem evectus; Hæc anno 1634.

4. At *ſequentis initio Rex Hungariæ* exercitum è Bohæmiâ Danubium verſus duxit; quâ occaſione Saxo Elector, *Luſatiæ* urbes eaſque inter *Budizinum* & *Gorlitzium*, in poteſtatem redegit, *Arhemio* deinde in *Syleſiam* dimiſſo; Quo tempore *Brandeburgicus* etiam *Francofurtum* aliaque ad *Oderam* loca ſuperiori anno à *Wallenſteinio* capta recuperavit. Sed *Ferdinandus* Rex Romanus Ratiſponam ſumma vi rurſus oppugnavit, defenſam à *Larte Kagano* Suedico Tribuno & Comite *Turriano* Bohemicorum olim principe motuum; ſed auxilio non apparente, poſt duorum menſium vim propulſatam, obſeſſi *honeſtis pro ſe & urbe conditionibus* deditionem fecerunt. Quo fere tempore Dux non ſpernendus *Aldringerius* Cæſari fidus, cum *Landshuto*, quod Sueci paulo poſtea vi captum crudeliter habuerant, ſuccurreret, globuli ictu, incertum à ſuis, an hoſtibus, in ponte fluminis *Iſaræ* occubuit. Interim ex Italiâ *Ferdinandus Cardinalis*, *Infans Hiſpanicus* cum firmo exercitu in Belgium tendens, Regi *Ferdinando* ſe apud *Danubium* conjunxit eique ad tempus operam petenti dare ſtatuit; ac ita pariter, *Nortlingam* valido Suecorum præſidio inſeſſam obſederunt. Suecorum vires ſub *Hornio*

& *Vinarienſi* hiſce duobus exercitibus nullo modo pares erant; numero vix ultra quindecim millia, præter numeroſas ruſticorum cohortes, adſurgente, contra hoſtium prope *quadraginta M.* Qua propter *Hornius* aliique prudentiores moram ſuadebant & commeatus intercludendi induſtriam; Denique, ſi urbs amitteretur, eam non valere totius exercitus periculum, quæ & *Cardinali in Belgium* brevi defluxuro, non poſſet non recuperari. Sed vicit rationem *Bernardi Vinarienſis* ardor ad dimicandum fatalis, *& pudor, quo nihil in bello ineptius*, ſi non impleret fidem præſidiariis de auxilio ferendo datam. Tribus horis ſtrenuè pugnatum erat, quando hoſtes numero ſuperiori dolum addidere, munimento quodam celeriter derelicto, in quod vi magnâ Sueci inrumpentes *nitrati pulveris è cavernis ſubter vaneis impetu* magnam ſtragem majoremque terrorem acceperunt. Inde fugâ effuſa, *ſex millibus*, præter totidem ruſticos, *interfectis*, *omnibus tormentis*, *ſignis*, *impedimentis*, ipſo quoque *Hornio* cum aliis *ſex millibus captis*, *Vinarienſi* ægrè fugâ ſubducto. Hoſtes *Octavium Aldobrandinum* Priorem Melitenſem & *Picolominaum Comitem* alioſque *mille ducentos* amiſerunt. Amiſſum eſt hoc prælio quicquid Sueci in ſuperiori Germaniâ tenebant, etiam *Auguſta* per Bavarum vi famis ad deditionem compulſa. Quin ſi vires fuiſſent *Cæſari* perculſis inſtandi, fugari poterant è *Germania*; Tanta conſternatio & prope deſperatio *Proteſtantium* animos invaſerat! Sed *Cardinali Infante*

fante in Belgium, Rege *Ferdinando Viennam* digresso rerumque summâ minoribus commissâ Ducibus, fuit respirandi facultas. Quæ aucta est fœdere Gallico, *mense Novembri* cum *Oxenstirnio Parisiis* inito; quo Rex Galliæ loco millionis annui antea promissi, recepit, se incontinenti daturum *quingenta librarum millia* restituendis paulisper rebus perculsis, & deinceps *cum primum erumperet in bellum*, exhibiturum se trans Rhenum duodecim millia militum, sub signis & ductu fœderatorum, præter exercitus sibi necessarios cis Rhenum, hac lege, ut *Alsatia cis Rhenum sibi daretur custodienda, durante bello, neque pacem aliter quam communi consensu facere liceret.* Auspicium tamen hujus confœderationis infaustum Gallis fuit, ereptâ per stratagema *Philippo-Burgo* nuper à Suecis acquisito, *Casparis Bambergeri* nomine Cæsaris ibidem antea *Præfecti* industriâ singulari.

CAP. III.

A Pace Pragensi usque ad mortem Cæsaris Ferdinandi II. ab anno 1635 *ad* 1638.

JOhannes Georgius Elector *Saxoniæ* inde ab initio suspectam habuerat *Suecorum* in Germaniâ potentiam, seque illis obnoxium fieri ægrè ferebat. Ut, si per Cæsarem licuisset, ille res suas, cum plerisque Protestantibus seorsim tenuisset. Sed cum *Cæsar* eum nullo modo in armis agere pati vellet, extremâ necessitate subactus *Gustavo Adolpho* se

conjunxerat. Verum post Lipsiacam victoriam, etsi salutem suam *post Deum*, *Suedis* unice deberet, tamen prævalente, quam vocant, ratione Status, incontinenti id agere coepit, ne penitus à Suecis dependeret, occultis cum *Cæsareanis*, ut creditum fuit, communicationibus. *Gustavo* Rege mortuo, hujus animi evidentiora quidem indicia dedit, quamdiu tamen *Suecorum* partes florebant, palam sejungere sese ausus non est: Prostratis illis clade *Nortlinganâ*, nullam amplius moram fecit; Conditionibus partim sibi propriis, quarum præcipua fuit, *utriusque Lusatiæ, antehac Bohemiæ regno conjunctæ & Archiepiscopatus Magdeburgensis retentio*; partim communibus, ut pacem, si possent, universalem facerent; harum præcipuæ fuere; *Bonorum Ecclesiasticorum ad* XL *annos possessio, qualis fuerat ad diem* XII *Novemb.* 1627. Idem de *exercitio utriusque Religionis; exceptis, Bohemia cæterisque ditionibus Austriacis hereditariis. Electoratus Palatinus maneret in Bavaria; dote Palatinæ & alimentis liberorum huic paci acquiescentium non negandis. Saxo & cæteri Pacis consortes cum Cæsare vires suas conjungerent, ad restitutionem eorum, quæ Sueci, Galli omnesque ab hac pace alieni tenerent exterosque è Germaniæ solo depellendos. Cæsar vicissim omnia vetustis ante bellum Danicum & Suedicum possessoribus hanc pacem probantibus restitueret, eosque inter, Ducibus Megapolitanis, excepto ad Rhenum Philippoburgo, quod Cæsar retineret. Exercitus posthac unus foret Imperatoris & Saxonis Ordinumque reliquorum,*

isque

iſque diceretur ac eſſet Imperatoris & ſacri Romani Imperii exercitus, *ſub Ducatu Ferdinandi Hungariæ Regis & Saxoniæ Electoris. Contributiones & hyberna æqualiter fierent*, cum minoris momenti cæteris. Hac pace publicata, quotquot Principes & populi res ſuas habebant integras & tuto id facere ſe poſſe crediderunt, ei ſubſcripſerunt, adſequuti per *Suecos* quod voluerant, nec aliud optantes, quam ut hi ad montes ſuos cupreos redirent. Elector *Brandeburgicus*, Dux *Luneburgicus*, Georgius *Vinarienſis* aliique; etiam *Noriberga*, *Fancofurtum*, *Ulma* pluresque civitates liberæ. Neque in armis juncti Suecis remanſere, præter *Guilielmum Haſſiæ Langravium*, cui per hanc pacem non reſtituebantur ademta jam ante annum 1627. & *Bernardum Vinarienſem* Suedicis & Gallicis rebus arcte implicitum & plus è bello quam ex hac pace ſperantem; hæc initio anni 1635.

2. Sueci ex gratitudine *Proteſtantium* nihil in rem ſuam proficientes, neque tamen inani *liberatæ Germaniæ gloriâ*, quam inde ab initio ſolam præ ſe tulerant, *contenti*, ſe ipſos non deſtituere. Sed in comitiis *Stokholmienſibus* Germanicum bellum ſummis viribus, *donec ſibi ſatisfactum eſſet*, perſequendum decreverunt. Quod ut liberius ac intentius facere poſſent, *elapſas cum Polonis inducias*, ad annos XXVI, finiendas XI *Julii menſis anni* 1661. *Stumdorfii* inita & evacuatâ *Pruſſiâ* renovarunt. Imprimis animati Societate *Gallicâ* recenti & potentiſſima, fatigatis

Austriacis superventurâ. Nam *Richelius* auctor Gallicorum consiliorum, cum de *Belgis fœderatis* sibi cavisset, postquam de capiendis armis aliquandiu hæsitare visus esset, quam primum *Pacis Pragensis* certior factus est, ita judicavit; *Austriacam in Germania potentiam, Suecis solis cum duobus Principibus semi-exsulibus, minime sufferturis*, denuo *convalituram*, neque deinceps oppugnatu facilem fore: Proinde nunc aut nunquam Galliæ spes excitandas ratus, Imperatori & Hispaniarum Regi bellum *Edicto Manifesto* denuntiavit & pariter intulit. Causæ justitiæ utrique parti communes longe petitæ fuerunt, hac summâ; *Austriacos adjectare Monarchiam universalem; multis modis violasse Principes populosque Galliæ fœderatos*: Hispanis propria quædam objecta, de quibus *infra*. Unum iis cum Imperatore commune, quod *Philippum Christophorum Electorem Trevirensem, e sede sua Archiepiscopali detractum Viennam captivum abduxissent*. Is jam pridem metuens *Austriacos* & *Suecos*, miro consilio munitissimam ad Rhenum arcem *Erenbretsteinium* Gallis tradiderat, seque illis obtorto collo alligaverat. Quod *Austriaci* hostile factum rati, illum ex urbe *Trevirorum*, per *Comitem Embdanum*, *Lutzemburgi* Gubernatorem quiritantem & protestantem abripuerant, primo *Bruxellam*, deinde aliquandiu in arce *Gandavensi* custoditum, mox *Viennam* ad Cæsarem captivum deportarunt. Ibi hoc tempore celebratæ sunt nuptiæ inter *Maximilianum Bavarum*

rum

rum prope ſeptuagenarium & *Mariam Annam*, *Ferdinandi Cæſaris* primogenitam. Quæ res fidem fecit, Bavarum, etſi receſſum aliquem ad Galli gratiam ſibi occulte reſervaret, vim tamen amicitiæ ponere apud *Auſtriacos* & atque ſic quidem Gallicanæ amicitiæ fiduciam penitus amiſit. *Tanta ei ſuperfuit ſolertia!*

3. Si vindictæ divinæ ſatisfactum fuiſſet, mala, quibus homines tot annis adflicti fuerant, finem belli ſuadere poterant, tantâ vaſtitate pleriſque *Germaniæ* Partibus illatâ, ut alimenta pecudum hominumque deficerent; *fœdioraque famis exempla per regiones fertiliſſimas, Palatinatum & Alſatiam extitere, quam in ulla unquam obſidione, Numantia, Hieroſolymis & Sancerra non* exceptis, memorata ſunt; ut non modo immanis hominum numerus per eſuriem, poſtquam miſerandis alimentis diu vitam toleraſſent, extinctus ſit, verum etiam promiſcuæ cædes venationeſque hominum, quarum carnibus veſcerentur, inſtituta fuerint; Quâ de re ſatis conſtat, virginem, quæ *Ottershemii* in præfecturâ *Dirmſteinii*, cum ſociâ, tres homines in ſomno ſtrangulatos coxerat & comederat, idemque poſtremo de ſceleris ſociâ fecerat, paulo ante ſupplicium, quo *Altzemii* adfecta eſt, dixiſſe; *bene agi cum hominibus, quod neſcirent, quam ſuavis eſſet carnis humanæ ſapor: Id ſi cognitum haberent, vix fore, ut quiſquam cuiquam parceret.* Adeo verum eſt; *iram Dei plagaſque ſcelerum publicas homines magis efferare & alienare à Deo, quam animos revocare ad pœnitentiam.*

 4. Pri-

4. Prima vis belli deinceps in *Saxonem* detonuit, à *Suecis* ei non immerito iratis, postquam conatus ejus pacificatorios acriter refutassent. *Bannerio* Duce captâ *Werbenii* arce munita, urbes ad *Salam* & *Havelam* fluvios gravi ubique vastitie factâ, occuparunt. Postea *Saxo Cæsareanis*, *Hartsfeldio* Duce, copiis actus, amissa recuperavit & *Maegdeburgo* quoque potitus est. Sed à Bannerio novis è Suetia auxiliis corroborato apud *Wistochium* prælio superatus & gravi clade, relictis impedimentis & militari instrumento, profligatus est. Inde cum *Wrangelio* collega *Marchiam Brandeburgicam*, ulturus Electorem, qui paci Pragensi subscripserat, invasit & vastavit. Ac inde *Albi* transmisso, *Erphordienses* de Pragensi pace cogitantes in potestatem redegerunt. Interim *Wilhelmus* Hassiæ *Landgravius* Suedicis auxiliis firmatus obsessam à Cæsareanis *Hanoviam* & ad extrema redactam, pulsis hostibus, liberavit. At mox ab Imperialibus, Duce *Gotsio*, tam potenter refutatus est, ut ubi in suo consisteret, non haberet; sed in extremam *Westphaliam* rejectus *Frisiam Orientalem* primo venienti expositam occupaverit; munitis quoque præsidio suo variis in *Westphalia* & in *Clivia* locis. Unde circumjectos exigendo populos, etiam vectigalibus apud *Rhenum* constitutis, aluit exercitum, ægrè ferentibus etiam *Belgis fœderatis*, at ferentibus tamen communis *Causæ* respectu. Interim *Gotsius Hassiam* populabatur & præsidio *Wilhelmi Paderbornâ*, *Susato*, *Hammonâ* aliisque

lisque locis ejiciebat, ut jam intra *Frisiam Orientalem*, *exceptis* quibusdam sparsis locis, redactus esset *Hassus*.

5. Gallicis interim armis se tarde molientibus in *Germaniam*, Cæsar illos ratus præveniendos, ipsam Galliam invadere statuit, misso in *Burgundiam Gallassio*: ubi *Dola* à *Condæo* obsessa brevi, tam intercessione *Helvetiorum*, qui Gallos tam vicinos nolebant, quam hostium vi, liberata est. Sed *Gallassus* nihil habens à tergo commeatus ex *Alsatia* & *Palatinatu* vacuis terris, & quos in *Gallia* habere poterat, populatione promiscuâ cito consumptis aut à Gallo interclusis, sine clade *trans Rhenum* repulsus est, exercitu gravius adflicto & diminuto, quam si magno prælio victus fuisset; Cardinali *Valetta* Gallicis armis præposito & *Vinariensi* conjuncto: Quod si non pluribus, ipsius quoque *Richelii* exemplis novitatem amisisset, inter *Lutheranos* & *Pontificios* deforme videri potuisset. Interim Cæsar ægro corpore magis quam extremâ senectâ mortalitatis admonitus, potentiam Domus suæ in hunc eventum præmuniendam putavit, adscito in Collegam sive ut hodie loquuntur, *Regem Romanorum*, *Ferdinando* filio. Quâ gratiâ *Electorum Conventum indixit Ratisponam*; quo se contulerunt ipsi *Moguntinus*, *Coloniensis* & *Bavarus* cum Cæsare, tanquam Rege *Bohemiæ*. *Saxo* & *Brandenburgicus* Legatos misere, *Trevirensis* in custodiâ tenebatur: Cujus arx *Erenbreitsteinium* apud *Rheni* & *Mosellæ* confluentes ab illo tradita Gallis, à Cæsa-

reanis, duce *Johanne de Weert* arctè obsidebatur & cum aliter non posset, fame ad deditionem redacta *est*, *anno sequenti*. Nam Electio Regis Romani, *anno seculi* XXXVI. peracta & celebrata est. Quemadmodum & compositio, licet ad breve, turbarum in urbe *Leodiensi* de quibus *breviter*.

6. Ortæ erant hæ, quemadmodum pleræque in magnis urbibus, ex studiis optimatium & plebis; quæ duas partes faciebant, *Chiroutiorum*, pro optimatibus & *Grignoviorum*, qui plebei erat: Illi opibus, hi numero valebant, Illi ad Principem suum, qui erat *Elector Coloniensis*, & ad Cæsareanos; hi magis ad Gallos & Belgas inclinabant. Sed plebeji prævalebant, eo quod Consules à Tribubus eligerentur, quod inceptum erat anno sec. XXIX, cum prius à *Commissariis* ad id constitutis eligi solerent; Ab his enim triginta duo electores selecti, suffragiis suis Consules creaverant: quem morem ex antiquo reduxerat *Ernestus* Elector & Princeps *Leodiensis*. Sed *Ferdinandus* hunc modum rursus aboleverat, auctoritate *Cæsaris* interposita, quem plebs sibi denuo vindicaverat, inde ab *anno* 1629. Gallis addictam civitatem Cæsar & Princeps misso cum exercitu *Johanne de Weert*, in suas partes compellere satagebant: Sed repulsis militibus, Legati nomine *Cæsaris* & *Infantis Cardinalis* missi nihil quam bona verba cum querelis, de exactionibus *Verdanorum* per ditionem Leodiensem factis abstulerunt. Agebat *Leodii* in exilio Comes *Warfusæus*, ex gente *Renessia*, qui antehac *Regis Hispaniæ in Belgis* ærario præ-

præfectus, publicis privatisque pecuniis æquè perperam administratis, remedium in defectione à Regiis partibus quæsiverat, quam socio *Henrico Bergensi* Comite instituit. Conatibus eorum in fumum abeuntibus, *Warfusæo* ad incitas redacto in mentem venit, *aliquo notabili facinore Cæsaris & Hispaniæ Regis gratiam sibi reconciliare*; quod dementi & scelerata ratione molitus est. Erat præcipuus Gallicarum partium in urbe favitor *Sebastianus Ruellius* Consul & *Abbas Mouzonius* Galliæ Regis Legatus; quibus è medio sublatis, sperabat, se à diversâ factione adjutum, facile civitatem ad Austriacas partes traducturum. Quare invitatis ad epulum illis duobus juxta alios plures utriusque sexus convivas, secundis epulis appositis, mensa & triclinium foris repente cincta sunt militibus, cum minacibus armis. Warfusæus *Ruellium digito* monstrans, cum dixisset, *vertendam esse togam, mutandas voces; Vivat Ferdinandus*, clamandum; *nihil se quam Jussu Cæsaris & Principis agere, multaque protenderet instrumenta, cum grandibus sigillis*, eum duci jussit; *Mouzonium* cum reliquis adhuc custodibus reliquit. Confusione tamen rerum & ejulatu cum aliorum tum filiorum suarum & præsenti deformitate sceleris turbatus *nesciebat esse perfectè malus*; Sed huc & illuc discurrens, inania jactans consilium imprudens morâ penitus corrupit, ut præter *Ruellium* ægrè & impetu repetito confectum nihil absolverit; sed etiam strepitu foras perlato, cum nepos *Ruellii* se in ædes ingef-

gessisset, eundem exire passus est, ut tumultum foris sedaret, qui cæde Consulis proclamatâ, cives ad arma citavit, ædibusque expugnatis, *Varsusæum* è turpi latebra extractum & instrumenta sigillis gravia, loco armorum, præferentem cum plerisque militibus contrucidarunt: Id vero accidit anno 1637.

7. Sueci interim cum adversariis in *Saxoniâ* laborabant; *Bannerio*, qui *Torgam* probe muniverat, *Lipsiam* ipsa brumâ obsidione premente: Sed urbi constanter defensæ adstitit *Elector* in tempore, cum auxiliis Cæsareanis, *Hatsfeldio*, *Gallassio*, & *Gelehnio* ducibus; nec obsidionem modo solverunt, sed & ipsum *Bannerium Torga* ejecerunt, conjunctumque licet cum *Vrangelio* novisque è Pomeraniâ copiis, è *Marchia Brandeburgica* & plerisque *Pomeraniæ* locis ejiciunt ipsamque in *Usedomium* Insulam penetrarunt; ut jam Pomeraniam *Suecis* purgatam haberent, tribus saltem oppidis *Anclamio*, *Sedino & Stralezunda* sese ægrè sustinentibus, nec quicquam amplius in omni Germaniâ illis supereret, *Luneburgo & Halla* cæterisque in interiori *Saxonia* locis à Cæsareanis eodem tempore captis. Solus profligatas partes *Bernardus* Vinariensis, Gallicis aliquot legionibus firmatus tuebatur; sed & is in *Burgundiam* usque submotus erat. Verum hostes usque in ultimam *Pomeraniam* cum majore exercituum parte remotos videns, Rhenum suprà *Argentóratum* trajecit; At rursus eum *Johannes de Weert*, capto *Eerenbretstenio* expeditus

tus repulit in *Burgundiam* pontemque Rheno à Gallis injectum suæ poteſtatis fecit. Sed *Vinarienſi* illa repulſa non male ceſſit, nacto abundantia & illibata hyberna in valle *Delſpergenſi*, quam ab hoſtibus & incolis incuſtoditam occupavit, ſuasque legiones more temporis, incolarum ſumptu, refovit, auxit & inſtruxit, dum *Verdanus* ſuas Legiones per exhauſtam *Brisgoviam* & deſerta ſaltus *Hercinii*, quomodo potuit, diſponere coarctaretur.

8. Interim *Ferdinandus II.* Imperator ægro corpore diu fatigatus memorabilem vitam tranquillo & religioſo exitu clauſit, menſe *Februario* 1637. *anno ætatis quinquageſimo nono*, relictis ex *Maria Anna*, *Bavarâ*, quatuor liberis. Primo & ultimo maribus; *Ferdinando*, qui imperavit & *Leopoldo*, qui Belgio Hiſpanienſi præfuit. Filia, cui *Mariæ Annæ* nomen *Maximiliano Bavaro ſobrino ſuo* nupſit; *Cæciliam Renatam* dedit *Vladiſlao*, Poloniæ Regi. Eodem anno deceſſit ex hac vitâ *Boguſlaus* Pomeraniæ Dux, in quo ſtirps vetuſtiſſima *Pomeraniæ* Ducum, quæ *per annos ſeptingentos* florentiſſimam regionem tenuerat, defecit & ſucceſſio tranſiit in domum *Brandeburgicam*. Defunctus eſt etiam hujus vitæ bellique moleſtiis *Wilhelmus* Haſſiæ Lantgravius in Friſiâ, herede filio impubere, cujus tutelam cum bello graviſſimo & exilio conjunctam maſculè ſuſcepit, nec minus conſtanter proſequuta eſt ejus vidua, *Elizabeth*, *ex Hanovienſi Domo*.

CAP.

CAP. IV.

A morte Ferdinandi II. *Cæsaris usque ad cladem* Dutlingensem, *& bellum Sueco-Danicum ab anno* 1638 *ad* 1644.

INitia FERDINANDI III. Cæsaris lætam satis faciem præferebant, *Suecis è Germania prope ejectis & Gallorum armis adhuc parum efficacibus*, ut ne *Vinariensem* quidem pro fide pacti sustinerent. Sed nec *Imperatori* satis erat virium *ad absolvendam victoriam* & Principes populique fœderati quiete suâ contenti erant; Nihilque magis quam majorem Cæsaris potentiam aversabantur. Hinc in *Pomerania* Cæsareani inopiâ tam pecuniæ, quam commeatuum, *qui Suecis libero mari abundabant*, eo se brevi redactos viderunt, ut cum Sueci missis è Patriâ supplementis & hostium transfugiis aucti exercitum xx amplius millium collegissent, ipsi jam minimè pares, in *Bohemiam* ad vires instaurandas se receperint. *Hassi* etiam sub nova *Heroide sua* lacertos moverunt, occupatis *Westphaliæ* pluribus locis, etiam *Paterborna.*

2. Sed infelix *Palatina Domus* adultos Principes ad res suas proprio Marte, quando nihil actum erat alieno, restituendas emittere conata, fortunam adhuc, adde minervam, habuit adversam. *Carolus Ludovicus & Rupertus*, cum avunculum *Angliæ Regem* ad bellum Austriacis inferendum excitare non possent, in eam adducti sunt aliosque adduxere sententiam, ut *si pecuniam habe-*

haberent, rem ſe facturos crederent. Extudere tandem non modicam ex Angliâ tum adhuc pacata ſummam eamque è peculio, quod ipſi habebant & corradere poterant, auxerunt. Accidit Hagæ *Batavorum*, ut cum ingens argenti aurique pondus ex ædibus Bohemicis in uſum expeditionis deportaretur, unus è veteribus Aulæ miniſtris, gnarus quam fluxi homines ingenii tanto negotio præeſſent; *Hoc* ait, *in profundum abjicitur.* Primo à Suecis emerunt *Meppenam*, ubi horreum & armamentarium condiderunt; quod luculenter inſtructum *Vehlenius* Dux Cæſareanus unâ nocte illis ademit. Exercitu tamen ſalvo, Principes *Lemgoviam* obſeſſum ibant, ut hanc *Meppenæ* loco, non minus *opportunam belli* & exactionum, quibus militem alerent, *ſedem* occuparent. Sed primò cum *Melchiore Hatsfeldio* exercitum Cæſaris eâ parte ducente pugnare coacti, cum tyrone milite copias veteranas, etſi acriter dimicatum eſt, non ſuſtinuere, ſed victi & profligati ſunt, *occiſis in loco duobus millibus*, impedimentis ſignisque, cum *Anglicæ periſcelidos* inſigni captis. *Carolus Ludovicus* Mindam ægre pedibus evaſit, poſtquam plauſtrum, quo *Viſurgim* vado trajiciebat, cum equis & aurigâ ſubmerſum eſſet; *Rupertus* Viennam tranſmiſſus, interceſſione Legati Anglicani aliorumque brevi liberatus eſt, & deinceps in ſcenâ *Anglicanæ* perſonam egit notabilem.

2. Sed in aliâ Germaniæ extremitate *Bernardus Vinarienſis* ex hibernis in *Alſatiam* cum exercitu

citu alacri & satis numeroso progressus *Rheinfeldam* situ & munitionibus, ut tum res belli æstimabantur, prævalidam obsidione cinxit. Quæ res Cæsareanos & Bavaros undique ad auxilium excivit, qui junctis viribus *Vinariensem* pugnâ victum se *Lauffenburgum* recipere coëgerunt, at levi clade. Quâ confisi Cæsareani negligentius agentes postridie à victis invasi & oppressi sunt, ducibus etiam captis, *Verdano*, *Savellio*, *Sperreutero* aliisque; E victoribus cecidit *Henricus* Dux *Rohanaus*, qui bellis civilibus evolutus, deinceps in externis strenuam Patriæ operam navavit, usque ad ætatis annum LX. & ossa sua, *Genevæ*, Arma *Reip. Venetæ*, honoris causâ legavit; quæ judicium tanti Ducis nullo modo adspernata, gloriam defuncti acceptando legatum, auxit & propagavit; *ut vel inde agnosceres libertatis amantem Rohanæum.* Fructus victoriæ *Vinariensis* fuit, *Rheinfelda* capta, cui adjecit *Friburgum*, *Tubingam*, *Stutgardam* & alia. Quibus animatus ad ipsius *Brisaci*, longe munitissimæ tunc & hodie urbis obsidionem, se convertit, *cofre.us, quod Commeatu minus esset oppidanis prospectum*, & quod erat, brevi magnâ parte diminutum est, horrei, quod habebant, incendio, à furibus, ut creditur, orto, qui far quærentes ad lumen, igne pulverem nitratum attigerant. Conati sunt *Cæsareani* urbi succurrere & aliquoties successerat, exiguis missibus; donec *Johannes Gotzius* è Westphalia ad hoc certamen evocatus octingenta plaustra ducens cum Vinariensibus justo prælio conflixit,

ad

ad *Wittenwijeram*, ubi poſt quinque horarum anceps certamen *Gôtzius* cum ſuis victus & fuſus eſt, captis, inter alia, commeatibus & victori militi à Duce permiſſis. Quamdiu tamen ſpes auxilii affulgebat, *Reinacherus* Præfectus momentum loci non ignorans ſe ſuoſque duravit, ut ne humanis quidem carnibus parcitum ſit; Comperitque *Vinarienſis* ſeptem & xxx captivos Gallos à popularibus, æque captis & neglectis fuiſſe comeſtos. Convenerunt tandem *Carolus Lotharingiæ Dux*, *Lambojus & Goltzius* ad *Gôtzium*, cum quo ultimum facturi periculum ſtatuerunt hoſtem cis & trans Rhenum ſimul invadere; Lotharingi magnâ vi hoſtium munitiones aggreſſi majore repulſi ſunt, eo quod *Gôtzius*, ut volunt, à ſuâ parte cunctaretur, & ſerius hoſtem cum *Lambojo* aggreſſus, cum hic tamen munitiones quaſdam ſuperaſſet, intempeſtive receptui ceciniſſet. Quanquam is ſe dein Cæſari, *captus licet per biennium*, purgavit & locum dignitatis ſuum retinuit. *Briſacum*, oppugnationis certamine foras averſo, tandem hoſti inſuperabili, *Fami* ceſſit & ſe *Vinarienſi* dedidit. Qui tot ſucceſſibus auctoritate potentiâque, & imprimis militum in ſe favore ſtudioque elatus in animum induxit, *partem in bello per ſe facere & Briſacum ſuo nomine tenere*, etſi Gallorum maxime ſtipendiis exercitus aleretur. Sed *Vinarienſis* haud dubie prævaluiſſet in repræſenti, eoque incremento ad alia longe altiora, quæ credibile eſt, ut tum *erat ſtatus rerum in Germania*, illum fuiſſe

consecuturum, usurus fuisset, nisi opportunâ Gallis morte, *aliis ideo suspectâ*, brevi postea vix annos xxxv. natus, sublatus esset è vivis; Imperio quatuor Legatis commisso: Quod accidit adulto vere 1639. Et divisum imperium in exercitu discordiam & occasionem Gallis dedit, pecuniâ cum illis transigendi.

3. *Carolus Ludovicus* Palatinus in *Anglia* tunc agens, pulcherrimam hanc ratus occasionem, *exercitum illum veteranum sibi conciliandi*, contractâ notabili pecuniæ summa, minore tamen quam jactabatur, etsi erat ultra LXV millia Imperialium, occulto per Galliam itinere in Alsatiam tendebat: Sed *fortunâ domus suæ comite*. Quæ ut aliquando Patrem in eodem itinere ad malum suum properantem adjuverat, ita filium ad Spem maximam festinantem irretivit: Nam Galli inde ex *Angliâ* proficiscentem exploratoribus persequuti, *Molinis* in *Borboniensi* Ducatu comprehensum in arcem sylvæ *Vincennensis* haud procul *Parisiis* deduxerunt, ubi tunc etiam simili modo captus agebat *Casimirus* Poloniæ Regis frater, idque, donec absoluta transactione, Galli *Brisaco* potiti & exercitum Vinariensem, cujus pars etiam erant Comes *Guebrianus* Dux insignis & *Vicecomes Turennensis jam tum egregius*, *postea celebrior*, sibi totum pignorassent, suoque sacramento addixissent. Atque hoc est *primum Gallici progressus vestigium* ingens & validum; quo non modo *Alsatiam* regno suo tam opportune conjunxere, sed etiam totius Germaniæ cervicibus gra-

graviſſime incumbunt, eique, ut lubet, inſultandi facultatem adepti ſunt.

4. Tranſeamus in adverſam Germaniæ partem, ubi Suecorum Dux *Bannerius*, ſubmotis è *Pomeraniâ* Cæſareanis, in *Marchiam Brandeburgicam* diverſos miſit Duces novis junctos ſupplementis; qui *Francofurtum* omniaque majoris momenti loca, vi, minis, celeritate ac inſidiis in poteſtatem redegerunt, Saxoneſque magnâ pugnâ haud procul *Perleburgo in Ducatu Megapolitano* ipſe ſuperavit. Tunc, præmiſſo *Koningsmarkio*, cum tota mole belli in *Saxoniam* invehitur & captis *Naumburgo*, *Zeitza*, *Grimmâ*, *Chemnitio* aliiſque locis, *Saliſium* Ducem Cæſareanum cum ſeptem *Regimentis* in hoſpitia hiberna ſe recipientem fundit ipſumque Ducem capit. Sed à *Fridtberga* Saxonicorum ſepulturis Ducum nota urbe, cum aliquâ clade *Chemnitium* rejectus, illic obviam habuit *Marozinium* Ducem alium *Cæſareanum* cum Legionibus è vicinâ *Sileſia Bohemiâque* contractis, quas *Bannerius* prælio commiſſo diſjecit & pluribus cæſis, omnibus ſignis, tormentis impedimentiſque ſpoliavit. Haud libenter *Fridtbergam* à tergo relinquebat, antequam ſe in *Bohemiam*, quo anhelabat, conferret; Attamen denuo rejectus inde *Pirnam* ſe convertit eâque captâ *Leutomeritium & Brandiſium* in ipsâ *Bohemia* occupavit, poſtquam rurſus octo Legiones à *Gallaſſio* ad impediendum *Bohemiæ* introitum *Praga* miſſas conciderat. Inde famâ victoriarum præcurrente, *Pragam* ipſam majo-

rum ictibus tormentorum admonitam territamque, mox tamen impar obsidioni deseruit, omnemque *Bohemiam* suo arbitratu mulctavit & populatus est obiterque *Stephanum Palsium* Comitem, Ungaricæ militiæ Præfectum obviam factum interfecit ipsum. Hyeme tamen & hostibus undique ingruentibus, exercitum hybernis resovendum subduxit. *Cæsar* vere proximo xxx. millium exercitum in armis sub *Leopoldo* fratre suo, cui aderat evocatus è Belgio, consilii causa; *Comes Octavius Piccolomineus*, habuit, qui *Bohemia* Suecis sine magnâ difficultate purgatâ, *Banneriam* in *Misniam* se recipientem persequuti sunt magnamque partem equitatus ejus, terga recedentium protegentis oppresserunt; eratque in summo *Suedica* res discrimine, ni à Dux *Longavillanus cum Vinariensibus*, *Hassicis & Luneburgicis*, (*horum enim Dux iterum partibus accesserat*) *copiis*, *Bannerium* cum suis *Erphordiam* usque delatum & vix à fugâ sibi temperantem in tutum recepissent. Tum Castris ad *Salam* utraque Pars munitis, sese invicem, ut est vox illorum, *observarunt*; donec *Bannerius* tam commeatus inopiâ, quàm ad occupandas legiones *Bavaricas*, Duce *Mercio*, in *Franconiam* tendentes recessit. Sed eâ spe frustratus se continuit cavitque *Imperiales*, sicut hi ipsum, donec *æstate* ejusque fructibus absumptis, de *hybernis* disceptatum est; quæ singuli in hostili solo, ubi milites populorum impendiis aluntur, quæsiverunt. In quo certamine *Bannerius* prævaluit, *Imperialibus* agro *Brunswiciensi*

cienſi & *Lunenburgenſi*, quem ſibi deſtinaverant, præcluſo, per occupatos *Viſurgis* fluminis trajectus: Ideoque ipſi in alieno, Cæſareani in ſuo, fomentis hybernis ſe recreaverunt, *annumque ſeculi* XL. *ſequenti conjunxerunt*, populis ſine fine malorum ſub jugo immitis belli gementibus. Electoris *Brandenburgici* mors hoc fere tempore apud *Regiomontanos* evenit, cui filius ſucceſſit *Fridericus Gulielmus*, qui materiam dicendi abundantem in tempore locoque ſuppeditabit.

5. Primo vere *ſequentis anni*, *Bannerius* ex hybernis alacriter progreſſus mirificum cepit conſilium, à *Viſurgi* ad *Danubium* ſe conferendi, ut *Cæſarem* ibi Comitiis agendis intentum cum Ordinibus adverſarum partium interciperet aut ſaltem in fugam conjiceret. Itinere per *Thuringiam* & *Palatinatum* ſuperiorem facto, urbem, disjectis Comitiis, facile in poteſtatem redegiſſet, modo prædis mulctiſque non modo in viâ, ſed & latius exigendis abſtinere potuiſſet. Quæ dum lentum iter efficiunt, *Cæſar & Ordines* ſpatium ſe, urbem dignitatemque ſuam conſervandi habuerunt. Quin *Bannerius* Legiones huc & illuc, ad mulctas exequendas ſpargens notabile detrimentum ſubiit, *amiſſis quatuor equitum millibus*, qui apud Sylvas Bohemicas ſecurius conſidentes à *Picolominæo* & *Mercio* circumventi ſe dedere, *inuſitata res Suecis*, coacti ſunt. Quâ intellectâ jacturâ, *Bannerius* in *Miſniam* ſe recipere feſtinavit, à *Cæſareanis* adſiduo preſſus, nec tamen ſatis, ut putant, captatâ diverſis occaſionibus facultate

recedentes opprimendi. In quibus angustiis tanta *Bannerius* sollicitudine, vigilantia, valore se fatigavit, ut corpore infirmus, cum ad *Salam* pervenisset, ubi reperit *Vinarienses*, quietem ab itinere & labore cum ultima quiete continuaverit, mortuus Halberstadii *Majo medio* MDCXLI. præpositis exercitui tribus Ducibus, *Adamo Phulio*, *Carolo Gustavo Vrangelio*, qui celeberrimus evasit, *& Arfurto Wittebergio*. Sed ad summam rei Suedicæ in Germaniâ commendavit *Leonardum Torstenzonium* in *Suetia* tunc agentem, quod judicium *Ordines* Regni & eventus præclarè comprobarunt: Sed is anno demum sequente rerum curam suscepit. Interim Cæsareani *Hohentweilam*, Luneburgici & *Hassi Woffenbeutelium* acerrimis sed irritis obsidionibus tentarunt. *Dorstena* cessit *Hatsfeldio* Cæsareano, *Gorlitzium* in *Lusatia* Electori *Saxoniæ*. Quibus rebus hæc æstas exiit. Exierunt etiam Comitia *Ratisponensia* per annum integrum protracta, compluribus decretis tam de pacis tractatu cum *Gallis Suecisque Monasterii ac Osnabrugæ* seorsim ineundis, quam de bello minuendisque ejus incommodis magna cum difficultate factis, nec nisi majore exequendis.

6. Quo autem tardius proposita pacificatio & rei militaris emendatio procederent, fecit inæqualis in bello partium successus, qui dehinc ab anno XLII. *Suecis & Gallis* intentius arridere cœpit. *Lambojus* dux Cæsaris egregius, præerat ad *Rhenum* seque in agro *Kempensi* munitis ca-

stris,

ſtris, *Hatsfeldium* exſpectans, continebat. Hunc Comes *Guebrianus* Dux Gallicus Vinarienſium & *Eberſteinius* Haſſis præfectus in campo *Antoniano* aggreſſi, perruptis magnâ vi munitionibus oppreſſere copiaſque ejus conciderunt, redacto in poteſtatem omni apparatu bellico, cum ipſo *Lamboyo* & pleriſque minoribus præfectis: accedente fructu victoriæ agro Colonienſi cum urbe *Novezio*, *Kempena* aliiſque locis. Unde latè patentes in hoſtilem viciniam contributiones; etſi *Lochenium* ignobile ſed bene munitum & inſtructum oppidum victores ſuſtinuit, donec *Cæſarei* & *Bavarici* exercitus adventu liberaretur. *Noveſiani* libertatis ſtudio præſidium recuſaverant, quod ab hoſtibus, ut fit, amiſſa libertate, gravius perpeſſi ſunt. Novi exercitus fiduciâ *Colonienſis* Elector Agnatum è domo Bavaricâ *Maximilianum Henricum*, ſucceſſorem in *Archiepiſcopatu* & *Electoratu*, quem *Coadjutorem* vocant, à Capituli ſui *Canonicis Adſeſſoribus* impetravit.

7. Interim *Torſtenzonius* cum novis è *Sueciâ* ſupplementis venit in *Saxoniam* ad *Coningsmarkium*, qui jam pridem ſtrenuè rem geſſerat, cæſis quatuor hoſtium legionibus haud procul *Halberſtadio*, pulſiſque ab obſidione Mansfeldiæ *Cæſareanis*. Conjunctus cum eo *Torſtenzonius*, è Saxoniâ, unde hoſtes exegerant, in *Luſatiam* & *Sileſiam* perrupit, expugnatâ majore *Glogoviâ* abundantiſſimo Cæſaris horreo, præſidiariis occiſis, civibus direptis. Secundum hanc cum urbs *Suevinitia* præcipui eſſet momenti, prohibiturus

 turus

turus ab illâ Suecos *Franciscus Albertus Saxo Lauenburgicus*, qui his locis pro *Cæsare* præerat, cum septem millibus in *Koningsmarkium* & hunc pulsum persequens in totum hostilem exercitum incidit, à quo facilè superatus ipse cum omni peditatu captus & ex vulnere brevi mortuus est. *Torstenzonius* inde in *Moraviam* flexit, omnibusque direptis & exactis, sed locis quæ tenere poterat, insessis, prædæ gloriæque plenus rediit in *Saxoniam* ibique *Lipsiam* partibus fatalem locum obsidione cinxit. Ad quam liberandam *Archidux Leopoldus* & *Octavius Piccolominæus* ab Hispaniæ Rege creatus Dux *Amalphitanus*, in auxilium *Saxonis* accurrerunt, quibus obviam profectus *Torstenzonius* magnâ & diu ancipite pugnâ cum illis certavit tandemque nobili victoriâ potitus est; cujus fructus fuit, *Lipsiæ* urbis deditio & reliquarum acquisitionum confirmatio. Cæsareani Duces *Johannis Georgii Madloni* Chiliarchæ legionem præcipiti fugâ cladis initium fecisse convictam, *repetito à Veteribus exemplo, decimaverunt*, præfectos omnes pauculis exceptis supplicio adfecerunt, *Rokezana Bohemorum*. Ita exiit annus MDCXLII.

8. Tot repetitas clades solata paulisper est clades Gallorum & Vinariensium apud *Dutlingam* in Suevia, quæ hoc modo accidit. *Guebrianus* Comes superiori anno victor, refecto in uberibus hybernis exercitu, transmisso *Rheno*, sicut tum *per immanes saltus* belligerabantur, per *Franconiam* in agrum *Vurtembergensem* inruperat,

rat, ubi nova è Gallis supplementa accepit à Duce *Anguiensi* Principis Condæi filio. Nec tamen, observati ab hostibus, quicquam omni æstate memorabile administrarunt; donec *mense Novembri* constituendis hybernis *Guebrianus*, *Rotweilam* urbem occupandam suscepit, ipse machinis pone crates vimineas disponendis intentus, ictu minoris tormenti, brachio mutilatus est. Quo ex vulnere, non bene à chirurgis habitus, in urbe captâ Dux egregius post paucos dies extinctus est. *Vinarienses* tanto Duce privati cohortibus per viciniam dispersis minore providentiâ præcipuam *Dutlingæ* stationem ad *Danubium* habebant. Securius agentes vetus militiæ *Hatsfeldius* subito illos, cum majoribus copiis invasit, *Dutlingam* vi cepit, repulso in subsidium accurrente *Rosa* equitum præfecto, qui cum paucis fugâ se recepit. Reliquæ stationes divisis cohortibus ad deditionem compulsæ sunt, omnisque rei bellicæ apparatus & pecuniæ vis in manus *Hatsfeldii* pervenit; nec in *Rotweila* cæterisque locis mora fuit recuperandis. Tantum unius Ducis mors, tam subito, mutationis invexit; quo *Gallorum* in *Germaniâ* non parum labefactatæ res & spes Austriacorum mediocriter recreatæ sunt. Etsi *Torstenzonius* hoc anno per *Saxoniam*, *Silesiam* & *Moraviam* suo arbitratu dominatus est: dum *Koningsmarkius*, *Halberstadium* aliaque à *Saxonibus* loca recuperata sibi rursus subjiciebat, idemque ducem *Cracovium* à Cæsareanis in *Pomeraniam*, distra-

 hen-

hendis Suecis missum, inde, collatis castris, brevi profligatum retrocedere compulit, recuperato *Caminio* aliisque à *Cracovio* captis locis. Ita exiit annus seculi XLIII.

CAP. V.

A clade Dutlingensi ad pacem usque Monasteriensem, ab anno 1644 *ad* 1648.

ANno *sequenti* arma *Suecorum* inexpectatò in *Daniam* conversa *Cæsareanis* otium in superiori *Germaniæ* parte illis commissa, vel potius facultatem sua facilius recuperandi præbuere. Gallis autem in suis juxta *Rhenum* partibus duriorem fecere conditionem; quibus idcirco bellum illud *Sueco-Danicum* suprà modum invitis & impatientibus accidit, acerbis de Suecorum inconstantia querelis. Imperator ea quæ *Torstenzonius* in *Silesiâ Moraviâque* pridem occupaverat, haud difficulter, excussis *Suecorum* præsidiis, recepit; *Olmutzium* tamen & *Glogoviam* validius munitas arte hominibusque, *Torstenzonio*, hi quibus erant commissa loca, salvas reduci præstiterunt, eò facilius, quod *Cæsareani* bello Hungarico per *Ragotzium* Transylvaniæ Principem hoc tempore moto distrahebantur. Inter *Bavaros* etiam & *Gallos* certatio fuit apud *Friburgum* in *Brisgovia*, quod post *Uberlingam* Bavari ceperant. Galli tam propinquos Brisaco *Liguistas* ferre nolentes inde eos proturbare statuerunt. Exercitum XXII. millium ducebant *Dux Anguiensis*, postea *Condæus* & Vice-Comes *Turennius*

recen-

recentem è Galliâ productum. Castra Bavarorum, quos in æquum locum nullo modo pertrahere poterant, ter oppugnaverunt; Singuli impetus binis fere millibus constiterunt. Edocti usu, quod ratio inde ab initio docere debuisset, methodo fieri posse, quod vis non daret, hostes commeatu & pabulationibus intercluserunt, eâque ratione locum mutare suaque repetere coëgerunt. Quibus abactis, illi *Germershemium*, *Spiram*, *Vormatiam*, *Moguntiam* aliaque ad Rhenum loca; denique *Philippoburgum* ad usum belli cæteris omnibus præstantem urbem, malè à *Cæsareanis* instructam in potestatem redegerunt: Ut jam duobus Galli pedibus *Brisaco* & *Philippoburgo* Germaniæ trans-Rhenanæ insisterent.

2. Interim *Torstenzonius*, rebus contra Danos bene constitutis aliisque commissis Ducibus, & mox pace consopitis, in *Germaniam* se referens, solitâ virtute fortunâque usus *Cæsareanum* exercitum sub *Galassio*, qui Holsatiæ finibus in auxilium Danis appropinquaverat, invadit rejicitque, *Magdeburgum* usque fugientem persecutus, obtrito fere peditatu captisque impedimentis, ut non esset, nisi justa clades. A quâ *Gallassius*, relicto *Magdeburgi* præsidio, tormentisque & impedimentorum reliquiis, ægrè cum equitatu lacer & deformis evasit in *Bohemiam*, quod sub finem *anni* XLIV. *accidit*. *Torstenzonius* autem initio sequentis anni, quo Elector Trevirensis *præliminari* Gallorum & Suecorum

corum apud Monasterium instantiâ è carcere *Viennensi* dimissus est, in *Silesiam Moraviamque* se contulit urbesque partibus suis fidas liberavit, imprimis *Olmutzium* Moraviæ Metropolin arctè à Cæsareanis obsessam. Commoverat tantæ Dux efficaciæ & auctoritatis hostes, ut Cæsar ipse cum fratre *Leopoldo* Pragam se conferret, omnesque vires summâ diligentiâ contraheret, auctas Bavaricis & Ligistarum auxiliis sub *Johanne de Weert* & *Reuschenbergio* claris Ducibus, quibus etiam Götzius aderat, iisque omnibus *Melchiorem Hatsfeldium* plurium palmarum Ducem præposuit; illum occurrere *Suedis* & prælio fidens viribus decernere jubet. Concursum est apud *Jankovium* haud procul *Taborio Bohemorum*. Pugnatum est à primo mane diei, sed mense *Februario*, ad solis occasum usque, cedente primo fere concursu *Duce Cæsareano*, sed reliquis ideo non deterritis; nec quicquam utrimque strenuitati reliquum factum: sed tandem Cæsaris auspicia infractæ *Torstenzonii* ferociæ cesserunt; victi fugatique *Imperiales* plenam *Suedis* cessere victoriam, captivis quatuor millibus gregariorum ipsoque *Hatsfeldio*, cum primoribus tribunorum & centurionum omnique apparatu militari tormentorum ac impedimentorum. *Deweertius* & *Reuschenbergius* cum parte equitatus sibi fugâ consuluerunt, etiam *Imperator* ipse *Pragâ Viennam* cum omni mole fortunæ suæ se proripuit. Fructus victoriæ fuit *Olomutzii* liberatio omnisque *Silesiæ* & *Moraviæ* posses-

possessio indubitata. Sed ad *Brinnam Moraviæ* oppidum non ignobile, victoris impetus hæsit, longâ, difficili & ad extremum inritâ obsidione. Quæ res & *Torstenzonio* cladis instar fuit & *Cæsari* spatium vires copiasque recolligendi dedit: usuque fere venit, quod alias sæpe, ut urbes bene munitæ cœmiteria sint exercituum, qui statariis pugnis & late diffusis victoriis inclaruerant, nec omnes qui hac arte pollent Duces, in *poliorceticis* æquè vigere tunc & aliàs constitit.

3. Res *Gallorum* & *Liguistarum* hujus anni sic sese habent; Atrox fuit pugna Gallorum Duce *Turennio* & Bavarorum cum sociis Duce *Mercio* apud *Mergenheimium*, quo res Gallica fuit inferior, captis *Smidbergio & Rosa* primariis *Vinariensibus*, cum omnibus tormentis & reliquo belli apparatu. *Turennius* se fugâ recepit in *Hassiam*, ubi se cum *Kouingsmarkio* & *D padello* Hassiacisque copiis conjunxit. *Koningsmarkii* in Saxoniam evocati loco venit è Gallia Dux *Anguiensis*, jam magnis prudentiæ & audaciæ speciminibus inclytus, cum novis è Galliâ supplementis. Occupato tractu montano, qui est inter *Heidelbergam* & *Francofurtum* inprimis amoeno, & dein urbe *Wimpfenâ*, Bavari quatuor millibus sub *Gelehnio* militum aucti è *Westphalia*, Gallis occurrerunt, haud procul Memmingâ, mense *Julio*. Prælium fuit atrox & anceps, in quo alterum cornu utrimque profligatum est. *Anguiensis* duobus vulneribus acceptis,

ceptis, tres equos sub femoribus suis amisit. Sed *Mercio* acri & promptissimo in armis Duce interfecto, inclinata & fusa est acies *Bavarorum*, *Gelebnio* cum præcipuis *Tribunorum* capto, licet hominum strages utrimque fere æqualis esset. Gallis cessit reputatio & Fructus victoriæ; *Nortlinga*, *Dinkelspula* minorilque aliis momenti urbibus captis; Sed *Heilbrunnam* frustra tentarunt, eâque relictâ, hybernis sese utrimque abdiderunt, sine novis motibus; quibus se libenter, post tantos labores & jacturas, in longo & inusitato brumæ rigore continuerunt. Exiit annus MDCXLV.

4. Interea *Torstenzonius* ad Brinnam irritum se propositi exercitumque videns exhaustum laboribus & numeris, in Bohemiam illum reduxit, ac inde sive insolens adversæ fortunæ animus eam non tulit, sive, uti res erat, valetudine arthriticâ tantis laboribus impar; supremâ Belli præfecturâ, *bonâ cum Reginæ Senatusque veniâ* se abdicavit, post quadriennium continuis fere victoriis exactum. Successit, ei *Carolus Gustavus Vrangelius*, qui bellum actis in *Thuringia hibernis*, è *Saxonia*, *Bohemia*, *Silesia Moraviaque* vertit ad *Visurgin* fluvium, ubi *Paderbornam*, *Lemgoviam* & celebrem olim *Irmensulis* idolo *Stadbergam*, quæ & *Marspergum*, locum situ munitissimum sed male instructum occupavit. Sed imminentibus his partibus *Cæsareano* Bavaricoque exercitibus, cum, quicquid illis erat præstantium Ducum; *Vrangelius* illis occurrit

in

in *Wetteraviam*, ibique apud *Kinſeinium Haſſiæ* caſtra poſuit; minus quam adverſarii, qui ſua caſtra habebant *Ilmennadi* prope *Niddam* fluvium, compos pabulationum & commeatuum. Ergo per ſimulationem bellicam Cæſareana caſtra transgreſſus innoxiè, cum prius *Moguntiam* flectere viſus eſſet, ſubito in *Franconiam* tendit, eâque populationibus & exactionibus male mulctatâ, *Danubium* verſus contendit, ibique *Donaverdam*, ſuorumque clade funeſtam *Nordlingam* & alia, in quibus operæ pretium eſſet, loca cepit. *Auguſtam* quominus in poteſtatem redigeret, *Cæſareani Bavarique* tota mole belli Suecos tandem conſequuti impediverunt. Illi vero in *Sueviam* tutis locis ſe receperunt, ubi Gallorum à tergo vires habebant ſubſidiarias. Apud *Viſurgim* interim *Melander* ab Haſſis pridem dimiſſus, & ad Cæſaris ſtipendia transgreſſus rerum in *Weſtphalia* ſatagebat, capta ex inſidiis per vim *Paderborna*, *Balduini Remontii* ductu & *Sonſam* in agro Colonienſi, à *Rabenhauptio* Noveſii præfecto obſeſſam liberavit. Atque hæ ſunt res *anni* 1646.

5. *Wrangelius* hyeme adhuc ſæviente *Lindaviam* in Helvetiæ finibus fruſtra expugnare conatus, inde primo vere ſe contulit in *Franconiam*, ubi *Sweinfurto* urbe expugnata, cum *Bavaro* & *Colonienſi Electore* pactus eſt, *ita volentibus Gallis*, indigentibus ipſis, inducias. Inde *Bohemiam* invadens *Egram* in ejus introitu difficili & cruentâ obſidione compulit ad deditionem. Quo minus ulterius

terius progrederetur, fecit *Melander* universo cum imperio *Cæsaris* exercitui præpositus, qui singulari industria vigilantiâque Suedorum impetus elusit; Sane etiam adjutus seditione *Vinariensium Gallo* militantium; tam ob non soluta stipendia, quam quod in Belgium se abductum iri viderent. Tumultuati sunt tam infestis animis, ut *Turennius* reliquum exercitum illis immittendum putaverit, sed munimentis bene tectos omittere coactus, minus ægrè tulit, illos à *Koningsmarkio* bimestri stipendio placatos *Suecorum sacramento* accedere.

6. Interim *Bavarus* & *Coloniensis* Electores seu querelis aliorum Imperii Ordinum, quasi belli communis oneribus se subducerent & pax eo difficilius procederet, seu quod revera Leges induciarum male servarentur, illis ante tempus renuntiarunt, & bellum ubique rursus, *quâ patet Germania*, diffusum & propagatum est, minoribus tamen hac æstate partium prærogativis, nec sine occultâ Gallorum collusione cum Bavaris; Qui *Memmingam*, & Cæsareani *Iglaciam* recuperarunt; *Vrangelius* evocato ad se *Koningsmarkio* Bohemiam ad breve derelinquendam putavit. *Melander* in Hassiam inrupit captumque *Marpurgum*, quum arcem in summo monte sitam capere non posset, deseruit, admonitus periculo, quod ei paraverat *Stauffius* tribunus arcis præfectus: explosis in hospitium ejus, quod recognoverat, septem majoribus tormentis, uno momento; è quibus *Melander* ictu tegu-

tegularum graviter ſauciatus, pluribus & ipſo cubiculi cuſtode occiſis, inde ſe quantocyus proripuit; eſt finis anni MDCXLVII.

6. Anno ſequente *Vrangelius* & *Koninsmarkius* hiberna ad *Viſurgim*, æſtiva ad *Danubium*, *quæ tunc erat ratio deſultoria belli*, egerunt. Facto enim per *Haſſiam* & *Palatinatum* itinere conjunctoque ſibi cum VII Gallorum millibus *Turennio*, *Bavarum* ulciſci ſtatuerunt; *Sueci* odio inveterato, *Galli*, quod clandeſtina cum ipſis conſilia inſtituere ac fovere ſolitus, Auſtriacis tamen conſtanter adhærebat. Igitur menſe *Majo*, *Danubium* apud *Lavingam* trajecere Cæſareanoſque prope *Auguſtam* tendentes adſecuti, in fugam, *Melandro* Duce interfecto, compulerunt. Sequutus fugientes in Bavariam *Vrangelius*, *Lyco* flumine ſuperato *Friſingam* expugnavit, mox *Iſarâ* flumine trajecto, totam quæ cis *Oenum* eſt *Bavariam*, paucis exceptis locis, redegit in poteſtatem, *Oenum ſuperare non potuit*, Bavaro ipſo, qui *Gronsfeldium* Ducem ſuum ad reddendas rationes evocaverat, ſummâ ope, ne trajectu potirentur, adnitente, Suedoſque non ſine clade rejiciente; dum *Galli rurſus*, occultâ in Suecos invidiâ, minus urgent inceptum. *Koningſmarkius* interim poſt prælium *Auguſtanum* cum parte copiarum in *ſuperiorem Palatinatum* dimiſſus crebris irruptionibus *Bohemiam* infeſtabat. Quâ in re uſus eſt ſingulari fortunæ & audaciæ beneficio, quando ipſam *Pragæ* arcem, cum urbe minore quæ dicitur, ampliſſimâque prædâ, cujus pars non

minima fuerunt *illustres captivi*, *aggressus* intercepit. Quo successu absolvendo *Wittenbergium* cum suis copiis evocavit è *Silesiâ*, veteremque & novam urbem, quæ *Moldavâ* flumine à *parva* quam tenebat, separantur, oppugnabat. Sed confluentibus auxiliis & civibus enixè pro aris focisque, Studiosis etiam acriter pugnantibus, in *Octobrem* usque mensem producta est obsidio.

7. Dum ibi laboratur, *Lambojus* in *Westphalia* pro Cæsare curans, cæso apud *Geisecam* captoque ex Hassiæ Lantgraviis *Erncsto*, ab ipsa tamen urbis oppugnatione, magnâ cum jactura depulsus est. Hassi *Gravenbruga* ad *Erftam* fluvium castra locaverant, quos opprimendi occasionem sibi datam esse ratus *Lambojus*, arcessitis auxiliis, equitatu præmisso, peditatu navibus imposito *Sonsam* appulit & postridie mane primo castra hostium invasit, arridente primò successu, *Equitatu Hassorum aliquoties fuso*, ut jam illi fugam spectarent, si pontem in *Erfta* habuissent. Hunc non habentes, *necessitate in virtutem versâ*, hostem dissolutius, ut fit, eos persequentem denuò aggressi summâ vi in fugam conjecerunt omnique peditatu & tormentis instrumentoque bellicis exuerunt: etsi victoria illis etiam cruenta saluti magis quam lucro fuit. Reparantibus utrimque copias & varia molientibus fama pacis & *imperia summarum potestatum armis absistere jubentium*, volentibus nolentibus belli *Ducibus*, otium fecerunt. Etiam *Vrangelio* apud Danubium, *Koningsmarkio* apud *Pragam* & imprimis *Carolo Gustavo*

stavo Comiti Palatino Rheni è Domo *Bipontinâ*, *Gustavi Adolphi* ex sorore nepoti, summo cum armorum Imperio novisque supplementis & cohortibus tantum quod ad exercitum progresso; Qui non modo ad *Pragam*, sed ultra omnem *Bohemiam Austriacasque* ditiones victoriis suis terminum præsumebat, ut erat plenus animi gloriæque cupiditatis immensæ. Quam quod in prosperrimo rerum cursu, nullis adhuc rebus à se gestis, remittere vi majore coactus est, sine spe talem unquam recuperandi occasionem, satis constat ei longe acerbissimum accidisse. Verumenimvero transigendum fuit ambitioni, cum gloriâ parendi & spe aliquando majora, quæ fata panderent, adipiscendi.

CAP. VI.

De statu rerum Germanicarum, Pace Westphaliæ stabilito, anno 1648.

GErmania per *annos triginta* Belli non in finibus suis, sed per omnes tractus & partes crudelissime gesti miseriis, quarum magnitudo & diuturnitas forte nullum par, omnibus seculis, exemplum habet, conflictata, jam à pluribus annis in hoc erat, conventibus *Osnabrugæ & Monasterii* institutis, ut viam, quâ se tot malis evolveret, tandem reperiret. Quæ difficillime equidem, intricatis tot partium, Principum populorumque rationibus inveniri potuit; quando per integrum pene septennium in *preliminari-*

bus quæ dicuntur, hæsitatum est. Instituti tamen sunt aliquando tractatus, idque duobus locis, *Monasterii* cùm *Gallis*; & *Osnabrugæ* cum Suecis, ad evitandas cærimoniarum tricas & Legati Pontificii concursum; quâ in re nostro tempore *Neomagi* tam anxii non fuerunt. Conclusio tamen *Monasterii* Pacis inita est, die XXIV. *Octobris*, *stylo Gregoriano* hujus anni MDCXLVIII. Rex *Galliæ* cum motibus intestinis tum invidiâ prosperitatis, quâ *Suecorum* res in *Germania* invalescebant & exemplo *Belgarum fœderatorum*, qui se bello subducebant, à Pace cum Cæsare & Imperio non erat alienus, *modo quod occupaverat, retineret.* Regina *Sueciæ* cum propter easdem rationes, tùm quod durante bello, Duces magis domini rerum, quam ipsa, viderentur & cupida pecuniæ, quam è Pace sperabat immensam, ut liberalitati an prodigentiæ suæ morem gereret, æquè ad pacem propendebat. *Hassa* dissentiendi causam ab illis duobus non habebat. Cum autem hæc conventio *Monasteriensis* fundamentum sit omnium qui postea sequuti sunt, tractatuum & præsentis Imperii *Romano Germanici* Status, faciendum est, ut quo pacto præcipuè res in eâ sint compositæ, breviter exponamus. Spectant autem quæ sancita sunt vel ad universum Imperii statum, vel ad certas & singulas ejus partes. In utrisque sic animadverti potest; *Suecorum, Gallorumque fortunas in bello fuisse longè superiores & Imperatorem ac Pontificios excidisse magnis ausis*, coactos utpote ad veterem statum rerum, qui

fue-

fuerat ante annum hujus ſeculi XXIV. cujus turbandi gratiâ tantos motus excitaverant. Novum adeo datum eſt exemplum, quo patuit mos „ Divinæ Providentiæ, adverſus ſecuros ſuorum „ præceptorum mortales, ut hoſtilibus inter ſe „ affectibus commiſſi cœleſtis vindictæ contra ſe „ invicem carnifices agant; donec fatigati magis „ quam ſatiati ſanguine cædibuſque poſtremo in „ eum, unde cœperunt, ſtatum redactos ſe „ vident in eoque nolentes volentes acquieſcere „ coguntur.

2. Generales paces leges, quarum ſumma capita, *pleno de rebus judicio ex ipſa Inſtrumenti Lectione colligendo*, delibabimus, ſunt vel Eccleſiaſticæ vel civiles. Primo quidem „ Amneſtia omnium inter „ ſe Ordinum Imperii & belli ductorum tàm „ quod ad damna bonorum, quàm quod ad in„ jurias perſonarum attinet. Secundum quam „ omnia quæ adhuc exiſtunt, reſtituantur in eum „ ſtatum, qui fuit ante bellum, ſalvo cujuſque „ jure, per legitimos tramites perſequendo. Sen„ tentiæ tempore belli, ut partium ſtudio ple„ rumque latæ, executione ſuſpensâ, legitimè „ revideantur. Contractus etiam belli tempore per „ vim extorti jure reſcindantur, neque belli tem„ pora in præſcriptione feudorum partibus ce„ dant vel computentur. Libertati commercio„ rum, abolitis in contrarium inſtitutis, ſeriò „ conſultum. Singuli Principes & Ordines, e„ tiam Liberæ civitates in ſuis Regalibus & „ juribus maneant, nominatim in jure fœderum

 tam

„ tam cum exteris quam inter ſe, modo ne adverſus Imperatorem vel Imperium tendant, „ ineundorum.

3. Eccleſiaſtica ſic fere ſe habent. „ Pax Religioſa Paſſavii primum anno 1552. inita, dein „ confirmata anno 1555. & poſtremò in Comitiis anno 1566. denuo in omnibus ſuis membris & articulis confirmetur. Et quanquam poſt tractatus Paſſavienſes multà à Proteſtantibus bona Eccleſiaſtica integrique Archiepiſcopatus, Abbatiæ & Collegia ſine numero, dicta ſint occupata fuiſſe, quæ pluribus etiam adempta ſunt; „ omnium tamen & ſingulorum reſtitutio fiat, ſecundum eum ſtatum qui fuit „ Kalendis Januariis 1624. Sed præſules Catholicos, qui poſt hac Proteſtantium Religionem „ amplectentur, placuit, incontinenti excidere ſuis „ beneficiis parvis, mediis, maximis. In reliquis „ jam pridem mutatis maneat ſtatus præſens & „ conſuetudo eligendi poſtulandique; modo electi vel poſtulati jurent, ſe beneficia ſua non „ facturos hereditaria petantque inveſtituram à „ Cæſare, ſolutâ ſesquitaxâ; ſalvo etiam imperatori jure primariarum precum. Sed annatæ, „ jus pallii, confirmationis & menſium Papalium ſimiliaque Cancellariæ pontificiæ jura in „ Prælatis Auguſtanæ Confeſſionis aboleantur; „ ſecus in Epiſcopatibus mixtis, qui alternatim „ habent Catholicos aut Proteſtantes, quatenus „ adhuc illa jura ibi in uſu fuerunt. Proteſtantes autem Præſules etiam Capitula, dum ſedes vacant,

,, vacant, aditum ſicut olim, habebunt ad Co-
,, mitia, collocandi medio & tranſverſo ſcamno
,, inter Principes ſeculares & Eccleſiaſticos. Ca-
,, nonici autem ſive Capitulares utriuſque Reli-
,, gionis, manebunt qui fuerunt initio anni 1624.
,, In reditibus etiam nihil mutetur aut in oppigno-
,, rationibus olim factis; quæ maneat ſecundum
,, capitulationes Cæſareas. Singulis Principibus
,, Ordinibuſque Imperii competat jus reforman-
,, di Religionem, ſalvo civibus jure migrandi,
,, retentis aut alienatis bonis ſuo arbitratu; ſub
,, hac limitatione, ut Vaſalli Principum Ordi-
,, numque maneant in libero Religionis exercitio
,, uſuque Scholarum, quod habuerunt anno 1624.
,, Idem Religionis exercitium manebit in Epiſ-
,, copatibus mixtis, ſive utriuſque Religionis.
,, Idem in Collegiis & Monaſteriis omnibuſque
,, mediatis beneficiis. Immediata Nobilitas &
,, liberæ Civitates eodem jure gaudeant, tam
,, quod ad reditûs bonorum quam ad Religio-
,, nis exercitium attinet. Quæ vero Civitates po-
,, pulique liberum Religionis exercitium anno
,, 1624. non habuerunt, libertate tamen conſcien-
,, tiarum cultuſque domeſtici & vicinas adeundi
,, conciones, fruantur. Participent hoſpitaliorum
,, tribuum, collegiorum, omniſque commercii
,, jura. Et hactenus in Imperio; præter heredi-
,, tarias Cæſaris ditiones, in quibus Imperator
,, nihil de jure ſuo arbitrario, quod alii quoque
,, Principes exercent, remiſit; niſi quod Comi-
,, tes, Barones & Nobiles per Sileſiam & Au-

 ſtriam

,, striam inferiorem, non obligati sint ad necessitatem migrandi, sed libertate conscientiarum ,, gavisuri sint. Jurisdictio Ecclesiastica ex legibus Catholicis cessabit in Protestantes, nisi ,, in quibus locis obtinuit ante annum 1624. ,, etiam in locis mixtæ sive concurrentis religionis. In Conventibus Imperii Ordinariis ad res ,, decidendas numerus utriusque Religionis æquetur, nisi cum inter Augustanos solos aut ,, inter Catholicos seorsum Lis vertitur. At cum ,, inter partes diversæ Religionis agitur, pluralitas suffragiorum cesset, sola amicabilis compositio valebit. Placuit præterea peremptoriè ,, decidi quæstionem, An Reformati sive Calviniani sub pace Religiosâ contineantur, & adfirmatum est, eos omnino contineri. Additum ,, tamen, si quis Reformatus fiat Lutheranus ,, aut contra, ne quid in ditionibus mutet, nisi populis ultro petentibus. Quod in futurum ,, ita; ad præterita, nec adeo ad Principes quosdam Anhaltinos non pertineat.

4. *Particularia* pertinent vel ad Imperium ejusque Ordines, vel ad Coronam *Sueciæ* & *Galliæ*. Nam etsi Imperator & Pontificii multis modis seorsim cum Suecis transigere conati nihil non iis indulsissent, id tamen ab his & gloriæ & utilitatis causâ constanter recusatum est; quando minimè ferendo fuissent odio & infamiæ desertarum partium, ad quarum tutelam unicè in *Germaniam* arma sua fuisse translata præ se tulerant. Quod igitur in facultate habuerunt utrum-

trumque fategerunt, tam ut Ordinum Imperii controversias finirent; quàm ne quid suæ deesset satisfactioni. Prioris generis præcipuas attingemus. *Gravissima omnium Quæstio fuit de domo Palatina, cui ut Electoratus ademptus restitueretur*, per *Bavari* potentiam à Gallis *sustentatam*, & *Palatinorum* inopiam *nullo modo impetrari potuit*: Sed is Maximiliano Bavaro ejusque posteris lineæ Wilhelminæ quæ dicitur; *nam Bavarica & Palatina Domus ab eodem ultimo progenitore sunt ortæ; iterum tertiumque adjudicatus est; cum omnibus ejus juribus & præeminentiis*; Vicariatu tamen Imperii vacantis specialiter non expresso; unde lis deinceps. *Pro quo jure plenè peremptoriéque concesso, BAVARUS credito tredecim millionum, pro quo Austriam superiorem diu tenuerat oppignoratam, remisit. Primogenito Palatinæ Domus* Carolo Ludovico, *in solatium tanti decoris amissi, inexpectato admodum exemplo, delatus est* Electoratus octavus, cum officio titulari, quod deinceps inventum est, *Archithesaurarii*, reliquorum exemplo *Electorum*, qui singuli tale quid præ se ferunt. *Octavus iste Electoratus quamdiu linea* vel Rudolphina, sic Palatina vocatur, aut Wilhelmina *defecerit, durabit & tunc Electoratus iterum ad numerum septenarium redigetur. Juxta dignitatem Electoralem Palatinatus inferior eidem* Carolo Ludovico *restitutus est, quemadmodum & reliqui Comites Palatini, qui antehac ditiones in eo separatas possederant, in eas restituti sunt. Fratribus.* Caroli Ludov-

dovici; *quadringenta millia Imperialium, annua, bima, trima, quadrima die solvenda Imperator addixit; sororibus ejus dena Imperialium millia pro dote. Matri semel viginti millia in alimentorum provisionem*, parum profuturo subsidio, quando jam ex *Anglia* nihil amplius percipiebat: Danus avunculus omne subsidium præfractè recusabat, soli Belgæ anhelantem inopiâ matronam recreabant. *Præterea Domus Wirtembergensis in veteres suas possessiones specialiter enumeratas restituitur.* Item Fridericus Marchio *Badensis in eam partem gentilitiæ ditionis, cui nomen* est à Durlach, *quo spoliatus erat pater ejus* Georgius Fridericus; *In Marchionatu* Badensi superiore *manere qui possident, jure præcessionis in Comitiis inter eos alternante. Comites* Saræ-pontani *restituuntur in omnia, cum munimento Homburgo, ut & Comes* Ottingensis ad statum *anni* 1624. *Aliique plures, quos heic recensere non licet.* Eosque inter Comes Oldenburgicus *confirmationem sui vectigalis, in Visurgi pridem ab* Imperatore *emendicatum, gravi præjudicio civitatis* Bremensis, *impetravit:* Etsi Danus idem de suo in *Albi* fluvio vectigali eodem modo ipsi antea concesso obtinere non potuit. *In civitatibus Imperii liberis, Augusta Dunkelspula, Biberaco & Ravensburgo sit regimen mixtum ex utraque religione paris numeri.* Donaverda vero misera futuris comitiis, delegatur, quemadmodum *& Cameræ Spirensis in alium locum translatio*, de quâ jam tum serio actum, at nihil peractum; *sed hoc aliaque plura ad ordinem*

Judi-

Judiciorum spectantia in hac ipsa Pace constituta non ferunt compendium. Sed quod de numero Adsessorum quinquagenario, Catholicis 26. *Protestantibus* XXIV. *præter quatuor præsides* cautum minime omnium dein observatum est, ne dimidiâ quidem parte plerumque apud Cameram agentibus.

5. „ *Sequuntur particularia*, satisfactoria Sue„corum, Hassorum & Gallorum. *Suecis in* satis„factionem suarum acquisitionum & impensa„rum sequentes ditiones pleno jure in perpe„tuum Imperii feudum cessæ atque datæ sunt; „primo tota citerior Pomerania, *vulgo anterior*, „cum insulâ Rugiâ, & parte Pomeraniæ *ulte„rioris, nempe civitatibus* Stetino; Gartzio, „Damo, Golnaviâ & Volliniâ insulâ, unâ cum „interlabente Oderâ & Sinu Frischavio suisque „tribus ostiis, cum parte aliquâ terræ utrim„que adjacentis; reliquâ ulteriore Pomeraniâ „apud Electorem manente Brandeburgicum, „salvo in has quoque partes jure Coronæ Sue„dicæ, si lineam præsentem Brandeburgicam „deficere contigerit. Præterea ceditur Suecis „civitas & portus Wismariensis à Ducatu Me„gapolitano decisus. Tertio, datur illis pleno „jure Archiepiscopatus Bremensis & Episcopa„tus Werdensis. omnia cum juribus Ecclesia„sticis & Civilibus ad singulas ditiones perti„nentibus, etiam cum jure suffragii in Comi„tiis, eâ lege, ut ratione Pomeraniæ *feratur „communicato cum* Electore Brandeburgensi „Consilio; salvo Civitatis Bremensis jure secun-

„dum

„ dum presentem statum, salvis etiam juribus „ & libertatibus singularum ditionum, Ordinum „ & populorum, etiam civitatum Hanseatica- „ rum. *Quia vero* Pomerania *certo jure* pertine- „ bat ad Electorem Brandeburgicum, qui no- „ lens volens, nec nisi multum reluctatus illam „ cessit, huic in compensationem æquè heredi- „ tario jure masculino traditus est Episcopatus „ Halberstadiensis, cum jure Principatus; nul- „ lo amplius Episcopo per Capitulum (quod in „ suis tamen bonis maneat, nisi quod pars quar- „ ta confessionis Augustæ caduca foret) eli- „ gendo vel postulando; Accessit Comitatus „ Hohensteinicus. *Praterea* traditi sunt Electori „ Brandeburgico Episcopatus Mindensis, & „ Camminensis, omnia in feudum Imperii per- „ petuum: Pari jure habiturus Archiepiscopa- „ tum Magdeburgensem, ubi præsens Archie- „ piscopus, qui tunc erat Augustus Saxoniæ „ Dux, hac vitâ defunctus esset, *salvis* Magde- „ burgensium juribus & antiquis libertatibus, ut „ & Capituli bonis; nisi quod Electori quar- „ tam partem liceret facere caducam. Porro „ *Duci Megapolitano*, pro civitate Wismariensi „ Suecis cessa, traditus est Episcopatus Suerinen- „ sis & Ratzeburgensis, salvo jure Saxonis Lau- „ wenburgici Ducis *& aliorum* Additur pro „ Duce Megapol. Suerinensi, ditio Miroviensis „ ad Ordinem Hierosolymitanum spectans, & „ Ducibus lineæ Gustroviensis traditur ditio „ Nemoroviensis ad eundem Equitum Ordinem

„ per-

,, pertinens, cui nihil viciſſim retribuitur Duca-
,, lis Domus Brunſvicenſis pro Coadjutoriis
,, Magdeburgenſi, Bremenſi, Halberſtadienſi &
,, Ratzenburgenſi, *antehac obtentis*, *accepit alter-*
,, *nativam* Proteſtantium, cum Pontificiis in E-
,, piſcopatum Oſnabrugenſem, ex familiâ Do-
,, mus Brunovicenſis & Luneburgenſis, idque
,, certis conditionibus, quas heic referre longum
,, eſt. Hæc omnia in Suecorum gratiam eum in
,, modum ſancita & diſtributa ſunt, quibus po-
,, ſtremo pro militum ſuorum exauctoratione
,, promiſſi ſunt quinque milliones Imperialium,
,, ſolvendi *tribus penſionibus à* VII. *Imperii circu-*
,, *lis*, qui ſunt Electoralis Rhenanus, ſuperio-
,, ris Saxoniæ, Franconicus, Suevicus, ſuperior
,, Rhenanus, Weſtphalicus & inferior Saxonicus;
,, Circulus Auſtriacus pro Cæſareana militia,
,, Bavaricus pro Bavaricâ reſervabatur.

6. ,, *Suecis ita dimiſſis*, Haſſiæ Lantgravia, *filii*
,, Wilhelmi *Tutrix*, *Gallorum & Suecorum ſocia*
,, *belli*, *ſuam quoque partem ſatisfactionis obtinuit*,
,, adſignatâ ipſi Abbatiâ Hirsfeldenſi, cum qua-
,, tuor præfecturis antehac Mindanæ ditioni
,, vindicatis. Marpurgenſi quoque ditione, *quam*
,, *per ſententiam olim amiſerat*, *retenta*, *certis*
,, *conditionibus*, *de quibus jam antea cum* Haſſo
,, Darmſtatino *convenerat*. Addita & Haſſis pe-
,, cunia, ſexies centum millia Imperialium
,, ſolvenda è Moguntinâ, Colonienſi, Pader-
,, bornenſi & Fuldenſi ditionibus & cæteris,
,, quæ tunc Haſſiacis Contributionibus erant
,, ſub-

„subjectæ. De Gallicâ satisfactione separata
„Conventio inita est. His omnibus additur
„Sanctio, quâ præsens Conventio Pacis pro
„lege fundamentali Imperii consecratur, Re-
„cessibus Imperii & Capitulationibus Cæsareis
„inferenda, non obstantibus ullis Juribus Ca-
„nonicis aut Civilibus, Conciliorum Decretis,
„Privilegiis, rebus judicatis, Protestationi-
„bus, juramentis, pactis aut concordatis cum
„Pontificibus; abrogato etiam Edicto *Interim*
„*Caroli V.* & Edicto Reformationis à *Ferdi-*
„*nando II.* anno 1629. promulgato, sub pœnâ
„fractæ violatæque pacis publicæ in transgres-
„sores.

7. Pacis Gallicæ cum Cæsare & Imperio capita, quod ad statum Imperii *Romano Germanici* attinet, fere ex Suedico quod habuimus *Instrumento*, breviter repetita fuerunt, *etiam exemptio Basileensis civitatis & omnis Helvetiæ à Jurisdictionibus Imperii.* Propria sunt hæc ferè, *Restitutio Electoris Trevirensis à damnis Arresti Luxemburgici, cum restitutione Castrorum Ehrenbretstein* & *Hamerstein. Domui Wirtembergicæ Mompelgardensi restituuntur sua per Alsatiam & alibi. Porro in Satisfactionem Galliæ Regis, ei conceduntur in Supremum dominium Civitates & Episcopatus Metensis, Thullensis & Verodunensis, cum oppido Moyenvico, qua adhuc nullo quam armorum jure possederat. Etiam Pinarolum, quatenus Romano Imperio jus in eam ci itatem competebat. Imprimis autem Imperator & Domus Austriaca*

ſtriaca cum Ordinibus Imperii, cedunt omne jus in Alſatiam Superiorem ac inferiorem & in Suntgoviam, cum Briſaco & Præfectura Provinciali Decem Civitatum Imperialium in Alſatia ſitarum. Hoc autem notabile diſcrimen inter ceſſiones Suecis & Gallis factas valuit, quod ditiones in Suecos tranſlatæ membra Imperii manſerunt, cum Inveſtitura à Cæſare impretandâ & jure Seſſionis atque ſuffragii in Comitiis. Sed regiones Gallis conceſſæ ab Imperio Romano penitus alienatæ regnoque Galliæ *incorporatæ*, ut loquuntur ac unitæ, *quin & ab Imperii matricula expunctæ ſunt.* A quâ tamen Regiâ ſuperioritate non modo *Argentina* civitas, ſed etiam reliquæ decem minores civitates Imperiales, Epiſcopus, Abbates, Comites, Barones & Immediata nobilitas, quæ magno ibi numero reperitur, eximuntur atque in Imperii ſubordinatione relinquuntur, ut nihilo plus Galliæ Regibus in illos juris competeret, quam Auſtriacis anteà competebat. Duntaxat in Caſtro *Philippoburgi jus haberet protectionis tenendique præſidium perpetuum, ſalva juriſdictione vel proprietate Epiſcopo SPIRENSI, ad quem pertinet.* Civitati *Tabernarum* jus *Neutralitatis* addicitur, & jus extruendi novas munitiones in Germanica Rheni ripâ inde à *Baſilea Philippoburgum* uſque prohibetur. Perceptis autem quæ ceſſa fuerant, tam Sueci quam Galli promiſere, ſe exercitus ſuos ex omnibus reliquis Imperii locis deducturos, nominatim Galliæ Regem Archiduci *Ferdinando*

Caro-

Carolo, restituturum quatuor civitates *sylvestres dictas, cum Havestenio Comitatu, sylva nigra, totaque superiori & inferiori Brisgovia & Ortnavia.* Cæteræ clausulæ sanctionesque ita ut in Suedico instrumento conceptæ fuerant, repetuntur.

8. Notabiliorem pacem aut Transactionem à multis seculis in *Europa* non fuisse initam satis constat, præsertim ob enormes Civitatium populorumque alienationes, quæ invitis illis, factæ nullam Juris, nisi à vi majore & à *necessitate* rationem habebant. Imprimis facta vis maxima *Ecclesiæ* quam *Catholicam* vocant, quæ proprietatem & jurisdictionem in homines ditionesque Ecclesiasticas à multis seculis solidissime habens elaboratam, pati coacta est, ut pars eorum valde memorabilis à sinu Ecclesiæ rapta & dilacerata in seculares effunderetur. *Fabius Chisius* Pontificis Legatus, qui dein Papa fuit *Alexander VII.* solenniter equidem & summo jure contra ea quæ transacta fuerant protestatus est. Sed magis solliciti fuerunt *Imperator & Ordines*, quo pacto pecunias *Suecis & Hassis* promissas conficerent; quando exercitus eorum tantisper alere cogebantur; Qua de re *sectione sequenti* nonnihil adhuc dicendum superest. Atque ita finitum est hoc bellum toto orbe funestissimum, diremptis quidem Partium controversiis; *sed causis divisionum minime sublatis*, & Germaniæ, multo quàm fuerat antea, deteriore statu, diminutis enormiter ejus opibus, exhaustæ pecu-

nüs

niis hominibusque per infinitas exactiones & vastationes, tot urbibus pagisque in cineres redactis, tot hominum myriadibus, ne de cædibus dicam; in exilium actis; Auctâ Ordinum inter se diffidentiâ, diminutâ *Cæsaris* auctoritate; duobus Monarchis suprà cervices suas, quibus Germania portas duobus lateribus ipsa patefecerat, constabilitis. Denique, populis multo quam fuerant olim redditis infelicioribus, eo quod Principes illorum armis adsueti, militaribus imperiis & duro servitutis jugo mollibus olim suetos imperiis oppresserunt.

SECTIO II.

De rebus Danorum, Suecorum, Polonorum & Hungarorum ab anno 1633 *ad* 1648.

CAP. I.

De rebus Danicis.

CHristianus IV. Daniæ Rex, bellis in adolescentiâ contra *Suecos* feliciter gestis & pace cum illis factâ longe superior, deinceps *bello Germanico* minus quidem feliciter, salvo tamen regno suo reique militaris laude in ipso non imminutâ defunctus, postea depositis belli consiliis, regno excolendo reique domesticæ procurandæ totum se dedere cœpit. Excitatus aliquantisper enormi

profperitate gloriâque *Gustavi Adolphi*, ad invidiam, & pacis ei commendandæ ſtudium, quod forte, ſi *Guſtavum* mediocriter offendiſſet, in bellum fuiſſet converſum. At illo repente ſublato, hæc quidem æmulatio ceſſavit, animumque adjecit *Chriſtianus* ad unionem regnorum; ſi filium *Chriſtinæ Sueciæ heredi* conciliare poſſet; quod inſitâ populorum à ſe invicem alienatione magniſque rationibus *Status*, quæ dicuntur, ſucceſſum habere non potuit: etſi compluribus annis, dum puella nuptiis erat immatura, ſpe non penitus extinctâ. A Belli igitur *Suecis* inferendi, quod alioqui ſpem lucri evidentem oſtendebat, cum ob hanc qualemcunque ſpem, tum propter inteſtabile & exitiale odium, quod à Proteſtantibus, ſi Suecos à liberandâ, ut ferebant, Germaniâ, avocaſſet, evitare non potuiſſet, ſe penitus avertit. Sed quia *Sueciam* cum omni reliqua *Europâ*, quæ ad ipſius regna reſpectum haberet, armis belli occupatam videbat, nullam occaſionem commodi aut emolumenti pro ſe ſuiſque conſequendi negligebat, eo quod neminem belligerantium, florentem opibus acremque bello Regem offendere auſurum exiſtimabat. Danda ſunt quædam ſpecimina. Unum de anno 1634. Poſt cladem *Nortlinganam* accidit, ut *Archiepiſcopus Bremenſis*, cujus agrum omnem Sueci, Epiſcopo *reditibus bonorum archiepiſcopalium relictis*, occupaverant, moreretur. Filius olim ſecundo genitus *Chriſtiani* Regis *Fridericus* ad eundem *Archiepiſcopatum* poſtulatus fue-

fuerat; sed huic juri, pace *Lubecensi* renunciaverat. Sueci erant in possessione; contages *Nortlingana* cladis erat tam violenta, ut ad extremas Imperii oras pertingeret, neque *Sueci* quicquam præter contradictiones & protestationes per *Grubium & Salvium* legatos suos, ut tum res erant, opponendum haberent; *Danus* auctoritate pecuniâque abundabat. Quare congregatis *Archiepiscopatus Bremensi* & Episcopatus *Verdensis* Ordinibus, Princeps *Fridericus* eorum consensum, possessionemque sine difficultate adeptus est, ipso Imperatore nihilo magis *Dano*, quam reliquis, negare quicquam sustinente, nedum investituram feudi jam occupati atque possessi.

2. Reliqua duo specimina prius inchoata longiorem sequelam habuerunt. Inde ab *anno* MDCXXX. vectigal apud *Gelucstadium* in naves *Albin & Hamburgum* frequentantes instituerat, auctoritate propria; dein post *Nortlingana* tempora, *Cæsaris* Rescriptum & *Electorum* aliquot consensum impetraverat: unde non multo minus compendium, quam ex freto *Orizundico* sibi pollicebatur. Sed *Hamburgenses* dein non modo precibus & rationibus, sed etiam largitionibus in Aulis *Cæsarum* & *Principum*, quæ tempore belli omnia devorantis harum erant avidissimæ, repugnarunt, tandemque abolitionem ejus à *Cæsare* & *Imperii Ordinibus* impetrarunt, anno 1636, *Belgis* quoque fœderatis, quorum navibus primo se parcere velle, dictis potius quam re, testabatur, vim, si *Danus* persisteret, ostentantibus; quod

Cæsar & *Ordines* pro illo tempore, prætextu revocandi jus *Dano* concessum gaudentes, ægris minime tulerunt animis; *Hamburgenses* etiam aucti *Cæsaris* mandato, ut *Albis* securitatem procurarent. Ab eo tempore, cum juris causa deficeret, iræ injuriisque *Danorum* illis undique imminentium obnoxii vixerunt, Quod etiam in manifestum bellum erupit *anno* MDCXLIII. *Dano* illos ut rebelles tractante, quod adversus se ut *Dominum hereditarium* & agnitum insurgerent. Cujusmodi jus & subjectionem *Hamburgenses* negabant; esse quidem pacta conventa reciprocæ obligationis inter *Civitatem Hamburgensem & Domum Holsaticam*, sed eam non inferre subjectionem civitatis infra *Duces Holsatiæ*: quando sibi à tempore *Caroli Magni* quævis Regalia, Fisci, fœderum, monetæ jus cum omnigenâ jurisdictione, tanquam *Civitati liberæ Imperiali* competiissent, idque sibi confirmatum fuisse in Comitiis Augustanis *anno* 1510. & adjudicatum sententiâ Cameræ Imperialis *anno* 1618. *pro Hamburgo contra Regem Daniæ tanquam Holsatiæ Ducem.* Sed huic bello finis est impositus, ut fere civitatibus accidit locupletibus, solutione *ducentorum & octuaginta millium Imperialium*, quam civitas certis pensionibus Regi præstaret, causâ *vectigalis* in medio relictâ.

3. Hujusmodi prosperitates & opinio, quod neminem, in tanta bellorum totius *Europæ* distractione florentem interpellaturus esset, auxerunt insolentiam Regis, ut Piscationem in hyperboreo mari aliis

liis Gentibus, quasi Dominus ipse maris ejus & Groenlandiæ, prohibendas putaret; misso cum aliquot navibus *Vlefeldio*, qui duas naves Belgicas, à suis tamen majore vi recuperatas, cepit, & cum Belgæ in Dania quererentur, id esse factum ab *Vlefeldio*, præter juris rationem, responsum acceperunt, ipsos repetendo per vim naves, fecisse tanquam *sceleratos* & *perjuros*; nec multo civilius legati eâ de re solemniter missi ab ipso Rege responsum acceperunt *anno* 1638. ut etiam tractatus & audientias Legatorum, Glucstadio, ubi agebat, subito profectus eluderet. Etsi Belgæ hac parte se postea facile tueri potuerint, in *Orizundico* freto, Dani insolentiam suam vi majore tuebantur, dum Rex vectigalia pro lubitu augebat, minuebat, mutabat, rursus augebat, nulla ratione fœderum aut conventionum cum *Suecis*, cum *Belgis*, cum *Hanseaticis* aliisque civitatibus habitâ, multo minus tractatu hereditario *Spiræ* inito *anno* 1544. quo Danus nihil à navigantibus, quam tres *rosas nobiles* pro transitu navium centum *lastas* excedentium, sine aliis vectigalibus aut inquisitionibus exigere poterat. Executionibus acerbiores erant navigantibus, injuriæ, contemptus, moræ, ludificationes, quibus ministri vectigalium & Regis ipsius, si conquererentur, uti solebant; accedentibus sæpe *calumniis fiscalibus* & mercium publicationibus. Sueci præterea ferebant ægerrime, quod, etsi aperte à Danis non oppugnabantur, multis *tamen ab illis transversariis adsiduo vexarentur*. Reginam matrem Sueciæ Proceribus

offensam, ad res turbandas pellexerant in *Daniam*. Promiserant Imperatori, se pro vectigali *Glucstadiensi* bellum *Suecis* illaturos, vel tantas illis molestias creaturos, ut bonam copiarum partem Domi retinere cogerentur. Quod etiam ex parte revera præstiterunt, etsi *vectigalis* institutum non successerat. Atqui nihilo secus mediatorem pacis *Osnabrugæ* sese importune ingerebat *Christianus*, jam à Cæsareanis admissus nec à *Suecis*, ut res erat, recusari poterat. Quibus tamen id minus placebat: Ergo ut justum haberent illum non admittendi prætextum, placuit eum in statu *hostili* constituere. Quod tam inexpectato fecerunt, ut verè scripserit *Daniæ* Rex ad *Ordines fœderatos*, in sinu, hoc ejus incommodo gaudentes, non magis se hoc bellum expectassé *quam ut cœlum rueret*.

4. Torstenzohnius *initio anni* MDCXLIV. mediâ hyeme profectus è *Moraviâ*, stetit, antequam adventus nuntiaretur, cum exercitu, in *Holsatiâ*, quam totam, exceptis *Gelukstadio*, *Crempâ*, paucisque locis aliis, unâ cum *Jutlandiâ* Legionibus suis Sueci occuparunt, dictitantes hyberna se capere in regione Imperiali suisque favente hostibus, quod etiam citra bellum sibi liceret. Aquis gelu perviis equitatui factis, reliquas regiones paludosas & præ aliis abundantes in potestatem redegerunt. Imo si glacies in *Belta*, quæ *Fioniam* à *Jutlandiâ* separat, satis valida fuisset, in ipsam insularem *Daniam* penetrassent. Quod ut impedirent *Dani*, locum in littore *Beltæ Jutlan-*

landico muniverunt; Interim mille quinguentos equites amiserunt apud *Coldingam* & peditatus, quem in eadem Provinciâ habebant, *quatuor millium*, à *Torstenzonio* in propriis castris oppugnatus dedere se coactus est. Ab alterâ parte *Gustavus Hornus* è Suetia in *Scaniam* irruptione factâ, *Helsinburgum* freto incumbens oppidum occupavit.

5. Terrestri bello *Danus* ita necopinato oppressus & contra veteranas Suecorum legiones, *ipse licet intrepidus*, nullâ parte subsistens, mari hostes coarctare studuit, obsesso *portu Gottenburgensi* & littora navesque Suecorum ubique infestans, *Suecis* ea parte virium adhuc imparatis: Sed corroborati sunt à *Ludovico de Geer*, *Amstelodamensi Mercatore*, qui xxv. naves sumptu Suecorum in belli usum instructas misit in *Suetiam*, permittentibus *Fœderatorum Ordinibus* ex lege fœderis jam pridem in hunc eventum initis; nec enim minus Belgæ quam *Sueci* Danis ob exactiones & insolentias infensi erant: Etsi ad suppetias ex eodem fœdere dandas, se teneri non putabant; *eo quod Sueci, contra quam dictum erat in fœdere, viam Compositionis & communicationis neglexissent*. Batavica classis portum quidem *Gottenburgensem*, pulsis *Danorum* navibus aperuit, sed exercitum in *Fuoniam* insulam, quod agebatur, obstante majori classe Danicâ, transportare non potuit. Quin mense *Junio* cum auxiliaris Belgica se domum recepisset, & Sueci aliam majoribus constantem navibus classem parassent, con-

 cur-

cursus utriusque Classis factus est apud *Femeram* insulam; ubi *Christianus* ipse Rex suæ classi præerat, honesto quoque vulnere in oculo è ligni fragmento perstrictus; occiso ad Latus ejus *Eylhardo Vlefeldio.* Suedicam regebat *Flemmingus* Thalássiarcha; post acerrimam commissionem, *Suedica se in portum Christianoprisium* recipere coacta, illic à Danis obsessa fuit; qui cohortibus aliquot in terram expositis occupatoque monte, Suecos inde classemque ipsam tormentis infestare cœperunt, eo successu, ut *Flemmingium* ipsum, corpus lotione curantem interfecerint. Huic in rei maritimæ imperio successit *Vrangelius*; qui cum adhuc integrum mensem in eodem portu non sine periculo & incommodo hæsisset, tandem prospera tempestate se *Stokholmiam* recepit. dum interim terrestre bellum, *Torstenzonio* ad instantiam Gallorum cum majori parte copiarum in Germaniam reverso; postquam *Gallassium*, qui cum auxiliis Imperialibus se Danis juncturus erat, ex *Holsatiâ* repulisset; æquis fere viribus gerebatur, parvis hinc inde cladibus acceptis datisque; nisi quod in Scania res Suedica superior visa est, capta ab illis *Landskronio & Laholmio*; unde liberæ in Blekingiam & Hallandiam excursiones.

6. Sed magis nocuit *Danis*, quod classis inimica, contra quam existimaverant, & *Stokholmiensis & auxiliaris Batavica* eâdem æstate rursus in mare prodiit; Quibus impar *Danica* se Hafniam subduxit: verum Sueci ad insulam *Femeren* pro-

vecti

vecti sedecim bellicas Danorum naves, exceptis duabus, perdiderunt aut in potestatem redegerunt. Consilium erat, aliquam è Danicis insulam occupare; quod facile factu corruptum est morâ in portu *Kielensi* facta; quo cum se reparandi instruendique causâ recepissent, aquæ segniter illic adfluentis inopiâ retardati, & sic hyeme ingruente, domum se recipere coacti sunt.

7. Etsi autem *anno sequente* Vrangelius in *Holsatiâ & Jutlandiâ*, *Koningsmarkius* cum alio parvo exercitu in *Ducatu Bremensi* omnia fere in potestatem redegissent, *Danis* tamen vires animique in Suecos non deficiebant; *nisi aliunde vis major incubuisset*. Nam *Suecis* adsiduo in *Hollandiâ* urgentibus implementum fœderis *ante quadriennium* cum *Belgis fœderatis* in hunc ipsum eventum initis, tandem ita Legatis eorum apud sese agentibus insinuarunt; *habere se facultatem, obtinendi pacem à Dano, bonis conditionibus; malle tamen ita, ut Belgis non minus à Dano gravatis pariter satisfieret: verum ad hoc opus esse, uti classem cum suâ conjungerent, ut ita junctis viribus Danum ad aquas Leges adigerent*. Cum hoc duo Legati, tertio in aula Suedica manente, in *Hollandiam* profecti illic proposuissent, animi Procerum & plebis diuturnis *Danorum* exactionibus & insolentiis mirificè exulcerati, ad occasionem hanc amplectendam ita inflammati sunt, ut quicquid *Dani*, *Galli* & ipse Princeps *Arausionensis* obniterentur, decreta sit Classis *quinquaginta* navium celerrime paranda ac armanda;

quam & paratam armatamque Duce *Wittenio* miserunt in Daniam, quæ & ipso Rege *Christiano* spectante, fretum classemque regiam minime sibi parem transvecta, naves Belgarum mercatorias in omnes maris Baltici partes dimisit; Rege salutato Ducis gestu & ictibus, ut fit, tormentorum; Dein otiosa substitit; utpote conciliatoria & pararia Pacis, donec illa confecta foret. Pervicerunt enim *Belgæ*, cum *Danos* omnis spes, *etsi paulo ante opes Hispanicas & Austriacas jactaverant*, dereliquisset, ut tanquam Pararii sive *mediatores*, qui apud utrosque belligerantes legatos suos habebant, admitterentur, unâ cum *Gallico* Legato; Quibus operam dantibus tandem inter *Suecos & Danos* convenit, ut re mercatoriâ navigationibusque Orizundicis certo legitimoque modo sancitis & constitutis, secundum quam *Sueci* ab omnibus Danorum vectigalibus erant liberi & immunes, Dani *Suecis* in satisfactionem traderent *Jemptiam*, cum *Herensdaliâ*, Norvegiæ Provinciam Suecis valde commodam, cum insulis *Gotlandia* & *Oeselia*; quibus accessit *Hallandia* pignoris loco tenenda à Suecis, cum munitis locis *Laholmio*, *Halmstadio & Warburgo* per annos *triginta*, qui faciunt *perpetuitatem* juris civilis. Ita *Bromsbroæ* in Finibus *Daniæ Suetiæque* convenit. Quam invito & reluctanti generoso Principi, *Christiano*, hæ conditiones extortæ sint, facilius intelligi quam dici potest. Non cessaverat offerre, quicquid vellent, *Belgis*; modo causam suam à Suedicâ separarent. *Hoc si*

im-

impetro, dixerat ad suos, *Suedi nullum pedem terræ habebunt*: Cum replicaretur, id omnibus modis esse tentatum, obtineri non posse; *Fiat ergo voluntas Domini*, inquit; addens tamen, *Injusta vincula non ligant*. Quod nec Sueci aliter intelligebant, haud duraturam diutius pacem, *cujus hostes pœniteret*, quam usquedum viribus ad amissa recuperandum fiderent: Contra quod illis cautio fuit. Illo ipso tempore *Sueci* longe majora flagitaverant & consequi potuissent, si Belgis animus fuisset, opprimere *Danos* & *Suecorum magis quam suis studere commodis*. Quomodo ipsi cum Danis pacti sint *Christianopoli*, in capite *Belgicarum rerum* videbimus. Hæc adulta *æstate* 1645.

8. *Christianus* Rex tantâ jacturâ, quam non *minus quarta regni sui parte* æstimabat, magis prope in *Belgas* quam in *Suecos* animatus, iræ quoque suæ indicia dabat, sublatis apud fretum signis brevium & ignibus specularum; *unde crebri errores & naufragia*. Rem pecuniariam non minus etiam exinde sollicitè curavit. Cujus specimen dedit, quod hereditatem matris suæ, quæ longa parsimonia è dotalitiis reditibus ingentem pecuniæ vim reliquerat, *inter nepotes neptesque distribuendam*, injuste retinuit: nec quidem sororis filiæ Reginæ *Bohemiæ*, cui frater *Carolus* Rex suam quoque partem cesserat, quicquam inde summâ licet inopiâ conflictatam erogare voluerit. Quin cum illa familiæ erciscundæ irrita, mutuo saltem peteret XXIV. *Imperialium millia*,

pau-

pauperrimæ Principi, cui nihil amplius ex *Angliâ* suppeditabatur, tantillum beneficium negare sustinuit: Quod *Ordines Fœderati* proinde suppliciter ab illâ rogati magno animo, nunquam reddendum, crediderunt. Ira tamen adversus Belgas paulatim cessit consilio & utilitatis rationi; quâ persuasum est Regi *Christiano*, posse fieri, ut Belgarum amicitiam *in se, contra Suecos*, quorum potentia ipsis amicis invidiosa fiebat, verteret, misso in eum finem *Corfitzio Ulefeldio*, summæ viro industriæ & eloquentiæ, Belgici quoque sermonis; qui Suecorum potentiam mari terrâque amplificando, veteresque in Danos offensas amoliendo Regi suo utilem navavit operam *anno* 1646. Idque post Regis obitum diligentius elaboratum & longius provectum est, ut deinde videbimus. Ipse decessit è vitâ in ultimo *hujus sectionis* anno MDCXLVIII, *mense Februario*, *die* XV. cum imperasset ab ætate undecenni per annos *sexaginta*, raro in Regibus exemplo.

CAP. II.

De Rebus Suedicis.

RES Suecorum in *Germanicâ* & cum *Danis* post obitum *Gustavi Adolphi* gestas, *quantum hujus fert ratio instituti*, habuimus. Ipsius regni si qua sint memorabilia paucis prosequemur. Mors gloriosissimi Regis non potuit non *Suecos* in summam adducere consternationem, nullis ex eo liberis, præter unicam filiam *sex annos*

annos natam CHRISTINAM, relictis, cui patre jam vivo, successionem *, si mares deficerent*, adseruerant. Sed nihil inde præter nomen, præsidii; Concordiæ tamen & prudentiæ animique satis erat in Proceribus & populis; *sed rei pecuniariæ summa erat angustia*, effuso in defuncti Regis expeditiones quicquid præ manibus erat, Rusticis inprimis exhaustis & fatigatis. Summam tamen rerum ex lege Regni & Ordinum voluntate, quinque supremi Magistratus, qui sunt *magnus Prætor*, *Dux militiæ*, *Marescallum* vocant, *Thalassiarcha*, *Cancellarius* & *Thesaurarius regni* in se receperunt, cum Tutelâ Reginæ. Prima his cura fuit adversus *Poloniæ Reges*, quibus sui juris hereditarii & paternæ coronæ ab usurpatrice puellâ vindicandæ occasio pulcherrima nata videbatur. Sed bello, quod tum fervebat, *Muscovitico* distractus *Uladislaus* nihil adversus concors Regnum movere necdum perficere potuit. *Oxenstirnius* etiam *Cancellarius*, Germanicis rebus præpositus aliquot inde legiones in *Sueciam*, quibus & Imperii vis contra novarum rerum cupidos & præsidium adversus exteros præstaretur, dimisit.

2. Ipse rebus stabilitis, *Consilium formatum* è fœderatis & *præsidium Belli Germanici* apud *Francofurtum* ad Mœnum stabilivit; habens in animo tamen, pacis occasionem, si daretur honesta, non recusandi; modo Sueci justam satisfactionem, quam præcipuè in *Pomerania* sibi proponebant, obtinere possent. At cum hanc *Bran-*

deburgicus, ad quem ſucceſſio pertinebat, nullo modo amittere vellet, mora tracta eſt, donec clades *Nortlingana* eamque ſequuta pax *Pragenſis* *Suecos* ad extrema conſilia vel omnia deſerendi vel ultra vires adnitendi compelleret. ultimum placuit hominibus cordatis & fortibus conſilium; quia gratia *Oxenſtirnius* magno comitatu in *Galliam*, cujus adhuc ſubſidia pecuniaria quam ſocietatem armorum maluerant, profectus, inde ſpem certam Societatis abſtulit. E Gallia in *Hollandiam* digreſſus nullum quidem fœdus per temporis brevitatem contraxit, ſed omnis benevolentiæ affectuſque in futurum obteſtationes, *quæ nec vanæ fuerunt*, accepit. Verum imprimis, quoniam Induciæ cum *Polonis* initæ quinquennales expirabant, id actum, intervenientibus Legatis Regum *Galliæ* & *Angliæ* Ordinumque *Belgicorum*, ut renovatæ ſint induciæ *productæque* ad annos XXVI. duraturæ uſque ad primam *Julii* ſtylo veteri anno MDCLXI, quem terminum, *ut eſt fere ſors induciarum, adſecutæ non ſunt*; addito, *ſi quid interim gravius incideret, quod ad violationem Pactorum accedere videretur, id a Commiſſariis utrimque dandis ſopiretur & decideretur.* Hoc pacto *Sueci Polonis* eam *Pruſſiæ* partem, quam adhuc poſſederant, reſtituerunt. Acta res *Strumsdorfi* in *Pruſſia* die XII. *Septemb.* 1635. Iiſdem temporibus *Sueci* frequenter Ordines Belgii fœderatos incitarunt impuleruntque ad Societatem belli Germanici, At his perpetuo ſedit propoſitum *Neutralitatis* cum Imperio. Etſi partibus quan-

quantum poterant favoris impertiebantur; etiam subsidia darent pecuniaria; quæ singulari industriâ extundebat *Haga Comitum*, *Spiringius* Suecorum Legatus liberalitate minisque, fore, ut alioqui pax à Suecis eligeretur; etsi jam Gallis ad belli continuationem essent obligati. Atque ita cum à Gallis Sueci nihil, quam pro certis præstationibus & cum obligatione continuandi bellum impetrarent, à Belgis sine ulla præstatione vel obligatione identidem pecunias ad *quinquagena florenorum millia menstrua* eliciebant, donec frigore inter Belgas & Suecos oborto paulatim cessaverunt.

3. Quomodo exinde res *Suecorum* in *Germania* fortitudine prudentiâque *Bannerii*, *Torstensonii*, *Vrangelii* & aliorum longe aliam induerint faciem, *suprà* dictum non repetemus. Res erat illis ad mare sitis hyperboreum, in agro sterili, gloriosa neque lucrosa minus, *Exercitus habere potentes, alienis sumptibus altos in Europa meditullio, Nobilitatem suam illic imperiis & honoribus extollere & exornare; Inimicos suos, ubi in mentem illis veniret, immissis legionibus veteranis & induratis, ulcisci & cogere ad ea quæ vellent*; quemadmodum egere cum *Danis*, ut *præcedenti capite* intelleximus; contra quos adhuc amicitiam studiose cum *Belgis fœderatis* coluerant: cum quibus & mutui fœdus auxilii maximè in Dani invidiam contraxerunt, anno 1639. quod tam secretum in ipsa quoque *Hollandiâ* est habitum, ut Daniæ Rex Imperialium *millia decem* pro co-

pia

piâ fœderis ejus condixerit, ut fama tulit; res in Belgio satis inusitata. Sed tam arta Societas post *bellum Danicum* aliquanto frigidius se habere & offensionibus quibusdam, à *Danis* studiose observatis, conturbari visa est. Primo, quod etsi *Belgica* classis terrore, *Sueco* amplissimas *Daniæque pœnitendas* conditiones impetraverant, tamen *Hollandorum* calliditatem insectati sunt, quod ampliora commoda pacis illis inviderant. Quæ quidem iniquissima erat Querela, vocibus & scriptis jactata magis quam mota legitimè. Aliquanto majorem habebat speciem, quod *Belgæ Fœderati* ad impensas classis in *Daniam* missæ & militum in illam expeditionem conscriptorum iis à quibus mutuo sumpserant, refundendas, domi suæ instituerunt *vectigal* æquale veteribus in freto *Danico* exigi solitis vectigalibus: Quod Suecorum naves in Belgium appulsæ perinde ac aliæ solvere cogebantur; Ajebant, *hoc esse iniquum, ut cum ipsi in freto Danico liberi ac immunes essent, hac ratione vectigali Orizundico, perinde ac alii, subjicerentur.* Erat in promptu responsio; *Classem in rem communem fuisse paratam & ipsis maxime profuisse, qui proinde partem aliquam contributionis ægre ferre non deberent; maxime, cum ante expeditionem Belgicam non immunes in freto, sed etiam confiscationibus obnoxii fuissent.* Qua tamen ratione Sueci non contenti naves *Hollandicas* in suis portubus, ultra *Suedicas*, onerarunt, in singulas *Lastas* quaternis *Imperialibus*, quod erat pactis *anni* 1640. adver-

sum.

ſum. Præterea ſtatuerunt, naves *Suecorum* in *Hollandiâ* factas, non fruituras immunitate naturalibus Suecis conceſsâ aliaque ad rem mercatoriam moliri cœperunt, quæ non modo ad *retorſionem* exactionum in *Hollandiâ*, ſed & ad rem navalem illorum ſubruendam pertinerent, ſuamque in mari *Baltico*, cujus circumjectas regiones manifeſto ſub ſe redigere adfectabant, potentiam ſtabiliendam; ut *Dani*, atque *Poloni*, Batavis non adſpernantibus, adſiduo inculcabant. Unde poſtremo Tractatus *Redemptionis* qui dictus eſt, inter Danos & Belgas initus odia ſtudiaque magis intendit ac inflammavit, quâ de re *ſequenti libro* agendum.

4. Regina *Suecorum* jam pridem nubilis facta à Regni ſui Ordinibus, nec minus à Conſobrino ſuo *Carolo Guſtavo*, ad nuptias ſollicitabatur, ut regno *prolem acquireret*, *regnaturam*, *dum Sol luceret in mundo*, fuere verba *Hugonis Grotii*, qui ex *Suetiâ* redux anno 1645. *de* 18. *Auguſti* mortuus eſt *Roſtochii*. Verbis illis uſum fuiſſe eum adverſus *Quiſtorpium* Theologiæ Profeſſorem, adſeveratum mihi à *Joh. Henr. Boeclero*, qui res Suedicas apprimè callebat; Etſi ab aliis nihil dixiſſe referatur ad *Quiſtorpium*, quam, *non intelligo*, cum ex criſi morboſa ſurdaſter factus eſſet. At hoc Reginæ non interfuit; cui decretum fuit, non uti conditione matrimonii, nec ulterius *Carolo Guſtavo* ſe obligare, *quam ſe nulli alii quam ipſi nupturam*, ſi nuberet unquam. Erat excellenti in omni genere literarum ingenio,

F

nio, de quibus perite acriterque judicabat, doctorum hominum undique evocatorum consortio gaudens: Quâ in re, pace facta, nusquam major quam in Suetiâ fuit abundantia. De pacis autem ratione & conclusione *dicta non repetemus*, hoc tamen áddito; Inter dissentientes à Pacis instituto fuisse *Oxenstirnium* Regni *Cancellarium*, cum magnis rationibus; Quas cum tenere non posset, etiam ab Aulâ discedendum putavit. *Carolo Gustavo* post executionem Paci procuratam, reversoin Suetiam, nolens volens Regina concessit, ut *ab Ordinibus* Successor proximus declararetur, cum appellatione *Celsitudinis Regiæ*, & reditibus Aulæ *Principis* convenientibus. Quo autem certæ Provinciæ cum imperio præficeretur, quemadmodum *Gustavus* Rex olim fecerat erga filios & quod Ordines ac ipse Princeps desiderabant, nullo modo concedendum putavit, palam professa, *nimium è jure Regio peti*. Jam tum sine dubio præsagiens, heroicam Principis vigilantiam, suæ majestati aliquando non levi præjudicio futuram.

C A P.

CAP. III.

De rebus Polonorum.

SIgismundo Regi succedentem audivimus filium *Uladislaum*, qui justis Patri solenniter factis initio anni MDCXXXIII. ab *Archiepiscopo Gnesnensi* Primate regni *Cracoviæ* Diademate cinctus & inauguratus est. Inter alios *Ordinibus fœderatis* auspicia regni & amicitiam denuntiavit, per *Uladislaum Janum Radzivilium* principem juvenem, Leidæ operam studiis dantem, naturâ cultuque facundum & ingenio promptum; ut *Leidæ* paulò ante demonstraverat, cum unum è suis domesticis reum cædis supplicio eximere non potuisset. Insolens æqui juris Princeps & Polonicæ memor licentiæ, *in Auditorio publico* & actu solenni surrexerat, nec veniâ impetrata truci Oratione in præsentes *Rectorem & Professores* invectus, eos *crudelitatis & injustitiæ*, verbis tonantibus ac atrocibus insimulavit. *Sed ut nihil est ineptius Eloquentiâ intempestivâ*, Senatus *Academicus*, ut ineptiam magis quam injuriam illam in Principe transmittendam putavit. Hic jam Legati munere fungebatur, inter alia commendans, ut commercia cum *Muscovitis*, *Poloniæ* hostibus, quod ad res belli usus attineret, in his oris prohiberentur. Nam post composita regni negotia & omnia transitibus rerum solita, sancitâ quoque discrepantium Religionum securitate, quas inter *Russi Græcos* ritus sequentes, quorum non

pauci, in Ducatu maxime *Severiensi* Muſcovitis à *Sigiſmundo* pridem adempto Polonis parebant, belli Muſcovitici nata eſt occaſio. Quippe ditionem Severienſem cum Urbe *Smolensko* in longitudinem *centum fere milliaribus* & in latitudinem haud minus *quadraginta* parentem *invaſcre*, *ſperantes*, poſt obitum *Sigiſmundi*, ſe novum Regem imparatum reperturos. Ergo *Michaelem Sekinum & Simonem Prozorovium* duces cum exercitu *quinquaginta* fere *millium* in *Lithuaniam* ferro & igne cuncta vaſtaturos miſerunt, qui in obſidendâ *Smolensko* deſierunt, eamque civitatem, cui præerat vir ſtrenuus, *Staniſlaus Wojewodius*, ob penuriam pulveris nitrati & præſidiariorum ad extrema redegerunt.

2. Sed Rex, præmiſſo *Chriſtophoro Radzivilio Vilnenſi Palatino*, qui hoſtem ab una parte diſtraheret, ipſe cum reliquo exercitu in alterâ parte *Boryſthenis* conſiſtens, hac viâ diſtractis hoſtibus, in urbem penetravit, & *Moſchos* ex reliquis urbem claudentibus munimentis, *trajecto fluvio*, diſjecit; qui ſe in caſtra bene munita, & inſtructa non procul ab urbe receperunt, haud ſegni conſilio; ut, *Polonis ob hyemem inopiamque digreſſis*, rei melius gerendæ occaſionem expectarent. ſemel interim concurſum eſt haud totis viribus & *abſque notabili partium prærogativa*. Sed in ſpe durandi contra *Polonos* decepti ſunt *Moſchi*, patientiâ Regis *Uladiſlai*, qui valetudine licet infirmiore, per hyemen totam, ſub pellibus, vel potius *in ligneâ ſatis anguſtâ casâ*

ſe

ſe continuit, in omnibus militiæ muniis & laboribus exemplo ſuo militibus eandem addens conſtantiam. Diſtrahendis *Polonorum* viribus *Turcæ* ex pacto cum *Moſchis* inito, *Tartaros* in *Cameneccienſem* agrum immiſere. Qui populatione defuncti, & in *Moldaviam* digreſſi, à *Conjecpolskio* cum *bis mille quingentis Quartianis* deprehenſi, diſſipati, prædâque rurſus ſpoliati ſunt, capto inter alios genero *Cantemirii Murzæ* Principis *Tartarorum*. *Conjecpolskius* audito *Abazium* Turcam cum *quinquaginta millibus*, trajecto *Danubio*, *Poloniæ* imminere, in tutum ſe recepit, munitis apud *Caminiecum* caſtris, eoque omnibus quæ corrogare poterat, copiis in unum contractis. omnes quidem barbarorum populationes impedire non potuit, à *Caſtrorum oppugnatione Turcas* magnificè nec ſine magna ſuorum clade rejecit & profligavit.

3. *Turcæ* exinde ſe ad ſua receperunt. In *Lithuania*, *Moſchi* & *Poloni*, algendo & eſuriendo magis quam pugnando certationem belli exercebant: quâ tandem facultate, *Poloni* ſuis agris propinqui & levi equitatu, quo *Moſchorum* commeatus impedire poterant, abundantes, ſuperiores evaſerunt: *Moſchis* è caſtris ſuis, abjecto omni belli inſtrumento apparatuque caſtrorum, ſe proripientibus. Inſequente autem illos *Vladiſlao*, menſe *Martio* MDCXXXIV. pacem petere compulſi ſunt, eâ lege, ut Smolenskum omnemque Ducatum *Severienſem Lithuaniæ* conjungi paterentur; *Vladiſlaus* autem juri olim ſibi ex

electione *Moschorum* delato renuntiavit & *Boririum Federovizium*, ut magnum *Muscoviæ* Ducem, quem ipsi *Czarem*, id est, *Cæsarem* vocant, agnovit. Quâ re Turcarum Imperator intellectâ, iratus *Abazio*, qui belli *Polonici* in *Moschorum*, à quibus pretio corruptus erat, gratiam præcipuus auctor fuerat, ipsum quidem strangulari jussit, cum *Polonis* vero amicitiam reconciliavit.

4. Hoc modo redintegrata ab utroque latere *Poloniâ* submotisque duobus terrificis hostibus non vulgari Regis *Vladislai* gloriâ, *sequens* annus haud minus commodi à parte *Borussiæ Polonis* attulit, recuperatis sine sumptu & sanguine civitatibus egregiis *Elbinga*, *Mariæburgo*, *Dirsaviâ*, *Brunsberga* & quicquid Sueci præterea ex veteribus *Gustavi* Regis victoriis in *Prussia* retinuerant; *Pilavia*, quam etiam tenuerant, *Electori Brandeburgico*, ad quem pertinebat, restitutâ; Idque pro vicennali Induciarum beneficio, tam quidem *Suecis*, quorum in *Germania* res coarctatæ erant, necessario. Quominus in Pacem *perpetuam* Partes consentirent, fecit obstinatio non renuntiandi *Suetiæ* regno in *Vladislao* ejusque fratre *Casimiro*. Nam duos, *Johannem Albertum* Cardinalem & *Episcopum Cracoviensem* XXIII. annos natum atque *Alexandrum* biennio minorem & ex Italica peregrinatione reducem, *superiori* amiserat *anno*; parante *justissimam Providentiâ orbitatem familiæ quatuor florentissimis juvenibus, ex incesto matrimonio natis, subnixæ*. Tam prosperis *Polonorum* rebus, unde alias abun-

bundantia, Rex *Vladislaus* tamen, ut fit in liberis regnis, parum pro regiâ fortunâ opibus abundabat; cujus argumento rei fuit habitum, quod Legatos induciarum *pararios* muneribus valde modicis ex argento inaurato, quod purum illi esse putabant, prosequutus est: addito tum quidem, sibi non esse copiam majorem, brevi sequuturum regiâ dignum magnificentiâ donum; quod substitit in promisso: Sed erat opinio, non animi quam facultatis eum fuisse defectum idque in historiam influxit; nisi forte Poloni certis causis minus de legatis; quod sit verisimilius, contenti fuerint.

5. Secundum hæc, proxima de matrimonio Regis cura fuit;· Agitata sermonibns *Elizabeth* Palatina luculento celebris ingenio & studiis etiam culto, ut Legati quoque Polonici apud *Hagam Comitis* aliquando ita præ se tulerint, haud seriò, ut videtur. Plures commendabant *Aloysiam Mariam* Nivernensis in *Galliâ* domus & Ducatus heredem. Sed prælata est vicinitatis ac utilitatis respectu *Cæcilia Renata*, *Ferdinandi II. Cæsaris* filia, quæ à Principe *Casimiro* Regis unico fratre aliisque legatis expetita festiveque in *Poloniam* deducta *Varsoviæ*, Regi juncta paritérque inaugurata est, *anno* 1637. cum qua vixit usque ad annum seculi XLIV. mensem *Martium*, quo ex puerperio decessit, edito in lucem filio principe, sed qui lucem vix salutatam è vestigio reliquit.

6. Cæterum, Poloni inciderunt in bellum atrox & molestum adversus *Cosaccos* sibi subje-

ctos *anno* eodem. Militarem ſuetamque latrociniis turbam ita perpetuo continere, *ne extra præſcriptum vagaretur*, fieri non poterat. Non tantum in *Tartaros* & *Turcas*, contra quos in patentibus & fertiliſſimis ad *Boriſthenem* campis olim à *Stephano* Rege collocati fuerant; ſed etiam in ipſos *Polonos* excurrebant & prædas agebant, à terra colendâ laboribuſque tranquillis, ad quos Poloni Reges adducere eos conati ſunt, alieniſſimi. Ergo compeſcendis illis egregius *Conjecpolskius* juſſu Regis ad *Boriſthenis* & *Samaræ* confluentes arcem munire cœpit eique nondum plane perfectæ, tuendis operariis ducentos impoſuit *Germanos*, quos Coſaci, digreſſo *Conjecpolskio*, ſubitâ vi oppreſſos occiderunt opuſque diſturbarunt. Qui hanc inſolentiam & rebellionem ulciſceretur, miſſus eſt *Nicolaus Potoccius* Palatinus *Braclavienſis*, qui præliis aliquot profligatos ac intra *Borrovitiam* urbem concluſos fame compulit ad deditionem loci & Ducis ſui *Paulutii* rebellionis cauſa electi, cum aliis quatuor primis auctoribus; ſpe à *Potoccio* facta, vitam illis ſalvam futuram. Sed *Ordines* in comitiis non probantes tam fœdam rebellionem ſine exemplo tranſire, *Paulutio* capitis ſupplicium irrogarunt, *anno* 1638. Quæ res ita *Coſaccos* efferavit, ut in novum bellum eruperint, electo Duce *Kilminiezio* nobili exule Lithuano, adverſus quem non modo *Potoccius*, ſed etiam *Conjecpolskius* operam omnem dare coacti ſunt, non ceſſantibus Coſaccis fœcundiſſimos *Polonorum* agros

agros & nobilium domos excuſsâ Imperii Lege ſine fine modoque infeſtare, capto etiam *Aſaco* ad oſtium Tanais emporio: unde Turcas mari terraque non minus quam Polonos vexaverunt.

7, Sed inſequenti anno Princeps *Caſimirus* Poloniæ Regis frater in *Hiſpaniam* profecturus, quo *Luſitaniæ* Præfecturam, ut Galli jactabant, in ſe reciperet, utique partes Hiſpanorum palam ſequutus,cum *Maſſiliam* prætervheheretur,in *Gallicum* littus, recreandi ſui cauſa aliquando exſcendit, ubi à Præfecto Regio detentus, inde prius in Arcem *Salona*, mox *Citeronem* traductus, poſtremo in *Arce Vincennenſis Sylvæ* paulo minus biennio habitus eſt in cuſtodiâ; donec ſummi *Pontificis* & Regis *Uladiſlai* fratris precibus, *data cautione de non proſequenda illius injuriæ vindicta*, honorificè dimiſſus eſt *anno* MDCXL. Quod adeo fideliter ambo fratres executi ſunt, ut exinde quaſi malo ſuo docti, *partium Auſtriacarum obliti*, ſe *Gallicanis* illigaſſe videantur; quando & *Uladiſlaus* deinde, mortua conjuge Auſtriacâ, è manu *Galliæ* Regis accepit *Ludovicam Mariam Nivernenſem* jam olim ei commendatam; cum ipſe *Annam Catharinam* ſororem ſuam collocaſſet *Philippo Wilhelmo Comiti Palatino Neoburgico, Juliæque & Montium Duci anno* MDCXLII. Sed Regis novæ nuptiæ inciderunt in *annum* XLVI. quo tempore ſerio actum eſt de *bello Turcico*, ad ſublevandos *Venetos*, offerentibus his *ſexcenta Imperialium millia*, quibus Rex opus eſſe di-

cebat ad contrahendos mercenarios, & quæ Ordines suppeditare noluerant: Quorum auctoritate deficiente, postremo totus ille tractatus abiit in fumum, & mors *Uladislai* biennio postea, qui fuit XLVIII. seculi, *sectionis hujus terminus*, accidit, absque liberis & immaturus eoque funestiore casu, quod exinde *Cosacci*, imbelliâ successoris freti longe acriorem & plane hostilem induêre defectionem; quâ de re locus erit *agendi inferius*.

8. In *Muscovia* quoque jampridem excesserat è vitâ *Michaël Federovitzius*, qui è satis longo imperio repentina morte, (venenum erat in rumoribus) decesserat. Filius eum sequutus *Alexius Michalowitzius* finem incontinenti fecit negotio *Valdemari* naturalis *Daniæ* Regis filii, ante *biennium* in Moschos, spe nuptiarum cum *filia magni Ducis* profecti. Facile erat, quando *Valdemarus* apud *Moschos* fortunam quærebat, in animum inducere, græcos ritus & opiniones apud illos regnantes eum aversari non debere. Tamen cum de perficiendis nuptiis ageretur neque de religione conveniret, in Colloquio super eâ re instituto, quod dein est evulgatum, *Moschorum sententias refellere*, & contra illos argutari instituit. Unde non modo nuptiarum spes evanuit, sed etiam offensâ contractâ minus procul à captivo quam prius à sponso abesse visus est; *Alexius* illum honorifice dimisit.

CAP.

CAP. IV.

De rebus Hungariæ.

HArum gentium res omni hoc *intervallo temporis, quo præsens sectio decurrit,* satis sub imperio *Cæsaris* quietæ, cum à *Turcis*, qui nihil hac parte moverunt, tum à *Germania* & à motibus intestinis egerunt; nisi quod anno seculi xxxv. *Georgius Rakozius*, *Transylvaniæ*, sub clientela *Imperatoris Turcici* Princeps, incidit in litem primo, deinde bellum apertum cum *Istvano Bethlenio* Gabrielis sive *Gaboris* fratre; qui favore *Turcicæ Portæ* fretus & auxiliis inde receptis, *Rakozio* majorem metum quam periculum fecit. Quippe *Amurathe* totis viribus in Persas commoto, cum *Bethlenius* ab eâ parte justis viribus non sustineretur, etsi *Budæ* Præfectus cum exercitu xxv. millium in Transylvaniam descenderat, à *Rakozio* tamen (cui Imperator, etsi tum prævalidus in Germaniâ, subvenire noluerat) heroicè profligatus, tandem omnibus exutus copiis in *Bulgariam* rejectus, amicorum ope consilioque cum *Rakozio* reconciliatus est, eique satisfacere & submittere se gratum habere debuit; quod accidit anno MDCXXXVI. Et *Rakozius* pacem à *Turcis* quamlibet invitis & frendentibus extorsit.

2. Non erat tam inquietus *Rakozii*, quam fuerat *Gaboris Bethlenii* Antecessoris ejus animus, neque se belli rebus inter *Catholicos* & *Protestan-*

tes magnopere miſcuit, niſi in poſtremâ *Torſtenzonii* in *Bohemiam* & *Moraviam* expeditione proſperâ contra *Cæſareanos*. Quo tempore pridem iratus, quod Imperator ei à Turcis invaſo auxilium negaverat, paſſus eſt ſibi perſuaderi, ſe facile ea, quæ *Gabor* habuerat, aut alia quæ cuperet & deberi ſibi contenderet, ab *Imperatore* conſecuturum. Infeſtus igitur in *Hungariam* ſuperiorem cum exercitu ingreſſus *Caſſoviam* aliaque nonnulla in poteſtatem loca redegit. Ideoque *Cæſar* exercitus *Germanici* partem validâ *Hungarorum* manu ſub *Comite Buchemio* cum adverſus *Tranſylvanos* dimittere coactus, brevi tamen poſtea, cum *Rakozio*, bonis conditionibus tranſegit. Ipſe Principatum etſi electivum, Ordinum & Turcarum conſenſu ad filium ſuum tranſmiſit, qui libro ſequente materiam de ſe loquendi ſuppeditabit.

SECTIO.

SECTIO III.

De rebus Italicis.

CAP. I.

Ab anno 1632 *usque ad* Pacem Placentinam 1637.

RES *Italiæ* in hujus sectionis initio erant in profundâ quiete, quando armis inter *Gallos* & *Hispanos* commissis, scintillæ ad extremitates ejus penetrarunt, anno seculi xxxv. occupatâ per Ducem *Rohanæum*, qui in otio Venetiis agens ab Aulâ Gallica ad hoc bellum adhibitus erat, postquam præcesserat *Lalandius*, *Valle Tellina*; sperantes, ita eventurum, ut *Veneti*, sicut olim fecerant, conservandæ huic Valli & ab *Hispanis* avertendæ symbolam conferrent: Sed illi nihil ab alterutrâ parte victrice, quemadmodum eo tempore res erat, metuentes, *neutris se adjungere*, sed utrisque eadem officia præstare statuerunt. Quod si *Rohanæus* cum suis *quinque millibus* peditum, *quadringentis equitibus*, præter *Lalandii* copias, incontinenti Ducatum *Mediolanensem* invasisset, non parum detrimenti *Hispanis* inferre potuisset: Maluit expectare, quid alii Principes instituerent ac interea Vallem custodire satis existimavit. *Sabaudum* quidem *Galli* obnoxium hinc *Pinarolio*, inde

inde *Monteferrato*, quod in ipſorum erat arbitrio, tenebant. Is igitur etſi in Hiſpanos voluntate pronior, tamen in fœdus adverſus eos cum *Gallis* conſentire debuit, multam illis quidem moleſtiam, at his parum utilitatis in progreſſu collaturus: Quemadmodum & ſuo parum contulit decori, eo quod tum maximè *Regis Cypri* titulum, ut Regios honores, quos adfectabat, juſtius urgeret, imprimis adverſus *Cardinales*, qui ſe Principum honoribus ſatis importune ingerebant, adſciverat. Sed illa regii nominis uſurpatio, ſine re vel ſpe, præſertim, quia *Veneti* longiſſimâ poſſeſſione à Turcis ademptâ, jus potius acquiſiverant, his quidem indigna, reliquis frigidior videbatur. Præter *Sabaudum* Galli *Odoardum Farneſium Parmæ & Placentiæ* Principem, naturâ moribuſque ſimillimum Gallis & jam *anno ſuperiore* conſiliis eorum illigatum militibuſque è *Gallia* miſſis inſtructum, ſibi conciliarunt; eo quod *Hiſpani* præ ſe tulerant, ſe fratrem ejus *Alexandrum* natu majorem, ſed mutilum & à Parentibus ſepoſitum, quem ipſe tenebat in cuſtodiâ, rebus præpoſituros. Societatem illam Hiſpani non tam potentiæ quam ſitûs cauſa, inter *Mediolanum* & *Neapolim* medii ſuſpectabant. Dux *Modonenſis* cùm diu inter partes amicitiam venditaſſet, poſtremo contractâ cum *Hiſpanis* ſocietate, *tria militum millia* ſubmiſit in *Ducatum Mediolanenſem*. Sed *Mantuanus* nihilo magis quam *Sabaudus* liber, acceſſit Gallis; his fœderis inter om-

omnes legibus, *Gallus exhiberet decem millia militum in Valle Tellina, duodecim millia in ipsa Italia, peditum, cum mille quingentis equitibus, inter fœderatos Principes pro rata distribuendos. Si quid acquireretur, id deinde justa inter socios proportione divideretur*; Pactione, quæ semper in potentioris commodum exire solet. Venetis Galli non incertam partionem validiori deinde cessuram, sed partem non spernendam *Vallis Tellinæ* & regni *Mediolanensis*, si occuparetur, offerebant: Sed illi sociorum vires rectè pensiculantes, propositum *Neutralitatis* tenuerunt, quam Hispanus amicitiæ, Gallus offensæ imputabat.

2. *Victor Amadæus Sabaudiæ* & *Pedismontium* regulus erat Dux supremus fœderatorum; *Crequius* Dux imperabat *Gallis*, qui pariter trajecto *Sesia* fl. *Villatam* munimentum occupavere, fugamque per *Ducatum Mediolanensem* latè sparserunt, incolis tutum in Venetâ ditione receptum habentibus. Interim *Crequius Valentiam* parum probante *Sabaudo*, portam sibi, ut rebatur, in agrum *Mediolanensem* aperturus, obsidebat; Sed cum ita non abundaret copiis, ut locum ab omni parte concludere posset, *Hispani* subsidiis aliquoties immissis, conatus ejus eluserunt, & cum *Sabaudus* ad obsidionem adfluxisset., eorum discordia fecit, ut *Hispani* primo gravi eruptione damnum illis non modicum inferrent, & mox sub oculis eorum novo in urbem subsidio introducto, solvere illos obsidio-

ſidionem coëgerint; ſe invicem, ut fit, ſiniſtri ſucceſſus reos peragentes, & poſtremo ne nihil egiſſe viderentur, munimentum *Bremæ* nomine, opportuno loco ad infeſtandas *Hiſpanorum* ditiones ædificarunt.

3. Sed *Auſtriaci*, *Vallis Tellinæ* poſſeſſionem nullo modo *Gallis* relinquendam judicantes, *Ferramontium*, è *Tiroli* cum *quatuor peditum millibus & equitibus quadringentis in* Vallem immiſerunt, qui civitate *Como* ejuſque Comitatu facile capto, iter inde, copiis auctis, in Vallem parabat, idemque ab altera parte, miſſus ab *Hiſpanis Serbellonus* satagebat. Sed *Ferramontius* ad pontem *Mazzonis* ſuper *Addam* fluvium à Duce *Rohanæo*, numero licet inferiore notabili, magna cum clade fugatus eſt; Idemque *Serbellono* parabatur, niſi fama *Rohanæum* præveniente, ſubducendi ſe tempus habuiſſet ſub arcem *Fontanam*; ac interea *Montauſierius* Gallorum Dux oppidum *Bormium* manu armata cepit, ipſe tamen ex vulnere mortuus. *Germani* autem inſtaurato *ad octo millia militum* exercitu, *Rohanæo* numeris per morbos & transfugia admodum debilitato imminebant in Valle *Fraelenſi*; Qui *virtutem ex neceſſitate colligens* occupato colle, minatus, impetum in illos à tergo, eam ſpeciem fecit, ut omnes, in turpem fugam conjiceret. Inde *Rohanæus* è veſtigio ad *Serbellonum* cum Hiſpanis VII. *millia peditum*, *ſeptem equitum turmas & quatuor machinas bellicas* habentem, in adverſa parte Vallis, perrexit,

rexit, numeris ipsi nulla parte comparandus. Tamen non dato suis vel hostibus se mutuo cognoscendi spatio, illos sua maximè promptitudine & audaciâ invasit, rupit & profligavit; *in rebus parvis ingenti parta gloria*, quam fortuna vel æmulatio aut inimicitia vetus in Aula deinde corrupit.

4. *Grisones* ad quos *Tellina Vallis* ante bellum pertinuerat, eâ nunc penitus *Austriacis* ademptâ, petebant, ut sibi ex pactis pridem cum *Galliæ* Rege initis restitueretur. Quâ de re cum mandata *Rohanæus* ex Aula peteret neque acciperet, *certas conditiones*, quibus ea res *Grisonibus* concedi posset, *Consilio Regis* proposuit; Quæ cum placuissent Aulæ ac ipse eas *Grisonibus* persuasisset, è Galliâ Ratihabitionis loco novæ propositiones missæ sunt. Quæ *Grisones* ita exacerbarunt, accedente offensa, *quod decies centena millia florenorum* stipendii, ipsis debita, non solvebantur, ut versa parte, cum *Austriacis* apud *Oenipontem* transfegerint *Kalendis Novemb.* MDCXXXVI. his legibus, ut *stipendia à Gallis debita, solverentur ab Hispanis*, *ut vetus jurisdictio Vallis Tellinæ ipsis, sine distinctione Religionum*, etsi deinde sola Catholica ibi recepta fuerit, *restitueretur*, aliaque multo *quam à Gallis habere* potuissent, luculentiora adepti sunt, firma cum spe, *fore ut pacta bene, post experimenta*, servarentur. Hanc revolutionem actu sequutam *Rohanæus* in tempore sciverat, Regios commonefecerat, etiam impedire potuerat, nisi morbo

debilitatus fuisset, accedente fame exercitus sui & Peste inopiâque pecuniæ; quæ nulla mittebatur. Quibus rebus factum, ut obsessus in Arce quam ad *Rhenum struxerant Galli*, & dedere se coactus, nullum quam ut *Venetias* denuo se privatus reciperet, invenerit consilium, quemadmodum pluribus ipse in *Apologiâ* sua persequitur. A Regiis hoc imprimis illi, nec temerè objectum, quod solus *Coiram* persuadendis *Grisonibus*, ubi convaluisset, profectus fuerat, & non potius ad exercitum, qui sub *Lequio* ad octo millia adhuc erat in valle, se contulisset, quo, stipatus nova *Grisonum* consilia facile discutere potuisset. Nunc & Lequius abitum liberum pactus *Vallem Tellinam Austriacorum* commodo, Grisonibus reliquit. Fuisse eam rem à *Rohanco* secundum æquitatem potius quam prudentiam militarem administratam, dicendum videtur nec aliud apologiâ sua conficit.

Hispani interea classe numerosa in mare deductâ, post ingens detrimentum naufragio acceptum, duas in *Provinciæ* Litore insulas à *Sancto Honorato & Margaritâ dictas* occuparunt & muniverunt, excursiones inde facturi maritimas & terrestres; quod propositum *Galli* non contemnentes majoribus tamen in *Germaniâ Belgicâque* negotiis impediti neque maritimis instructi viribus, tum quidem *Hispanos* illic nidulantes adspexerunt. In Italia quoque *Galli*, viribus *obsidione Valentiæ* exhaustis, fœderatos *Principes* tueri non poterant; quos inter omnium

nium promptissimus *Parmæ Dux agens Lutetiæ Parisiorum*, dum ibi ludis & *seriis* rebus studium suum erga *Francos* ambitiose ostentat, initio anni XXXV. res suorum agi & ferri *ab Hispanis* intellexit, postquam *Sabaudus Modenæ* Duci, qui partium erat *Hispanicarum*, cum suis copiis aliquandiu molestus fuisset. Sed *Farnesius*, *Lutetia* se proripiens, onustus *Aulæ* promissis, *Crequium* tamen ad opem sibi ferendam viribus suis diffidentem impellere non potuit; ipse per devia solus ad suos delatus est, etsi *Rohanæus* adhuc in *Valle Tellina* rerum compos à suâ parte *Hispanos* infestare sociosque *Parmenses* allevare instituebat; sed virium inopiâ metuque, ne *Tirolenses* Vallem invaderent, longius progredi non potuit: Qua re expeditionem à cæteris fœderatis mox in Ducatum *Mediolanensem* initam inscius corrupit. Quod enim Galli promiserant *Parmensi*, se per *diversionem* quam vocant, ei succursuros, id serius quam *Rohanæus*, eoque jam ad sua reverso præstiterunt. Ingressi enim *Novarense territorium*, primo *Fontanetum*; ubi *Toirasius*, ille celebris, qui tum sine imperio castra sequebatur, occubuit; occupaverunt. Inde *Ticinum* fluvium *Mediolano* propinquum, nemine prohibente, quia *Leganezius* Gubernator cum exercitu aberat in *Placentina Parmensique* ditione, trajecere, maximumque in urbem intulere terrorem, fugam & pene tumultum; Adeò, ut si vires justæ adfuissent, vel tempus cum *Rohanæo* melius fuisset comparatum,

forte *Mediolanum* in potestatem redegissent.

6. At *Leganezius* cum exercitu approperans invenit *Gallos* & *Sabaudos*, rei frumentariæ causa, *Ticino* medio, separatos. Tam insperatâ occasione haud segniter usus, *Gallos* maximo impetu invasit, apud *Tornaventum* vicum; qui cum alacriter resisterent, postremo tamen succubuissent, nisi *Crequius* tam diu pugnam ingenti valore continuasset, dum *Sabaudus* ab alterâ parte cum suis cohortibus succurreret; Quo factum, ut ancipiti *Marte* noctuque separati sint, tribus hominum millibus fere, utrimque cæsis, utrâque parte victoriam sibi adscribente: *Sed Itali* hoc elogium *Leganezio* deberi putant, *ideo quod Aggressor, si non progrediatur, victus videtur & Galli post prælium retrocedere coacti fuerant*, *Crequio* & *Sabaudo* parum inter se concorditer agentibus; hæc *mense Junio* MDCXXXVI. quo *Parmensis* jam liberatus ab hostili exercitu, necdum tamen recuperare potuit *Rotofredum* ab *Hispanis* nuper captum; auxiliis *Gallorum* per res *Belgicas* minus prospere cedentes retardatis. Unde *sequentis anni* Principio tota belli mole in *Parmensem* à fœderatis seclusum incumbente, *Leganezius* ipsum in urbe *Placentiâ* obsidione constrinxit, occupatâ statim ab initio insulâ *Pâdi*, in quâ aquatiles erant civitatis; ut tamen oppugnationis vim minus intenderent *Hispani*, quod intelligerent, quantâ cum *Pontificis*, supremi *Ducatus* domini, & omnis *Italiæ* indignatione & invidia, quæ rebus eorum minime expediebat, ur-

bem

bem in poteſtatem eſſent redacturi: Toti ad pacem *Odoardo* injungendam animos ſuos induxerant; In quo conſilio, *Pontifex*, & magnus *Hetruriæ* Dux ipſique *Veneti*, negatis abſciſſe, quæ Parmenſis rogaverat, auxiliis, cum illis conſpirabant.

7. Neque diu reſtitit levis *Odoardi* animus, promptior ad arma capienda, quam incommoda belli ſuſtinenda; Pax inita eſt, *ſub lege reſtituendi omnia, nominatim quæ in Regno Neapolitano ad Farneſium pertinentia in Fiſcum redacta fuerant, præter Sabionettam* præcipui oppidum momenti & munimenti, *quod Hiſpanis* pro centum millibus aureorum cederet. Difficultas erat in executione Pacis, eo quod præſidium *Placentinum* maxime è *Gallis*, ſub *Comite SinPolio* conſtans, urbem ipſumque *Principem* in ſuam poteſtatem redigere potuiſſent. Ergo tractatu pacis accuratiſſimè diſſimulato, cum de omnibus conveniſſet, Dux ſub prætextu Luſtrationis, *omnes Gallorum cohortes ſeorſum loco aperto convocavit*, verſiſque in illas repente *machinis bellicis*, *oratione blandâ neceſſitatem ſuam & pacis concluſionem totius Italiæ conſenſu ſibi expreſſam declaravit*, ipſiſque commeatum incontinenti impertitus eſt: Qui circumventos ſe & deſtitutos videntes, nihil quod opponerent habuerunt, initio anni MDCXXXVII. De Sabionetâ quod convenerat, cum ſcirent Hiſpani id reliquis *Italiæ* poteſtatibus ingratiſſimum fore, ſedulo diſſimulatum eſt, præſidio in urbem ſub *Brancaccio*, ficto prætextu, introducto. Nec ea

res illo tempore, tametsi veritas brevi innotuerit, ullum motum in *Italia*, ubi alio tempore, non sine maximâ concussione transmissa fuisset, excitavit.

CAP. II.

De rebus Italiæ, A Pace Placentinâ usque ad Castro-Parmense bellum, anno 1641.

ETsi Galliæ Rex & *Richelius* pacem *Placentinam* ægerrime ferebant, excusationem tamen *Odoardi Farnesii*, qui de affectu suo securos esse jubebat, facilius admisere, quam *Crequii* defensionem; quâ tamen, profectus in Aulam, ita defunctus est, ut *novis cum copiis in Italiam remitteretur*, agnoscentibus negligentiæ suæ culpam *Gallis* in *Valle Tellina* & *Parmensi* destituendo commissam, meritoque sociorum à fœdere suo alienationem metuentibus. Sed interim *Leganezius* in *Monferrato*, *Ponzonem*, quæ civitas viam ad *Finalium* Hispaniensem portum aperiebat & *Nizzam Paliæ* dictam, denique & *Algianum* occupavit. Quibus peractis, *Crequius* reversus, cum sex millibus *peditum* & duobus equitum *millibus Sabaudo* se conjunxit rupemque *Arassum* obsidione, quæ cessit in irritum, cinxit; nec amplius illâ æstate quicquam, præter excursiones & minores conflictus, administratum est.

2. Sed *Octobri* mense die VII. *Victor, Sabaudiæ Dux* anno ætatis *quinquagesimo* primo, *Vercellis*

cellis mortalem vitam clausit, non diu post convivium, ex quo *Dux* & Comes *Verruensis* ejus intimus amicus, cum *Marchione Villa* nidissimo belli Duce, pariter gravissime ægrotaverant; Duce & Comite mortem obeuntibus, *Villâ* singulari naturæ beneficio convalescente. Non deerant, qui Gallos, nec, qui *domesticas insidias* arguerent, neque multis annis postea pepercere Galli scriptores sed anonymi, *Christinæ Francicæ*, hoc inter alia exprobrantes: Quanquam verè *Nanius*, non esse, quod mirum videretur, ait Principem longâ infirmitate curisque edacibus debilitatum, *expletis quinquaginta annis*, in fata concedere. Tutelam filii *Caroli Emanuelis*, Christina mater è testamento Patris suscepit, juvantibus enixè *Gallis*; ex adverso *Hispanis* invitantibus *Mauritium* Cardinalem & *Thomasum* Patruos Ducis, *ad Tutelam ex Lege, quæ feminas excluderet*, sibi vindicandam. Hoc animo properantem Româ Cardinalem in Pedemontium *Christina* jam rerum compos, minis & promissis avertit, ut *Genuam* concederet. Galli interim id agere, ut *præcipuas urbes in potestatem suam redigerent*, *Vercellas* imprimis, quo *Crequius* cum præsidio properans, à *Villâ* cum sufficiente *Pedemontanorum*, numero præventus est. Dissimulata tamen indignatio utrimque & quanquam male contra se mutuo animati, nihilominus consilia viresque, re sic postulante, conjunxerunt. Fatum *Sabaudiæ Ducis* paucis diebus præcesserat mors *Caroli Nivernensis*

Mantuani Ducis decennio majoris natu quam fuerat *Victor* Sabaudus. De hoc ita observatum est; *Eum quamdiu privatus fuit, præ se tulisse dictis & institutis animum magni Principis; Cum Principatu non spernendo potitus esset, moribus, animo consiliisque nihil ultra privatum sapuisse, præstitisse.* Adeo verum est, *Magistratum demonstrare Virum.* Successit ei *Carolus* è filio Carolo nepos sub Tutela matris feminæ haud vulgaris prudentiæ; cujus anno sequente specimen dedit, *quando clientelæ Gallicæ nimis imperiosæ cordatè se filiumque subduxit*, & cum *Austriacis* ita se conjunxit, ut iisdem *obnoxia non fieret*, amicitiâ imprimis freta *Venetorum*. Ita exiit annus seculi XXXVII.

3. Mense Martio sequentis anni, Hispani, *Bremam* munimentum à Gallis opportuno ad infestandum *Mediolanum* situ structum celeri arctâque obsidione cinxere; cui *Crequius* subvenire cupiens cum primo frustra fuisset, idem rursus tentaturus, *Hispanos* impetu tormentorum tantisper, dum in arcem majus præsidium conjecisset, avertere conatus est. Quâ in re cum majore studio versatus *se ipsum exponeret*, ictu hostilis tormenti percussus accepit mortem. Qua factum, ut Galli milites plerique dilaberentur & *Mongajardus* Bremæ præfectus locum negligentius tueretur, *etsi præsidio mille octingentorum militum rebusque necessariis instructus*, ideoque deditionem factam capitis supplicio luit. Hispani exinde se totis viribus in *Pedemontium* con-

contulere, *Mauritio* & *Thomaso* Principibus sibi junctis. Quâ re *Christina* Tutrix inops consilii, nescia cui fideret, totam se *Gallis* permisit eorumque præsidium in ipsam *Taurinorum* arcem recepit, *Cardinali Valetta*, copiis Gallicis satis pro negotio modicis, præposito. Qui proinde *Vercellarum* obsidionem à *Leganezio* summâ vi institutam, etsi *millenarium* auxilium arte magis quam vi in urbem immisisset, solvere non potuit, urbe à *Doliano* præfecto honestis deditâ conditionibus. Quominus *Hispani* victoriæ fructus majores caperent, morbo *Leganezii* magis quam hostium, qui consilii non minus quam virium erant inopes, operâ factum est.

4. Interim in mari *Ligustico* classes, *Gallica* duce *Pontcurlao* & Hispanica Duce *Rodrigo Velasco* acerrime confixere, pari fere numero mortuorum ictorumque, sed *Galli* quinque navibus hostium, *Hispani* tribus Gallicarum potiti fuerunt. Insignita fuit æstas sequentis anni victoria *Venetorum* adversus classem *Algeriensem* & *Tunetanam*, Duce Aly *Piccinino* celebri pirata è Christianis *renegato*; qui *Sinum Adriaticum* ingressus inter alias prædandi occasiones templo ditissimo *Divæ Lorettanæ* spoliando intentus populisque terribilis adjacentibus, navigabat; excursionibus in *Apuliam* & vastationibus factis abreptisque in servitutem multitudine magna: sed tempestatibus coacti barbari in portum *Vallonæ* se contulerunt, ubi *Veneta* Classis, Duce *Marino Capello* Provisore, illos obsedit. Intellecto autem *Be-*

chirum maris Turcici præfectum cum *viginti duabus triremibus* in auxilium festinare, *Veneti* singulis facile pares, inter utramque medii classem contineri se, intutum arbitrabantur. Ideo præveniendum rati *Bechirum*, cum suis triremibus singulari audacia invasere portum *Vallonæ* satis capacem, refutato Arcis impetu tormentario, duobus majoribus navigiis illi oppositis, non minus validos edentibus ictus, barbarosque ita perterrefecerunt, ut relictis navigiis in terram aufugerint & Veneti plerasque triremes captivas abduxerint *Corcyram*, duabus præcipuis *Venetias* triumphi causâ missis & in armamentario custoditis. Sed Constantinopolitani violationem portus sui & amicæ Classis destructionem ægerrime ferentes, prætorem *Venetum*, qui *Legatus est Reipubl: Constantinopoli*, in custodiam dederunt, bellumque, *ni satisfieret*, minati sunt, etsi *Amurathes* Imperator aberat in *Asia*, bello *Persico* distractus. Qui victor reversus, *prohibito cum Venetis commercio*, totum se classi parandæ dabat. Cujus periculi timore *Veneti*, præter suas vires intentissimâ curâ instructas, *Urbanum* Pontificem rogarunt, ut hac causâ *Principes Christianos ad inducias hortaretur*. Quod is quidem prolixè recepit, sed absque ullo, ut semper usu venit, fructu; Regibus etiam plerisque Pontifici succensentibus, quod in creatione *Cardinalium* nec Imperatori *Rinaldum Atestinum*, nec Galliæ Regi *Julium Mazarinium*, nec Hispano *Peretttum Abbatem* qui anno demum XLI. promoti sunt, concede-

re

re vellet. Quibus aliæ commiſſiones aulicæque tricæ, *quas Roma, aliarum rerum defectu, pro magnis habent negotiis*, accedebant; argumento, quam *ridiculus eſſet Pontificis conatus cum apparatu proceſſionum, legationumque celebratus*, de fœdere *univerſali contra Turcas*, quod nugatoriis ejuſmodi turbamentis auſcultaret. Nec *Venetis* aliud, quam ut à ſingulis aliquid in tempore, *quando, ſcilicet, univerſa Societas deficiebat*, ſubſidii impetrarent, propoſitum eſſe potuit. Sed anno *ſequenti Amurathes* bello Perſico adhuc implicitus & ſeditionibus militum vexatus *pacem Venetis pretio, cujus illi ſemper armis ſolutionem præferre ſoliti ſunt*, vendidit; hac lege; ne *Piratæ in portus Turcicos, niſi innoxii receptus causâ, admitterentur Venetique in illos animadvertere ſine fraude liceret, anno* 1639.

5. Eodem anno renovatum eſt in *Pedemontio* bellum, pactis inter ſeſe *Hiſpanis* & Principibus *Mauritio* atque *Thomaſo*, ut quæ loca vi caperentur, *Hiſpanis* cederent, quæ ſponte partibus accederent, à Principibus occuparentur: poſtquam Imperator tanquam ſummus *Pedemontii Sabaudiæque* Dominus teſtamentum defuncti Ducis, quod *de Tutelâ Chriſtinæ loqueretur*, *nullum* & legibus adverſum pronuntiaſſet. *Hiſpani* primo vere *Cencium* duce *Martino Arragonio*, qui mortem ibi ſubiit, & mox, *Antonio Sottello*, in poteſtatem redegerunt, Item ſub Principe *Thomaſo*, *Chiraſium Taurinis* vicinum, per inſidias nec ſine conſcientiâ, ut creditum, præfecti. Adjecit

Tho-

Thomasus Chierium & *Moncalierum*, quæ sponte se dediderunt, *Aglia* & *Inurea* vim opponentes captæ spoliatæque sunt. Sed vallis *Augusta*, cum *Verrua*, portis apertis Principes receperunt, & cum apud *Crescentinos* Galli præsidiarii defensionem pararent, à civibus impediti sunt. Jam *Thomasus* ipsi *Taurinorum Civitati*, in quâ multitudo *Christinæ* regimen exosa tumultuabatur, imminebat. Quâ propter illâ *Gallis* omnia permittente, *Cardinalis Valetta* civitatis custodiæ in eum modum prospexit, ut cives præsente metu à seditione cohiberentur. Unde *Thomasus* cum *Leganezio* conjunctus *Mon-Calvum* & *Villam* novam *Astiensem* occupavit, *Asty* vero ipsum non munitum cohortes *Sabaudicæ*, à quibus custodiebatur, Principibus ultro tradiderunt; quemadmodum & *Cuneum* iisdem se adjunxit, & *Trino* per *Leganezium* capto, vix quicquam præter metropolin *Taurinorum* ex omni *Pedemontio Christinæ* Tutrici supererat. Interim *Mauritius* & *Thomasus* experimento sentientes, quod ratio illis antea non suggesserat, *se tantum Hispanis adversus Patriam* servire, cogitare cœperunt, quo pacto se ab illis separare sibique operam dare possent. Cum *Villafranca* & *Nissa*, illis à præsidiariis traditæ essent, & jam Galli cum majoribus copiis adfluentes *Cuneum* obsiderent, *Thomasus* cum *duobus peditum & mille equitibus ipsam Taurinorum* civitatem nocturnis insidiis, adjutus à conjuratis cepit, *Christinâ Francicâ*, semi vestitâ cum paucis feminis ægrè in arcem receptâ.

6. Hoc

6. Hoc successu *Galli* ex *Italia* præclusi & *Pedemontium* in manu *Principum* ac *Hispanorum* erat, *nisi discordia res horum labefactasset*, Principibus sibi præcipuas urbes vindicantibus, Hispanis ex adverso vim ostentantibus. Ut tamen hæc res *Leganezium* moveret *ad inducias quadrimestres*, interventu Pontificis aliorumque *Italiæ* Principum, qui jam progressus Hispanicos extimescebant, hostibus permittendas, *imprudenter*, cursum interrumpens tot victoriarum, quibus etiam *invitis Principibus, qui vires in promtu non habebant*, insistere potuisset; dum hostibus facultatem colligendi copias non modo in *Italia*, sed etiam urgendi res suas in *Germania*, quâ parte in his ipsis diebus apud *Brisacum* laborabatur, summo cum Cæsaris præjudicio querelâque atroci præstabat. Sub finem induciarum *Rex Ludovicus & Richelius* Gratianopoli cum sorore collocuti spem potentis auxilii in proximum annum fecerunt: Ut enim tunc res erat, Comes *Henricus Harcourtius* Lotharingicæ stirpis, qui Gallis, *Cardinali Valetta* mortuo, præpositus erat, ultra *quatuor millia peditum & equitum duo millia* producere non poterat. Cum quibus apud *Chierium*, finitis induciis, deprehensus à *Leganezio*, qui *undecim* millia ducebat, recedere coactus, in summo discrimine, tam numeroso exercitu instante, versabatur; imprimis quia *Princeps Thomasus* pontem *Rottanum*, per quem transeundum erat *Gallis*, occupatum teneret. *Harcourtius* unicam amplexus viam salutis, *audaciam*, Thomasum, ante-

antequam *Leganezius*, cum præcipuo corpore adesset, mira vi ex desperatione aggressus est, ut eum cedere loco & pontem relinquere compelleret; quam ipse eâ nocte ita munivit, ut interdiu, *spectante exercitu Hispanico*, tutum iter abitumque habuerit. Quo recessu nomen *Harcourtii* non minore, quam si magnâ pugnâ vicisset, gloriâ mactatum est.

7. Initio sequentis anni *Hispani* ultimam manum pellendis ex Italiâ Gallis impositituri, *Casalem* Monferrati, quæ horum præsidiis tenebatur per *Leganezium* obsederunt, adeo certâ cum spe capiendi, ut urbem pro suâ Venetiis alibique venditarent: Principe matre Ducis *Mantuani*, ad quem urbs pertinebat, jam pactâ cum Hispanis de modo possessionis; quanquam oppidani Hispanos oderant; At præsidium Gallicum non excedebat numerum *mille ducentorum peditum & equitum trecentorum*. Cum quibus absque eruptionibus urbem arcemque languide *Latourius* Gallorum præfectus defendebat. Sed non minor erat ex securitate *Leganezii* negligentia, castra foris non munientis & ultro deditionem nec ullum foris à Gallis motum expectantis. Jam *Veneti* & *Pontifex*, Hispanorum *in Italia* potentiam metuentes, de fœdere, quo *Casali* succurrerent, agebat: sed hoc *Leganezium* utpote lentum nimis remedium adspernatus securiorem reddebat. Cujus rei certior factus *Harcourtius*, collecto quicquid è *Gallis* & *Sabaudis* corradi poterat, ad *septem peditum & equitum tria millia quin-*

gen-

gentos, intrepide ad pellendum obsidione longe majorem exercitum progrediebatur. Quo *Leganezius* intellecto, raptim munire castra, jungere lineas, quas vocant, discurrere, moliri, festinatione & confusione rerum hominumque nihil agere. Pulsus est adeo post operam pugnæ brevem; equitatu primo aufugiente, dein exercitu toto sub noctem se recipiente *Bremam*, diminuto tribus cæsorum millibus, sed longe majore numero fugitivorum amissoque omni bellico apparatu, pecuniæ, ipsisque literariis Hispanorum instrumentis, inter quæ *authenticum fœderis inter ipsos & Principem Mantuanam* initi. Tam luculenta & generosa fuit hæc victoria, ut non minore victæ partis, quod rarum, quam victricis & famæ communis elogio celebratus sit *Harcourtius*.

8. Non minore cum admiratione, exercitum habens *decem millium* ausus est obsidere maximam *Taurinorum* civitatem, in qua Princeps *Thomasus* erat, cum *trium* præsidio *millium*, præter cives armis promptos, *Leganezium* habens à tergo cum XII. *millibus* peditum & *quinque millibus* equitum; tantâ commeatuum inopiâ, ut jam *fames* esset, quam Galli naturâ talium malorum impatientissimi, Ducis amore & exemplo sustinuerunt: Cui tamen succumbere oportuisset; nisi hostes viam salutis aperuissent. Princeps *Thomasus* & cives obsidionis tædio, indignabantur, *Leganezium*, multo viribus præstantem non invadere hostem & solvere obsidionem, offerentes in idem tempus eruptionem. Sed ille certus ho-

stes

stes fame ad deditionem compulsum iri, patientiam exigui temporis exigebat; Qua repudiatâ, *Thomasius* ei denuntiavit, *si intra quatriduum non solveret obsidionem, se urbem dediturum.* Compositus igitur est invasionis ordo, secundum quem non erat dubium, quin *Galli* fuissent oppressi. Sed *executio non bene comparatis vicibus fefellit*; Oppidani cum *Hispani* plerique serius quam dictum erat, adfluxissent, jam regressi erant, duobus equitum Hispanorum millibus ita ab hoste circumventis, ut in urbem, *cui tantum oneri fuerunt*, se subducere cogerentur, sicut *Leganezius* incepti irritus in castra; moxque cum *Turennius* subsidia commeatuum, per hostium repulsam, in *Harcourtii* castra conduxisset, trans *Padum* se recepit. Oppidani pulveris nitrati & farinæ laborabant inopiâ, quorum facultatem *Leganezius* aliquoties illis suppeditare conatus, ab *Harcourtio* numeris & viribus ad famam tantorum successuum aucto, accuratissime impeditus fuit; non sufficiente copiâ, quam *Franciscus Zignonius*, Bergomas, *bombarum*, quas appellant, vehiculo singulari dexteritate in urbem jaculabatur. Postremo *Thomasius* & *Leganezius* novam tentare vim ex compacto statuerunt; *illo ex urbe erupturo certasque Gallorum munitiones occupaturo*, *Hispanis ab alterâ parte castra perrupturis.* Sed cum Princeps ex urbe suas partes implevisset, *Hispani*, cessante eo qui signum invadendi illis daturus erat, suas partes non obierunt. Quare cum *Harcourtius* sex millibus è Galliâ mili-

militum, duce *Villaregio Marchione* corroboratus esset, oppidani commeatu pecuniisque deficientibus, deditionem fecerunt die 24. *Septembris* CIↃ DCXL.

9. Thomasius Princeps, cujus frater Mauritius Cardinalis Nizzam & Villam Francam tenebat ibique degebat, inducias cum Gallis usque per mensem *Februarium* contraxit, inito etiam secreto *fœdere* cum *Julio Mazarino* à *Richelio* eâ gratia misso, quo promittebat, *se proximi anni principio Lutetiam esse venturum & uxorem liberosque in Hispania agentes repetiturum; si non reciperet, arma cum Gallis conjuncturum, qui præter ingentes pensiones, patrocinium in locis tunc à fratribus possessis aliaque commoda pollicebantur.* Etsi *Thomasius* idem, chirographum uxoris in Hispania factum, *per quod se patrocinio Hispanico submiserat*, nuper approbaverat. Quo etiam postea stetit, eluso *Mazarinio*, & Hispaniæ Rex in gratiam ejusdem *Thomazii*, avocato *Leganezio* ipsi infesto, Comitem *Sicuelam* belli imperitiorem & minoribus instructum copiis *Mediolano* præfecit: adeò ut Turenius capto *Montecalvo*, impulsu *Mazarinii* Thomasio irati *Inuream*, quem unicum locum *Thomasus* in suâ potestate habebat, obsederit; verum Hispanis *Chivasium* obsidentibus, *Harcourtio*, cui *Inureæ* obsidio minus probata fuerat, visum est inde recedere, captisque *Cava*, *Mondovio* aliisque locis, *Cuneum* natura situque munitissimum & à nemine adhuc unquam captum obsedit & cis XII. *Septembris*

diem ad deditionem coëgit, ac ita viam sibi versus *Nissam* & mare patefecit. Ubi Gallis hoc ipso tempore se dedit occasio, Hispanis eripiendi *Monacum*, quod anno seculi v. *ut dictum alias*, occupaverant suoque præsidio tenebant, reservatis Principi *Honorato Grimaldi* reditibus; Qui superbe & avare ab Hispanis habitus & clam pactus cum Gallis, Hispanicum præsidium, auxiliis in *Pedemontium* missis valde imminutum, & per occasionem convivii à Principe dati, sommo vinoque sepultum oppressit, accepto mox in oppidum Gallico præsidio; donatus à *Ludovico* Rege *Ducatu Valentiæ* & annuis honorariis. Cæterum, compositis in *Aula Pedemontanâ* rebus, arma illic intestina cessabant, nec inter *Gallos* & *Hispanos* illa parte, licet pace nullâ, bellum fervide administratum est: Quandô novum incendium in media Italia derepente coortum emersit.

CAP. III.

De bello Castro Parmensi &c. ab anno 1641. *usque ad* 1644.

PRimum *caput* finitum est in pace, quam *Odoardus Farnesius Parmæ & Placentiæ Princeps*, cum *Hispanis* iniverat *anno seculi* XXXVII. Hoc incipiet à bello, quod ei cum Pontifice *Urbano* præter opinionem, natum aut illatum est; mirantibus cunctis *Urbano* pacis alioquin omni principatus sui tempore studioso quid in mentem venisset, ut cum Principes omnis *Europæ* hortaretur ad pacem & cun-

ſtantes increparet, ipſe *media in Italia*, profundæ quieti, præter extremas partes, immerſæ, perſonaret armis belli. Sed nepotes ejus *Barberini*, quorum princeps *Franciſcus Cardinalis*, irati erant *Farneſio* elati animi & prope nimis generoſo Principi, non pro ſpe ſua, Romæ, ubi promiſſis oneratus aliquandiu egerat, excepto: Qui proinde in Audientiâ privatâ Pontifici, *flagitia dominationis, quibus publicum dedecus ſibi & ipſi conciliabant*, tam vivis coloribus depinxit, *ut ſeni lacrymas excuteret*, quæ poſtea tamen in acutum & memorem doloris ſenſum odiumque *Farneſii* mutatæ ſunt. Habebat is Ducatum *Caſtri* Romæ propinquum *& feudum ſedis Papalis*, cujus membra quædam *Barberini* ab illo venalia rogaverant: Quod ab illo conſtantius negatum odiis fomentum dederat. Sequutum eſt, ut Papa tanquam Dominus Caſtri ſupremus frumentum è Ducatu, *cujus vectigal Farneſio quotannis nonaginta ſeptem aureorum millia dabat*, evehi prohiberet, eoque vectigal illud ceſſaret. Hoc ille principium inimicitiæ interpretatus *Caſtrum* oppidum munire cœpit, quod *Barberini*, hoſtilem *contra dominum feudi* conatum appellabant, militemque ſummâ curâ undique conduxerunt, nihilo ſecus pro viribus ſuis *Farneſius*. Ut ea res cæteras Italiæ Poteſtates non levi momento turbaret, imprimis *Neapolitanum* Pro-regem, qui *Barberinos* cum Gallis conſilia de regno invadendo communicaſſe meminerat & per hunc motum rem *Mediolanenſem* auxiliis ſuſtinere non

poterat. Nec *Ferdinando Florentino* neque *Venetis* causæ suspicionis deerant. Nulli tamen omnium aliter quam intercedendo & deprecando controversiæ se miscere visum est. At Pontifex armis præmisit *Monitorium*, quo *Farnesius* intra dies xxx. *Castri munitiones demoliri & milites dimittere jubebatur*, *sub pœna rebellionis & excommunicationis*. Quo per spatium dein quindecim dierum producto, Exercitus tamen Pontificius omnem *Ducatum*, ipsamque urbem Castri situ & operibus munitam, antequam *Farnesius* in auxilium accurrere posset, occupavit, cum animo ditionem Romanæ sedi tam opportunam, *saltem* munita loca, Montaltum & *Castrum* nullo modo reddendi, Farnesio brevi postea per Sententiam, *rebellionis condemnato*, *feudis & dignitatibus cunctis privato*, *bonisque publicatis*.

2. Interim Sabaudiæ Principes *Mauritius* & *Thomasius*, missis aliquando *Hispanis*, cum fratria Gallisque pacti sunt, ut *Mauritius* ducta in uxorem *Ludovica Maria* nepte sua ex fratre defuncto & *Christina Francica*, *Nissam* cum sua jurisdictione, *Thomasius Inuream* & *Biellense* territorium tanquam Gubernatores tenerent, *Christina* Regentis *jure & dignitate gauderet*, *gravioribus nego iis cum Principibus in Aula præsentibus*, *communicandis*, anno 1642.

3. Sed Pontifex sententiam adversus *Farnesium*, executurus xx millium exercitum, *Modonensi* Duce coacto ad transitum concedendum, in ipsum *Parmæ Placentiæque Ducatum* immisit; cui

cui se *Dux* cum quinque millibus peditum, mille ducentis equitibus & mille *mixti generis*, quos *Dracones* vocant, opposuit. Sed tantæ hostium multitudini impar & ex pecuniæ inopiâ transfugiis obnoxius, *sine aliorum auxiliis* brevi ad incitas se redactum iri sentiebat. Idem cum *Veneti* & *Florentinus* & *Modenæ* Dux viderent neque pati vellent, collatis pecuniis illi subvenerunt & mox fœdere inito, statuerunt exercitum colligere XII. *mille peditum & octingentorum suprà mille equitum, sumptu Venetorum* pro parte *dimidia*; *Reliqui sumptus duas partes Florentinus, trientem ferret Modenensis. Hi servirent communi fœderatorum & Parmensis defensioni*; Cui etiam *locus in fœdere servabatur*. At is animatus hac Societate, cum jam Pontificis exercitus, è tyrone & collectitio milite constans, enormiter diminutus, in *Bononiense territorium* retro cessisset, cum *tribus equestrium millibus* selectorum militum & pro Duce quem mirifice amabant, nihil periculi detrectantium, sine pedite, sine machinis bellicis & urbes oppugnandi instrumentis Pontificias ditiones, impetrato à *Modenense* transitu, invadebat, *dehortantibus illum sociis nec aliud quam exitium ejus hoc conatu præsagientibus*. Sed ille fugam & cladem per omnia portabat, *dissipato, metu solo, hostili exercitu*, ut *Matthæi* dux *Pontificiorum* summus nullum vel minimum corpus ad insequendum duntaxat eum, continere potuerit. Ergo *Farnesius* ambulabat, solis pluviis, *ut Octobri mense*, præpeditus, per Italiam, *Imola* ipsi

obviam ferente claves; *Faenza*, *Forum Livii* aliæque civitates & omnis ager, commeatus, pecunias, transitum offerebant, quem & à Duce Florentino petiit ac impetravit, etsi reditum ille suaderet. Sed *Farnesius*, quatuor etiam majoribus tormentis, ex urbe papali instructus *Castrum* & Romam versus properabat, ubi omnia, *mirum de tribus hominum millibus!* plena formidinis & confusionis erant; Nisi quod *Antonius Barberinus Cardinalis*, collectis subito duodecim peditum & tribus equitum millibus, *sub bonis ducibus*, nam milites nauci erant, eos per præcipuas urbes distribuebat, nihil adversus hostem vi tentare, sed *mora conficere illum*, studio habiturus; cum interim *Aquapendentis* civitas in alto sita, validoque munita præsidio, *Præfecto minis territo*, se dedit *Parmensi*.

4. Pontifex tamen & *Franciscus Barberinus* & *Dux Florentinus* Parmensem pacificatione detinebant, quominus primo impetu *Romam* contenderet: Malè pro ipso; nam *mora illi erat exitiabilis*, sicut accidit, magnâ parte militum ejus diffluente, reliquis inopiâ constrictis. Pacta jam inita, Pontificis *Commissarii* rursus eludebant; ac ita cum jam neque pergere neque subsistere posset *Farnesius*, ipse repentino, ut erat ingenium, consilio, per *equos celeres* ad sua recurrit, turmis suis *Estræo* Duci, Galliæ Legato commendatis, *qui testandi regis sui patrocinii causa Parmensem comitabatur, etsi nihil auxilii adduxisset.* Is autem ut domum reducerentur, delegavit eos,

Fer-

Ferdinando Duci Florentino, cui tam subita mutatio displicebat, & qui tractatum ad finem perduci optabat, eoque suas obtulit terras, ut exinde vim Pontifici ostentaret eumque ad æquas conditiones facilius compelleret. Sed Parmensis *Florentino* iratus, quod eum prius retardasset, hanc salutarem, ut res erat, oblationem, deludi se putans & *Ferdinando*, qui se obtulerat sequestrationi *Ducatus Castrensis*, quasi exuviis suis inhianti diffidens, rejecit: Unde tractatus pacis & formidabilis *Odoardi* expeditio in irritum & in fumum abierunt: *Barberinis* non modo *Castrum* retinentibus, sed etiam manentibus in armis; *magna fœderatorum in Italia suspicione*, ne quid cum Gallis, qui *Tortona* jam, etsi nomine Principis *Thomasi* occupatâ, magis magisque in *Italiam* penetrabant, rerum novarum molirentur, *Ita exiit annus* MDCXLII.

5. Anno *sequente*, Fœderati spretos se à *Barbarinis* rati, vi majore *Pontificem* ad reddendum *Castrum* censuerunt esse cogendum; sed, malum fœderibus æternum! quo pacto procederent, convenire non poterant. Idcirco *Odoardus* solus cum prius mari terrâque suum *Castrum* frustra tempestatibus impeditus tentasset, cum modicis suis copiis *Ferrariensem* Pontificis ditionem invasit. Quæ res fœderatos præcipites dedit ad concludendi necessitatem, ni Ducem perire mallent. Placuit exercitum ultrà xv. augeri millia; *duobus ultramontanorum millibus, pro tribus Italorum habitis*; Copias bipartito haberi, unam

in Modonensi ditione prope *Farnesium*; alteram partem in *Hetruria*, contra motus *Pontificiorum* à tergo. Sed in executionē malum dissensionis ita rursus erupit, ut à fœderatis nihil *peremptorii* sit administratum; nisi quod *Florentinus* in *Ecclesiastica* ditione loca quædam in potestatem redegit, & quod Classes *Veneta* & *Florentina* populorum *Ecclesiæ* commercia turbabant. Sed tandem *Parmensis* ut *Bononiensem* pariter invaderent ditionem, pervicit; quod ut impediret *Antonius Cardinalis Nonantolam* Modonensis oppidum ditionis oppugnavit; Ad cujus subsidium Dux cum sociis properans, cum primum *Pontificios* habuit in conspectu, illos, etsi longo fessus itinere, aggressus in fugam conjecit, *Francisco Gonzaga* interfecto, & *Cardinali Antonio*, sub quo equus est interfectus, tantum non capto. Versus *Bononiam* iter exinde nihil impediebat totoque agro exercitus hostilis usque ad Urbis portas se diffudit, quam brevi se in potestate habituros credebant; & habuissent, dum à parte *Hetruriæ* bellum quoque non improspere gerebatur. Sed *Antonius Cardinalis* avertendis *Venetis*, quorum præcipue viribus bellum apud *Bononiam* constabat, *quadringentis militibus trans Padum missis*, ripam ulteriorem, *quæ Venetæ ditionis in illorum agros viam aperiebat*, occupavit: Unde *Venetis* è *Bononiensi* agro ad sua tutanda revocatis, *Pontificii* in illis partibus, egregio commento parvoque motu à magno periculo se liberaverunt; *omni mole belli ad Padum finesque Venetorum*

netorum conversa; Fœderatis & *Antonio* singulas ripas tenentibus & hoc quidem in commissionibus quotidianis potiore fortunâ uso. In *Hetruria* primo *Ferdinandus*, locis aliquot captis, prævalebat; sed dein Pontificii, *Duce magno* per valetudinem *Florentiam* digresso, tantâ vi *Hetruriam* invaserunt, ut *Ferdinandus Florentinis* civibus, quod à tempore occupatæ Reipubl: non evenerat, arma distribueret auxiliumque à *Venetis* postularet. Quo misso, cum Pontificii irrito successu *Pistoiam* & mox Petilianum non sine clade notabili oppugnassent, amissis omnibus tormentis & impedimentis, ex *Hetruriâ* cum dedecore discesserunt; & sic finiit *annus* MDCXLIII.

6. Sequentis initio, Pontifex clamore populorum & sumptu fatigatus, pacem dedit *Italiæ*, per *Bichium* Cardinalem, *nomine Galliarum Regis*, *Austriacorum excluso interventu*, elaboratam; cujus hæc fuit sententia; *Rex Galliæ peteret veniam & absolutionem* pro *Farnesio* à *Pontifice*. *Idem recederet è Stellata & Bondeno, locis a se captis, à Pontifice autem reciperet Castri Ducatum, sed dejectis munitionibus*, & cætera consueta; comprehensis eadem pactione fœderatis; *qui ab armis omnes recederent omniaque in priorem statum restituerent*; præ se ferentibus illis, sese non contra Pontificem, sed contra nepotes ejus arma cepisse; quemadmodum distinctio inter *Pontificem* & *Aulam Romanam* communiter à Principibus exercetur, hæc *anno* 1644.

CAP. IV.

De Rebus Italiæ post pacem Castro Parmensem usque ad annum 1646 ubi de belli Turcici in Candia initiis & turbis in Italia Mazarinicis.

URbanus Papa, quiete transactionis *Castro Parmensis* non diu gavisus est, expleta mortalitate *Julio mense sub finem*, *anno ætatis* LXXVI, Pontificatus *vigesimo primo*. Cujus *primordia* propter hominis doctrinam, candorem & rectitudinem judicii, quam *postremi anni*, longe secundiore famâ fuerunt, onerato sene postea delictis nepotum suorum *Barberinorum*, quibus omnia promiscue indulgebat. Successorem Galli commendabant *Zacchettum* tanto fastigio non indignum; *Hispani & Florentini* studebant unicè *Johanni Baptistæ Pamfilio*, nobili Romano. *Franciscus Barberinus* Cardinalis videns in conclavi *triginta novem* suæ creationis Cardinales, qui ab *Urbano*, inquam, promoti fuerant; habebat in potestate, quem vellet, eligendi; saltem quem nollet excludendi. *Pamfilium* non ignorabat intimum esse quorundam inimicorum suorum acerrimorum, & *Antonius* Cardinalis Gallicas partes palam præferebat: Franciscus tamen solitus sequi rationes aliis obscuras, & sæpe, ut *Nanius* observat, sibi ipsi ignotas, nihilominus in *Pamphilium* sua vota direxit, inductus inter alia spe matrimonii inter neptem suam & *Camillum Pamfilium* Cardinalis Candidati unicum nepo-

tem,

tem, artificioſe illi inculcatâ à *Pancirolo* Cardinali. *Pamphilius* igitur Papa creatus eſt, XIV. *die Septembris* & nomine proclamatus eſt *Innocentii* X. qui ſtatim *Franciſco Barberino* Cardinali ſtultitiam ſuam demonſtravit, omnibus modis id agens, ut Anteceſſoris ſui Acta domumque inſectaretur & opprimeret. In Galliâ *Mazarinus* Aulæ ejus anima, nihil ægrius quam Romæ ſua conſilia in dirigenda Pontificis electione deludi ferebat, omnemque culpam Legato *Chaumontio* imputans, illum non modo revocavit, ſed etiam domum ſuam, *Regis conſpectu prohibito*, relegavit. Dedit tamen operam, ut novum *Pontificem* ejuſque nepotem *Cardinalem* ſibi conciliaret, adempto *Barberinis*, nominatim *Antonio* Cardinali, Gallicæ coronæ *patrocinio* an *clientelâ*, quam palam oſtentaverant. E contrà ditiſſimam *monaſterii* cujuſdam præfecturam, ſive *Abbatiam* quam vocant, quâ ſe ipſum exuerat, obtulit dono *Cardinali Pamphilio*, per *Gremonvillum* novum Legatum, eâ Lege tamen, ut pro fratre ſuo *Michaele Mazarino* Dominicano purpuram *Cardinalitiam* ſtipularetur. Sed *Gremonvillius* nil *Chaumontio* prudentior, *Abbatiam* amiſit abſque ullo redhoſtimento. Qua re *Mazarinus* major, denuo illuſum ſibi à *Pontifice* ejuſque nepote, præter iram in Legatum, exiſtimans, odium in illos & vindictam animo condebat.

2. Hoc eodem anno *Turcica* claſſis apud *Tarentum* exſcenſione factâ *ducentiſque* fere *hominibus* in ſervitutem abreptis, *Neapolitani* regni

copias

copias domesticis curis intentas retinebat; quam idcirco insultationem, à *Gallis*, qui *curatissimâ cum Turcis societate* utuntur, procuratam *Hispani* prædicabant. Paulo postea factum est, ut *Zambul Aga* Eunuchus & *gynæcei Turcici* præfectus, cum immensis divitiis, in illâ præfecturâ, cujus favore proceres omnes egent, collectis, *Mecham* proficisceretur, *religionis prætextu ad visitandum Mahometis sepulchrum*, reverà ad opes suas *aulicæ invidiæ* subducendas iisque in pace fruendum. Vehebatur tribus maximis navibus bellicis, quas Turcæ *Sultanas* vocant, aliisque minoribus multis. Deprehendit hanc classem apud Rhodum insulam *Gabriel Baudrandus Chambresius* Gallus, ordinariæ sex triremium classi, quæ adversus infideles quotannis emitti solet à *magno Melitensis ordinis magistro*, qui tunc erat *Joh. Paulus Lascaris*, Præfectus. Etsi viribus erant impares *Melitenses*, spes tamen prædæ inusitata eos impulit ad naves illas majores, in quibus maximam opum partem latere credebant, summa vi invadendas. Unâ, per *Baudrandum* ipsum, aliâ triremi sociâ facile captà, omnes in alteram, quæ *Eunuchum* vehebat, conversæ sunt triremes. Dici non potest, quanta pertinaciâ à *Turcis* per octo horas continuas omni genere armorum sit pugnatum, donec *Eunucho* & fortissimo quoque, *Baudrando* etiam ipso prostratis, tandem superata est navis, *trecentis & octuaginta* hominibus, quos inter *Mehemet Effendi Judex Mechensis*, plerisque vulneri-

neribus adflictis, in potestatem venientibus, cum præda indicibili, quæ à Maltensibus ut promiscue arrepta, ita cessit occupantibus. Exiit rumor ab ipsis *Melitensibus*, inter captivos fuisse *concubinam Imperatoris Turcici*, cum *puero quadrimo*, quos sub *Eunuchi* curâ *Mecham* mitteret *Ibrahimus*, ut illos iræ alterius *Sultanæ*, cui prior illa serviebat, subduceret. At hanc *fabulam esse** inde natam, quod una fuisset captiva à reliquis ex miè culta, quæ silentio pertinaci ad mortem usque conditionem suam dissimulasset, *Nanius* observat.* Melitenses in reditu portus aliquot *Venetos* insulæ *Candiæ*, licet ad breve, ingressi, contagione *Turcici* furoris *Venetos* implicuerunt.

3. Quippe *anno sequenti*, seculi XLV. *Turcæ* præ se ferentes iram in *Melitenses* intestabilem & jurejurando *Venetos* armorum suorum securos esse jubentes, *contra quam solent aliàs, cum minis & pompa inchoare bella*, collectâ ingenti classe navium CCCLXXVIII. militumque *millibus quinquaginta*, præter suum & artificum XXX. millia, cum septuaginta majoribus tormentis & omni reliquo maximi belli apparatu, Ducè classis *Infuso*, *Sultani Ibraimi* genero destinato, *Mussa* militibus & *Assano munitoribus* præposito, *Candiam* pace profundâ florentem *mense Junio* invaserunt. Fuerat hæc sub Imperio *Venetorum* inde à *quatuor seculis*, empta olim à *Bonifacio Marchione Monferratensi*, cui cesserat in divisione *Græci* Imperii, quam *Latini* captâ

Con-

Constantinopoli, instituerant. Situs insulæ adversus *Ægæo* mari, inter *Italiam*, *Græciam*, *Asiam* & *Africam* medius, ad imperium Maris aptissimus, *Turcis* semper, ut spina hæserat in oculis, in quâ majus operæ pretium, quam in *Maltâ* majoremque facilitatem præsumebant. Etsi qua die pedem in *Candiâ* posuerunt, urbs *Constantinopolis* incendio gravi adflicta, *Muftius*, id est, summus Religionis præses, quod bellum probare nollet, exauctoratus ipsis *Turcis* sinistri ominis metum intulerat. Exscensio facta est apud *Gognam* haud procul *Canéa*. Primus quem invasere locus fuit *Rupes S. Theodori* duobus à *Canéa* milliaribus distans, à *sexaginta* militibus, sub *Biagio Juliano* custoditus; Qui spem defensionis nullam videns se suosque, hostibus confertim inrumpentibus, *incenso pulvere nitrato*, servituti exemit & barbaris, ut poterat, nocuit.

4. Ipsa *Canea* veteri more munita situque obnoxia locis altioribus, mille tantum habebat præsidiarios, sub *Antonio Navaiero* Provisore militum, Rectore Civitatis *Aurelio Michaële*; Civibus & rusticis quo placatiorem haberent *Turcam* dominum, ut augurabantur, imminentem, pugnare detrectantibus; contra quàm *Monachi*, licet *Græcæ religionis*, qui acerrime se exposuerunt; at reliquis etiam militiæ *Candioticæ* adscriptis, quos vocant *Prolos*, segniter & timide se præbentibus. Obsidio interim *Caneæ*, in quam trecenti milites, ductore *Augustino Angelo* penetraverant, summâ vi procedebat. *Capellus* cum ali-

aliquot navibus erat in portu *Sudæ*, propinquo; Unde facile erat amplius præsidium in urbem introducere, classe hostili vacuâ militibus ante portum *Theodori* fluctuante & aggressoribus obnoxia; Sed *Capellus* nullis rationibus, ut è portu exiret, adduci potuit. Ideo *Cornarus* terrestribus copiis præpositus semel *centum & quadraginta* milites terrâ, cæteris rejectis, immisit, iterum *ducentos* mari, aliàs *centum & viginti.* Sed quatuor naves majores Zacyntho missæ cum *mille quadringentis* militibus, etsi vento secundo per hostilem classem, sine magno periculo *Caneam* intrare possent, imaginario metu in adversa insulæ parte, Giræ Petri, unde in urbem pervenire non poterant, milites exposuerunt, *puniti quidem ob hoc flagitium:* Sed *Canea* nihilo secus hoc errore periit; *Turcis* penes se habentibus munitionum peritissimos, non modo defectores sed etiam *professos Christianos.* Nec tamen periit, sine magna oppugnantium strage, *qui nullum pedem terræ sine multo sanguine acquisiverunt*, amissis jam *medio Augusto*, *mortibus & effugiis*, *viginti* hominum *millibus*, quanquam & subsidiis interim aucti fuerant. Præsidiarii ad *quingentos* erant redacti nec ullam superesse facultatem amplius se tuendi, adfirmabat *Vertius* munitionum præfectus; adsentiente *Navagiero*, qui propterea mulctatus est à senatu; E diverso *Morosinus*, *Badoarus & Cornarus*, qui cum triremibus auxilio venerant, classem magnam, quæ parabatur, aliquot diebus

expe-

expectandam censebant. Constaret illa è *viginti duabus* bellicis navibus à *Pontifice*, *Rege Hispaniæ & Duce Florentino* collatis, sub *Ludovisio* pontificis adfine, quibus *Veneti* suas erant addituri. Sed cunctando, *ut fit, in fœderatis expeditionibus*, rem perdiderunt. *Augusti die* XXII. Veneti *Caneam* Turcis tradiderunt, idque *triduo, antequam convenisset*; quia dum *Turcæ* in illa victoriæ licentiâ, insigni modestiâ & quiete se continebant, *Christiani* in urbe, deposito imperandi parendique ordine, omnia tumultibus & prædationibus fœdabant ac confundebant; adeo ut præfecti metuerent, ne *Turcæ*, dissipatis vigiliis, urbem invaderent, neque se pactis quæ alioqui tam pro militibus quam pro civibus *amplissima concesserant*, teneri contenderent. Conditiones satis initio fideliter observatæ, postea, *respectu inhabitantium*, neglectæ omnibusque illi miseræ captivitatis malis adflicti fuerunt.

5. Captâ *Caneâ*, *Capellus*, qui cum suis navibus è portu *Sudæ* exire noluerat, quo *Caneæ* succurreret, ut qui locum sibi commissum unicè custodiendum putaret, inde, cum ejus auxilium ad hunc ipsum locum esset maximè necessarium, invitis incolis & *Venetorum* præfectis, recessit in remotissimam Insulæ partem, ubi *Sitius* portus, & ubi quatuor illas naves subsidiarias tam male directas, ut diximus, invenit; *quarum præfecti, una cum ipso, dein Venetias vocati, vel mortibus in custodiâ obitis, vel exilio culpam luerunt.*

runt. At *Sudæ* per adventum classis magnæ, quæ tandem *die 4. Septembris* adfluxerat, subventum; mirantibus auxiliariis, *Venetas* naves ipsam deseruisse Sudam, etsi *Capellus* deinde reversus se classi majori adjunxerat, quæ tota constabat, LXI. *triremibus*, *quatuor majoribus*, quas vocant *galeassas*, XXXVI. navibus veliferis ad belli usum instructis, cum aliis minoribus. Poterant, si animus fuisset, *Turcicam* classem imparatam & confusam perdere: Sed Princeps *Ludovisius*, qui audita *Caneæ* deditione, domum redire voluerat ægreque à *Bernardo* & *Verazzano*, rei maritimæ peritis, magnitudine dedecoris retentus erat, supervacuis se periculis induere nolebat. *Veneti* contra obtestabantur, seque solos, si nollent socii, *Turcas* aggressuros demonstrabant; Quâ re *Ludovisius* & socii prodire compulsi & *Turcas* invadere parati, bis adversis tempestatibus in *Sudæ* portum rejecti sunt, initioque *Octobris* auxiliares, qui cum Venetis non nisi *tribus & triginta* diebus juncti fuerant, in ITALIAM vela fecerunt. Interim *Cornarus Candiam* urbem, omni genere munimentorum, etiam *subterraneis operibus*, ut quam *fata sepulchrum communem Gentium destinabant*, adsiduo firmabat. Et primo vere sequentis anni, *Veneti*, contractis undique copiis, etiam è *Galliâ* & *Hollandiâ*, vi majore se *Turcis* opponere parabant; proposito universis belli rebus *Francisco Erizzo* Duce suo, contra vetus Reipubl. institutum, sed qui ætate gra-

gravis expeditionem ipsam morbo & morte prævenit.

6. Inter *Gallos* & *Hispanos* in Italiâ, magis non erat pax, quam bellum gerebatur, nisi quod *Thomasius* Princeps, *Vigevanum* Hispanis, à quibus neglectum fuerat, ademit. Sed Romæ inter novum Pontificem & *Mazarinum* Cardinalem interim invalescebat contentio, creatis *novem Cardinalibus*, nec tamen fratre *Mazarini* promoto, quem interim Galliæ Rex *Archiepiscopum Aquensem* creavit. Cum etiam Papa *Barberinos* statuisset evertere, contraque eos *judicialiter procederet*, *Mazarinius* in Aulâ Gallicâ fecit, ut in *Regiam Tutelam* contra Pontificem reciperentur: Qui mox omnes *Româ* aufugientes in *Galliam* se receperunt: Unde revocati à Pontifice Edicto monitorio & pœnali, mandatum à Rege dicis gratiâ, *non recedendi e Galliâ* acceperunt & *Senatus Parisiensis* Edictum Papæ *abusivum*, ut loquuntur & nullius momenti declaravit; à Senatu quoque Veneto *Mazarinius* obtinuit, ut bona *Barberinorum*, quæ rogante Pontifice sequestraverant, ipsis permitterent: non tam gratiâ, quâ Pontifex prævaluisset, sed auctoritate Classis, quam *Mazarinus* formidabilem vocabant, & constabat *triremibus armatis decem*, *navibus bellicis* xxxv. *& minoribus navigiis*, *Tartanas* vocant, lxx. sub Duce *Brezæo* Galliæ Thalassiarchâ cum *sex millibus peditum & equitibus sexcentis* sub *Principe Thomasio*, qui de suis aliquid copiarum adjunxerat, quorum terrore pur-

purpuram *Cardinalitiam* & Pontificem obnoxium habituros se credebant *Mazarini*. Prætextus tamen publicus erat adversus *Hispanos*, quibus ademit *Thomasius* loca maritima, quæ in *Hetruriæ* litore tenebant, inde ex quo *Philippus II.* Senam *Cosmo de Medicis* cesserat, ut portam mediæ *Italiæ* apertam retineret; excepto *Orbetello*, cui *Princeps Neapolitanus* mediocriter prospexerat; etsi maritima [illegible] Galli, portum *Gravosæ* tutorem Pontificium ingressi, inde sine venia Pontificis impediebant. *Orbetellum* tamen succubuisset, nisi per *Hispanicam* classem iussisset, quæ triremes sive *Galeas*, ut vocant, xxxi. cum xxv. magnis *galeonibus* aliisque minoribus navigiis, habebat, Duce *Francisco Diazio Pimiento*, sed huic classi justus hominum numerus militesque deerant. Unde *Galli* numero licet atque valore navium inferiores se cum illis committere non dubitarunt; *Hispani* infirmitatis numerorum suorum gnari cominus pugnare cavebant, *Gallos* tormentorum, quibus prævalebant, ictibus male tractabant & singulari felicitate illorum uno, *Duci Brezæo* semel *&* classi caput abstulerunt: Quæ proinde confusis versis velis in portus *Provinciales* se recepit, expulsa rursus à *Mazarino*. Neque tamen ita plus, quam ut terrestres copias cum Principe *Thomasio*, amissis [illegible] *machinis* bellicis militumque impedimentis, reduceret, præstare potuit; Gaudentibus *Italiæ* Principibus, qui nihil innovari cupiebant & *Hispanis* clam profuerant.

quod importuni hospites, *Mazarinii* maximè, ita rejecti essent; Pontifice imprimis triumphante ac illudente *Mazariniis*. Quibus & in *Gallia* acerbe imputabatur, quod neglectis in *Belgio* & *Catalonia* rebus, privatis suis injuriis & ambitioni *Italicæ* serviissent.

7. *Cardinalis* tamen animo non fractus, intellecto Hispanicæ classis, contra sociorum sententiam in suos portus reditu, Gallicam subito cum novis copiis, sub *Milliaræo* & *Plessipralino* ducibus, *Thomasii enim pœnituerat*, in *Italiam* remisit ibique *Plombinum* Principis *Ludovisii* Papæ nepotis Principatum & *Portolongonem* Hispanico præsidio infessa loca, celeriter, *Octobri mense* occupavit; cladem suam, ita propter ingens *Portolongonis* momentum, abunde pensatam reputans. Haud vanè, quia Pontifex è vestigio territus hac nova tempestate, vocato *Grimaldo Cardinali*, res *Franciæ* agente, *Barberinis* veniam impertitus est, eâ lege, ut *Avenionem* Pontificiæ ditionis urbem in *Galliâ* sitam, se reciperent. Neque tamen idcirco *Mazarinius* armis instare desiit; ita existimans, optimam *Papæ* ad æquum jus reducendi viam esse, *metum*. *Portolongone* captâ, novem bellicæ naves à Gallis in *Candiam*, ubi res Veneta graviter laborabat, auxilio missæ sunt, adulto quidem autumno, serius; sed ibi semper opus erat auxiliis, bello suprà vires Reipubl. ingravescente; quæ inter pecuniæ faciendæ modos etiam introduxit *venditionem nobilium officiorum*, maxime *Procuratorum S. Marci*, quale-

les diversis temporibus creati sunt prope *quinquaginta pro centum millibus ducatorum* singuli. Majore cum difficultate recepta fuit æstimatio juri *Patritiatus*, à plebejis nobilioribus aut exteris nobilibus præstita & jus inde comparatum: Unde Resp. durante bello plusquam *octo milliones* confecit; *ringentibus* licet *multis*, *quibus ut jus auro ancillum, nec pretio nummario dehonestandum videbatur.*

CAP. V.

De rebus Italiæ belloque Candiotico usque ad exitum anni 1648.

POst *Caneam* à Turcis captam, *Sudæ* portus illis erat opportunus: Sed loci situs inexpugnabilis undique mari & rupe cinctus, & ubi deest rupes, valide munitus, nullam spem vi locum expugnandi relinquebat. Ideo portu ac aditibus ad urbem custoditis, *Cussenius* qui Turcis præerat, oppido relicto, *ubi fames, sitis & pestis incolas miserrime vexabat*, cum exercitu se Retimum contulit, urbem Episcopalem, *decem incolarum millia* facile continentem, sed portus usu minus notabilem, minus etiam ex arte belli munitam. Detinere tamen hostem, quamdiu facultas erat, *Cornarus* & *Gonzaga* militum Præfectus optimum factu judicantes, cum *quatuor millibus* eruptionem fecere in accessus Turcarum subterraneos; partem ducente *Gonzaga* ipso, partim, ductore *Dumanilio* Gallo-

rum tribunus, qui & *Belgicas* aliquot cohortes habebat. Hic autem cum suis, exoneratis semel tubis suis, metu induto, fugam arripuere turpissimam, plerique in mare præcipitati & submersi; Tribuno in latebras abdito nec unquam postea reperto. *Gonzagiani* primo aliquid proficientes, cum sociorum dedecus sensissent, *metu fugæ ab equitatu facto*, nihilo fortius se gesserunt: Transmarini sive transadriani soli, *in sectiones* quas vocant, Turcarum subterraneas intrepidè penetrarunt; at *soli* nihil in summâ proficientes, amissis ducibus suis, rejecti sunt. *Cussenius* nullum turbatis spatium relinquens, urbem summâ vi, per quatuor horas à Marchione *Petro Cesareo* fortissime refutatâ, fortuito pulveris nitrati incendio adjutus tandem expugnavit, cæsis *Cornaro* & *Molino* Venetis præfectis, cum *ducentis* octo ductoribus ordinum & *mille quingentis militibus*, præter ingentem civium numerum. Alii *mille quingenti* in Arcem se receperunt, quæ vim per aliquot dies fortiter sustinuit, sub *Bernardo Bonvisio* militum præfecto, *Ludovico Minotto Gubernatore*, qui *Georgio Quirini*, (hic urbem & officium inde statim initio deseruerat) surrogatus erat & *Zacharia Bembo Provisore extraordinario*. Poterant diutius se tueri idque enixe suadebat *Joh. Franciscus Orsinus*, ut auxilium quod mori patebat, expectaretur; quando nec homines nec commeatus belli vi- ctusve deficerent. Sed reliqui ab *Episcopo* & habitatoribus emolliti, se arcemque dediderunt

XIII *No-*

xiii *Novembr.* 1646. & plerique, *Ornanus* enim brevi postea, morbis animi non minus quam corporis confecti è vitâ decesserunt, quos inter maxime desideratus est, *Camillus Fenarolus Comes*, tam carus suis quam terribilis hostibus.

2. Praeter *Candiacum* bellum, in Dalmatiâ quoque *Turcae Venetique* se mutuo infestabant, sine justa tamen exercituum vi, *Turcis* in *Candia* totis, & *Venetis* illos provocare nolentibus: *Novigradum* tamen illi, oppidum modicum *Venetis* eripuerunt, *Lippomano* Provisore minus constanter in ejus defensione versato. Ita exiit annus xlvi. Quo inter *Hispanos* & *Gallos* in *Italiâ* terrestri bello nihil, nisi quod modò retulimus in Hetruria, gestum, & quod *Mediolani* Gubernator *Comes stabuli Castilianus*, *Vigevanum* à Principe *Thomaso* novissime captum recuperavit & *Bremum* à Gallis olim structam demolitus est.

3. Annus sequens aliquanto *Venetis* secundior effluxit, hactenus, ut hostiles impetus aliquot prosperis commissionibus sufflaminaverint. Etsi *à Regibus* parum aut nihil auxilii impetrassent, solo Pontifice *mille* peditum in *Dalmatiâ* praesidium commodante, qui & triremes suas cum *Venetis* jungendas parari jussit. Hi autem in mari *Aegaeo* classem habentes *viginti duarum galearum*, trium *galeassarum* cum *quindecim navibus bellicis*; primo duas naves, in quibus erat Prorex *Algeriensis Tunetani* cum hominibus, ipso ta-

men fugâ terrestri elapso, in potestatem redegere Dein *Morosinus Thalassiarcha*, cæteris qui tardius sequebantur, promptior, solus in classem *Turcicam* haud procul *Negroponte*, *quadraginta quinque* triremibus sive *galeis* constantem impactus est. Mirum dictu, quanta fortitudine solus, etiam, ipso interfecto, reliqui per plures horas restiterint; donec duabus *galeassis* è Veneta classe venientibus in subsidium, *Turcæ*, qui suum quoque Ducem *Mussam Bacham* amiserant, adeo timide se receperunt, ut suos qui in navem *Morosinicam* trasilierant eamque, *dimidiæ Lunæ signo jam in locum Leonis S. Marci* è malo fulgente, pene subegerant, derelinquere cogerentur: Et successor *Mussæ* eodem nomine dictus classem adeo debilitatam hominumque inanem reperit, ut sine novo magnoque apparatu illam deducere neque posset neque deduxerit.

4. Interim in *Candia* pestis & bellum utramque partem æquis fere cladibus affligebant, *Cussenii* copiis ad *duodecim millia* sanorum hominum, *Sudæ* præsidio ex mille ad ducentos redactis, *Cussenius* tamen & *Sudam* è machinis & *Candiam* urbem excursionibus vexabat, quas *Giulius Assius* & *Gremonvillius* adolescens Legati Gallici frater, Castello *Temini* per vim capto, *centum quinquaginta Turcis* occisis, ultus est; *Sudæ* vero *Delphinus* Venetorum Dux *generalis* Præsidio commeatuque subvenerat. Candiotæ, imprimis *Assius* & *Gremovillius* cum *Vincentio Marrâ*, priore successu animati, rursus cum *mille ducentis peditibus* & *equi-*

quitibus trecentis exiere, quibus ſe *Antonius Molinus* & *Franciſcus Juſtinianus* Proviſores, cum ruſticis ad arma vocatis, *quinque millium corpus* efficientes, certæ victoriæ fiduciâ conjunxerunt. Conſequuti apud *Caneam* Turcas primo bene pugnarunt, actis in fugam *quingentis* prioribus & reliquis, ut videbatur, diſſolutis. Sed *Turcæ* habentes aliquid e *Scythica* fugiendi arte, *cum diſſipati videntur, ut acrius pugnent*, ſubito verſis & inſtauratis ordinibus, equitatum primo ſub *Ferra & Grimonvillo*, mox etiam *pedites* in fugam præcipites egerunt, *occiſis centum*, *captis trecentis*, eiſque inter filio *Delphini*, *Generque*. Perdellius, tribunus, *Giræ Petri* præfectus, illa deſerta, *Mirabellum* ſe recepit, eoque ad Turcarum conſpectum æquè deſerto in *Candiam* fugiens ibi mortem ſe dignam, nec ad aliam natus, obiit in furca. *Cuſſinius* ita quidem re bene geſtâ, nihil tamen magnæ rei aggredi poterat, auxiliorum à *Conſtantinopoli* defectu, quæ *Venetorum* Claſſis, modo apud *Negropontem*, modo ad *Scium*, alias ad *Mytilenen* impediebat, magnis ubique damnis & incommodis hoſtili claſſi illatis; *nunquam illis in aperto mari concurrere audentibus*. Denique ſubductis in portu *Caneæ*, nova munitione firmato, navibus ſuis, *Veneti* opere recenti tormentorum ictibus ſubverſo, portum ingreſſi *quatuor & viginti* naves inde abripuerunt, adeo ut *Bacha* Turcicus poſtremo vix cum militibus *mille quingentis* & modico commeatu, quaſi furtim & ægrè *Caneam* delatus ſit, *menſe Junio*; concluſâ claſſe reli-

reliquâ in portubus *Cismæ*, *Chii* & *Neapoleos Malvasiæ*. Quibus expediendis *Turcæ Constantinopoli* Christianorum Legatos compulerunt, ut naves suorum *Smyrnæ* & *alibi* agentes, huic rei commodarent: Quod *Angli* & *Hollandi* promptè, *Galli* cunctantius fecerunt. Ac ita cum & novæ *Constantinopoli* triremes accessissent & *Veneti* jam mense *Octobri* difficulter omnes portus obsidere possent, *Morosini*, qui *Neapoli* conclusus fuerat, se cum *Fasiæ*, *Chiccianum* præfecto navium, conjunxit, ac inde bono usus vento *Candiam* delatus *decem millia militum* commeatusque abundantes in urbem invexit; *Venetis* sat lucratos se existimantibus, quod per integram æstatem auxilia [illegible] in *Candia* præclusissent, & quod *Dominium maris Ægæi* [illegible].

5. In *Dalmatia* res etiam bene gesta fuit à *Foscolo* armorum præfecto, qui capta urbe *Zemonico* & destructis cum vicinis aliquot locis, *Novogradum* superiori anno à *Turcis* captum, unde *Illyricum* habebant infestam, illis iterum ademit, & cum sine magna impensa refici & retineri non posset, totum demolitum est. Idem factum de *Nadino* & *Urana* castellis, unde multa *Turcæ* mala *Venetis* intulerant. Incensæ insuper ab iisdem *Scardona* & *Salona*, civitates olim celebres, non sine multa & divite præda. Qui terras illas incolunt *Morlachi* dicuntur, Christiani nominis, bellicosi & [illegible], ideoque libenter se illis hac occasione adjunxerunt, seque deinceps adversus *Turcas* mascule tutati sunt;

sunt; non fracti cladibus aliquando acceptis; inter alias à *Tekelio Bacha* cum *Turcarum quadraginta millibus* ingresso *Dalmatiam* ex improviso, deprehensis in agro pluribus, qui se in montana & tuta loca, quibus regio abundat, recipere non potuerant. His iræ suæ immolatis, *Tekelius Zebenicum* obsidione cinxit; quod valido præsidio instructum à *Venetis* egregie defensum est, præsertim *nono Septembris* die, quo *Turcæ* extremam vim, universi exercitus impetu furioso tentarunt & rejecti sunt, magnâ cum clade, qua fractus *Tekelius*, amissâ parte copiarum amplius dimidiâ, in *Bosnam* se recepit; *Veneti* suos Duces, Pisanum, qui mari, *Fosculum* qui terrà præfuerat & *Degenfeldium* Germanum præmiis ac honoribus, juxta *Johannem Baptistam Grimanum*, cujus in mari *Ægæo* tam insignis opera fuerat, decore extulerunt.

6. Eodem anno *Gallorum* adversus *Mediolanum* arma se majore cum strepitu, quam factum erat pridem, commoverunt, *Duce Mutinensi* copiis illorum, quibus suas adjunxerat, præposito, ut in universum *millia decem peditum & mille* duceret *equites*. Quæ copiæ, ut tum res erant, non fuissent impares notabilissimo *Hispanis* infligendo, cum neque ex *Hispania*, propter *Lusitanicum* & *Catalonicum* bellum, neque *Neapoli* aut è *Sicilia*, propter intestinas seditiones, auxilii quicquam veniret. Sed *Mutinensis*, occupatâ *Casali majore*, in quâ non erat magnum operæ pretium, *Cremonam* valido præsidio munitam obside-

ſidebat, neque viribus par *neque peritia belli*, *copiarum defectui ſupplendo idoneus*. Quin pluvia tempeſtate agriſque, per incolas interciſis aggeribus, inundatis, commeatuum laborans inopiâ milites continere non potuit, quin crebris ad Venetos transfugiis, liberaliter illos conducentes, & mortibus exinanitum haberet exercitum; donec irritus incepti obſidionem ſolvere domumque ſe recipere cogeretur. Ita *exiit* annus MDC XLVII.

7. Quanquam autem Veneti *anno præterito*, non infeliciter bellum adminiſtraverant, magnitudine tamen ſumptuum & pecuniæ, frumenti hominumque mari terraque bellatorum inopiâ plerique in Senatu *ad Pacem*, *cum deditione Canadæ urbis & inſulæ totius inclinabant*; jamque *cœtum quadraginta virorum* cum plena poteſtate tractatum illum exequendi decreverant: niſi *Ludovicus Valarezus* Eques & Procurator, cum *Franciſco Quirini* cæteris demonſtraſſent, *ea facilitate Turcas ad majorem inſolentiam & iniquiora poſtulata invitatum iri*, nec ullam niſi in generoſa defenſione ſalutis ſpem reponendam. Quæ ſententia, *accedente difficultate formandi illum cœtum extraordinarium*, omnibus poſtremo ſedit, dataque eſt opera, ut apparatus utriuſque militiæ ſummâ curâ & abundantia quâ poterat, inſtauraretur. Et quidem in *Dalmatia* ne media quidem hyeme ab armis ceſſatum eſt, *Deviſo* & *Knino* caſtellis, è quibus latè *Turcæ* dominabantur, à *Foſcolo* ſupremo duce & *Scoto* militibus exteris præpoſito

posito captis atque *destructis*, egregiam operam navantibus *Morlachis*: Etiam pluribus *Christiani nominis* populis, quam utrisque expediret, se *Venetis* adjungentibus; *Albanis* in deficiendi conatu detectis & auctoribus crudeli supplicio adfectis. Sed *Veneti*, *Clissam* in rupe, uno tantum angusto aditu, sitam & magni habitam, singulari audacia & industriâ, adorti ad deditionem *Tekelio Bassa* cum auxiliis profligato, compulerunt, concessâ deditis libertate bonisque, *praeter sex e primoribus in permutationem aliorum immanibus captorum retentos*: Etsi *Morlachi*, quibus *fidei vel juris nulla ratio*, praesidiarios egressis suis rebus omnes, vitâque *ducentis amplius* exuerunt. *Clissam*, etsi magna pars Senatus demoliri satius duceret, servari tamen & accuratius muniri placuit, ob momentum loci, & ne Foscoli Ducis honos & memoria victoriarum ubique ruinis involveretur. In *Dalmatia* hoc *anno* praeter excursiones *Morlachorum*, *copiis & viribus partium alio distractis*, nihil amplius gestum, etsi Commissiones illorum quandoque non erant indignae memoratu, pleraeque *Morlachis* prosperae: quibus summo cum imperio praeerat *Stephanus Sorichius* Sacerdos & bellator acerrimus; qui praecipuus *Morlachicae* defectionis auctor & *Turcicae perfidiae* expertissimus, ut tamen *omnibus horis nemo sapit*, praetextu cujusdam tractatus à *Turcis* in insidias trahi se passus est, è quibus expedire se conatus, *amissis suorum trecentis*, ipse tandem vulnere dejectus & captus morte crudeli

deli *Turcarum* vindictæ immolatus est; cujus frater cum *Elia Smilianico*, cujus Pater etiam cæsus erat, *Sorelio* à *Morlachis* surrogati & à *Senatu* præmiis aucti honoratique sunt.

8. *Grimanus* Thalassiarcha *Venetus*, rebus anno superiore feliciter & prudenter gestis, mense *Martio*, cum classe numerosa egressus in mare, *Dardanellos Helle ponti* obsidere parabat, ut vel auxilia Turcis in Candiâ intercluderet, vel hostes ad pugnam compelleret. Sed tempestate coactus se recipere *Psaram*, illic naves hominesque colligebat, reparabat; verum mox atrocissimo vento oppressus in ipsa statione *Psarensi* scopulis infesta miserrimum passus est naufragium, ipso cum *Pretoria* & triremibus [illegible] fluctibus hostis vel scopulis illisis. *Gregorius Morosinus*, *Provisor* classis, qui in altum extra scopulos provectus suam alteramque triremem servaverat & *Antonius Bernardus* cum *Galeassis*, Bernardus autem *Morosinus* cum navibus, eadem usus prudentia vel fortunæ beneficio vim tempestatis evaserant seque in *Candiam* reparandi causa recipiebant. At obviam facti *Jacobo Riva* cum classe auxiliaria *Candiæ* destinata, *Galeassas* rebus instructas necessariis ad *Hellespontum* mittere, quæ etiam naves reliquæ apud *Candiam* reparatæ post auxilium *Sudanis* administratum & captam Præfecti *Andriensis* triremem, se contulerunt. Nihil magis inexpectatum *Turcis*, naufragio *Venetorum* mirifice lætatis, quam audacia se pugnæ offerentium, accidit; Nec diu cunctatus Thalassiarcha novus,

qui

qui prælio munus illud emerat, cum vix primum *Veneta* classis adspectum tulisset, in fretum se recepit; tam ægre ferente *Ibrahimo*, cui spem maximam jactantia sua fecerat, ut incontinenti *caput ei jusserit auferri*. Sed cum publicæ res nihilo melius curarentur & *Ibrahimus* regnandi ineptus ab omnibus judicaretur, *se ipse etiam affecto sublime emotus*, filiusque *Mahomet IV.* ei substitutus est, ut in *Turcicis latius*. Quo motu & aliis inde tumultibus ortis, *classem hoc anno ex Hellesponto educere non potuerunt*, ut *Veneti*, potentem æquam suæ classis per *Ægeum mare*, quæ auxilia Turcis apud Candiam agentibus, undique furtim advehi solita prohiberet, dimittere vacuum fuerit.

9. Præpositus erat *Candiæ* rebus *Ludovicus Mocenigus*, in *Delphini*, cujus filius à *Turcis* captus, locum, in *Præfectura* Patris, *Turcæ* ad cruciatus illi, quibus *Patrem ad deditionem scilicet, compellerent, ut est barbarorum ingenium*, incitaret. Militibus qui sex erant millia, præerant *La Marra*, *Gilliers & Rosenrothieux*, Equitatum ducebat Comes *Salmegli & Sinquilinus*. *Cussenus* minutis auxiliis, quæ mari toto *Veneti* impedire non poterant, justo exercitu comparato, quominus *Candiam* urbem arctius constringeret, morbo retardatus est, cui medendo *à Mocenigo, fiducia in barbaro majore, quam humanitate in Duce Christiano*, Medicum immiserat, *Gualterum*, *Judæum*; cujus opera brevi restitutus, urbem subterraneis cuniculis, industria & labo-

rio.

ri ſe e foſſis aggredi & ſua caſtra luculenter munire cœpit; quemadmodum & oppidani ſat ſpatii ad urbem omni genere munitionum, *intra & extra pomœrium*, inſtruendam habuerant. Nulli pugnæ vel artificii generi, quod *ingenioſa feritas in perniciem generis humani hoc imprimis ſeculo commenta eſt*, quæ non eſt hujus inſtituti referre, utrimque pepercerunt. Quibus etſi *Turcæ* progreſſus aliquando notabiles, *damnis etiam non minoribus reſarciti*, faciebant, urbe tamen à *Venetis*, qui *mari* potiebantur, adſiduis repleta ſubſidiis hominum & commeatuum, non multum in ſumma proficiebant; etſi *Cuſenius* è loco cui *Lazaretto* nomen erat, portum machinis bellicis infeſtum habebat. Etiam bis impetum ſummis viribus univerſalem in munimentum, cui *Martinengo* nomen, cum graviſſima utrimque, majore tamen invadentium clade, inſtituit; adeo ut pluviis eorundem opera corrumpentibus, quibus obſeſſi recreabantur & è *triginta hominum millibus decem* modo ſuperſtitibus, ad ver uſque proximum ſuperſedere, civitatemque tantiſper omittere cogeretur.

CAP. VI.

De ſeditionibus Siciliæ & Neapoleos.

POſtquam *Galli* Reges populos ſuos ad abſoluti metas obſequii redegerunt, eorum exemplo *cæteri Principes idem periculum in ſuos inſtituerunt*; Idque in his fere annis populos per *Hiſpaniam*, *Siciliam*,

liam, Italiam, Angliam, denique in ipsa *Gallia* compulit ad seditiones gravissimas. Et hujus quidem sectionis sunt, quæ in *Sicilia* & *Neapolitano regno* evenerunt anno 1647. & sequenti. Utraque ex eodem principio, quod omnes fere motus populares excitat, orta, *Tributis & vectigalibus*, non modo in usum Regis & belli, *sed etiam ad Pro-Regum & Magistratuum avaritiam explendam*, auctis & excogitatis. Cui rei accedebat *imminuta Regis auctoritas*, ex eo quod ministris obnoxius illorum insolentiam & rapinas non cohiberet, denique *Lusitanorum* ac *Catalanorum* exempla, quibus impulsi *spem domestici Imperii*, quod libertati proximum imaginabantur, animo conceperant *Siculi & Neapolitani*. Prima *Palermi*, indignatio populi in seditionem erupit, quâ vectigales libri arserunt, exactores pulsi, sublata è publicis locis arma; clamores abolendi vectigalia, potestatem Reipubl. inter *Nobilitatem & Populum*, sub *Regis obsequio*, ut adhuc præferebant, dividendi; postremo aperti carceres, impunitas delictis, libertas captivis flagitata, datæ *domus etiam nobilium ditiorumque spoliatæ*. Quæ mala in reliquas regni partes propagabantur, sed dux & Auctor deerat; qui cum se non offerret, sorti rem committere placuit: adeoque *jactis in quodam diversorio tesseris, sors incidit in Josephum Alexium* è plebe vilissimum, qui cum *Pro-regem* è palatio & urbe pepulisset in naves & dein cum eodem pacificatus esset, ejusmodi conditionibus, *ut in Republ. liberâ nimis fuissent populares*,

brevi ab ipso populo, irrisus & interfectus est; quem Pro-rex *Marchio Velezius* animi potius quam corporis morbo confectus brevi sequutus est, relicto cum imperio marchione *Montallegrio*, qui nihil potius se facere posse credidit, *quam omnia concedere, quæ virium defectu prohibere non poterat*; donec *Trivultius Cardinalis* Gubernator destinatus appelleret. Interim contentus *imagine Regiæ auctoritatis*, seditiosos inter se confundi & furere passus est, melioribus è populis jam tumultuum pertæsis & sibi ab infimâ plebe non immeritò metuentibus; Unde paulatim res ad quietem solitique regiminis auctoritatem redacta fuit.

2. Neapoli *Joh. Poncius Leonius* Dux *Arcosius* Pro-rex, florentissimum illud regnum, procul à belli malis remotum & nihilo secius onera belli, *tributa & vectigalia*, sentiens, gubernabat: non minoribus de *ministris & vectigalium conductoribus*, quam de *summo regimine* querelis. Novissime offendebat plebem gravissime, novum in fructus horarios vectigal, *modo exigendi molestius quam pecuniæ quantitate*, quæ perquam erat exigua; sed quæ facile, ut vulgus experimentis didicerat, semel in genere suo vectigali recepto, accresceret. Agricola *Puteolanus* cum ficubus in foro constiterat, à quo cùm exactores vectigal exigerent, neque desisterent, illo ad emptores relegante publicanos tandem cum & plebeji Magistratus illum condemnassent nummos non habentem, usu venit, *ut iratus ille ficus*

eus projiceret, quos alii ex plebe colligentes non tam prædâ gaudebant, quam indignam hominis sortem miserabantur. Inter eos qui adfluxerant fuit *Thomasus Aniellus* Melphitanus juvenis piscator, manu & ore promptus; qui præsentes hortatus exemplo suo præivit, in spolianda proximâ publicanorum domunculâ, idemque mox universâ urbe, cum impetu violentissimo fategit: Pro-Rege nihil opponente, manibusque furiosorum, cùm ad Castellum *Ovi*, quia *novum* erat clausum, se conferret, ægre, jactis aureis argenteisque nummis, exemptus est. Edictùm cujus statim sequutum de *abolendo fructuum vectigali* auxit insaniam, inclamantium *Caroli V. privilegium populo datum*, quod dudum cùjusmodi esset, ignorabatur; *ipsis exemptionem à cunctis oneribus significabat*. Cum indulgentiâ Pro-regis, omnia quæ vellent, promittentis invalesceret malum, cœperunt *Nobilium*, *quos haud minus quam Hispanos oderant*, spoliare & incendere Domos, absentes proscripserunt; *Masaniello*, sic contracto nomine vocabatur, cum *centum quinquaginta millibus*, ita ut cuique facultas erat, armatis omnia regebat, singulis noctibus *Cædes*, *Incendia*, *prædationes imperans*: Donec per octiduum circiter grassatus, *Pro-regi* conditiones *quas vellet*, in templo *Carminali* solenniter juratas extorsit, hac summâ, *ut vectigalibus abolitis, amnestiâ stabilitâ; populi jus & potestas in publicis rebus cum Nobilitate adæquaretur; ratihabitione Regia, cis trimestre præstanda.*

K 2 3. Sed

3. Sed *Masanielli* agitatione perpetuâ, *nullo somno per o[..]iduum capto*, in errorem mentis inductus & promiscua crudelitate suis etiam intolerabilis, à quibusdam ad hoc delegatis occisus est. Quâ cæde cum *Nobiles plebi* rursus insultarent & vindictam præ se ferrent, seditio longe infestius erupit; *Masanielli* cadavere defosso & regiis exequiis elato, Pro-rege in novum *castellum*, omnibus rebus destitutum, aufugiente; *pecuniæ copiâ nullâ*; *militibus Mediolanum dimissis aut à plebe concisis*; non modo in urbe, sed & omne per regnum, causis animisque passim iisdem, tam adversus *Hispanos* quam contra *Nobiles*. Si caput sibi fidum & belli peritum plebs habuisset, in res erant in hoc, *ut Hispani de regno pellerentur*. Sed electo à seditiosis *Francisco Toralto* cum Hispanis colludente, eodemque post dolum detectum à plebe interfecto; Classis Hispanica sub Duce *Johanne Austriaco* Philippi Regis filio naturali, in conspectum *Neapolis* appulit, navium numero terribilis, sed apparatu bellico & milite, cujus nonnisi *quatuormillia* fuere, vacua; tametsi duobus regnis *Siculo & Neapolitano* in ordinem redigendis *Plombinoque* & *Portolongona* recuperandis erat destinata. A Pro-rege concitatus *Johannes* populumque terrore nominis sui & ostentata vi solâ redactum iri ad obsequium opinatus, arma deponi Regiasque jussiones accipi *sine mentione conditionum juratarum*, imperavit. Spretis à populo minis, cum brevi, quam esset inanis Hispanica vis,

patuisset, populus induta palam rebellione, cum adhuc regis sui reverentiam verbis duntaxat, magni fecisset, *Reipubl. nomen & decus sibi vindicavit*, electo Duce *Gennaro Annæsio*, vili, callido & scelerum intrepido inventore & executore.

4. His ipsis diebus agebat Romæ exsul ab aulâ Gallicâ *Guisius* Dux, agilis corpore, adspectu gratus, acris & audacis ingenii, prudentiæ facundiæque non vulgaris: Hic Aulæ Gallicæ favorem visus est sibi reconciliasse, persuaso Pontifice *Innocentio*, ut *Mazarinii* fratrem *Archiepiscopum Aquensem* crearet *Cardinalem*. Idque Papa eo modo præstitit, ut intelligi vellet, *in solius Guisii gratiam id à* se fuisse constitutum. Ita *novo Cardinali* persuasum erat, isque omnibus officiis id agniturum se pollicitus, fratri suo Ducis rationes utilitatesque prolixe commendavit. Venit autem in mentem *Duci* res mirabilis, *ut ipse Neapoli, novæ fieret Reipubl. Præfectus, eodem jure parique splendore, quo Princeps Arausionensis erat in Belgio fœderato*. Hoc consilium urgebant *Neapolitani quidam*, quibus imperium *Gennari* violentum & vile displicebat, à Duce plus gravitatis & auxilii expectantibus. Consensum igitur est, ab ipso quoque *Gennaro*, ut Guisius *populo Neapolitano* domi militiæque præesset, *eodem jure*, *quo Princeps Arausionensis* populis *Belgarum fœderatis* moderabatur. *Mazarinius* recenti beneficio devinctus laudare consilium opemque polliceri visus est; sed revera displicebat ipsi

Gallisque cæteris arrogans illa Ducis comparatio, cum Principe *Arausionensi, ut potestatem à Rege independentem regiis viribus acquireret*, nec aliter illis persuasum erat, quam esse *visionem Guisii*, sine civili facultate successus, in populo, cujus status & ratio, nihil cum *Belgis, cum hi primum ab Hispanis deficerent & deinceps* Orangiis se darent, commune habebat. Ergo cum *Dux*, una exiguâque navicula in urbem per hostilem classem penetrasset, classis quidem *Gallica* deinde venit in conspectum urbis & *Hispanorum*; sed nihil præter commissiones quasdam tormentarias in favorem Ducis, *qui longe aliam exigebat operam*; suscepit, dictante Præfecto, *se minime habere in mandatis, ut Ducis consilio imperioque serviret*. Digna lectu sunt, quæ Dux ipsemet *in commentariis suis*, à se nullis licet suis viribus, in urbe proditionis & levitatis plenâ, *ubi nullos ipse, quibus fidere posset, amicos haberet*, prudenter & audacter adeoque *heroice* gesta narrat, modo finis consiliorum civilior & spei accommodatior fuisset.

5. At melior populi pars nullum è turbis exitum, *Duce à Gallis destituto*, hac viâ prospiciens, ad vetus Imperium respicere cœpit idque tota Nobilitas omni industriâ & auctoritate promovit. Cujus rei certiores facti *Hispani*, conventione de modo agendi, cum præcipuis populi capitibus initâ, *tria militum millia* in terram, quasi urbem oppugnaturi, exposuerunt; quibus obviam eundum putavit *Guisius Dux*, etsi ad-

adhuc *ne urbe egrederetur*, *diligenter caverat*. Sed operam suam populo probare volens & fisus *juratis Ducum populi adseverationibus* fictisque blandit is, cum suis copiis, longo satis circuitu, *ad Hispanos* contendit. Quorum Duces id momentum è compacto expectantes, *urbem ingressi sine cæde & sanguine*, *quin & sine conditionibus*, *in potestatem redegerunt*. *Guisius* igitur hostem non inveniens, obviam habuit qui sibi inclamaret, *Proditus es miserande Princeps*; *habet urbem hostis*. Cujus rei bene certior factus fugâ salutem quæsivit; sed deprehensus, diuturno carceris tædio in Hispania maceratus est; inrisus à Gallis ipsis, quod imaginariæ magnitudinis *Candidatus*, genti fallacissimæ famam fortunasque suas commisisset; *Neapolitani* exinde jugum vetus paulatim subiere, vectigalibus primo diminutis, veniâ universali promulgatâ: sed *Ognatus Comes*, novus *Gubernator*, deinde non habuit inopiam prætextuum, quibus auctores seditionum præcipuos vel suppliciis vel exiliis mulctaret, doceretque, *nullam fidem aut jusjurandum prohibere Principes*, *quominus*, *si facultas sit*, *ulciscantur eos*, *qui se Imperiis illorum ausi opponere*, *populos ad seditiones moverint & se deinceps offensis Principibus crediderint*.

SECTIO IV.

De Rebus Hispaniarum.

CAP. I.

De rebus Hispanicis usque ad defectionem Cataloniæ, ab anno 1633. *ad* 1640.

RES *Hispanicæ* prioribus *hujus sectionis annis* in se nihil admodum mutationis habuere; *Ministerio supremo* cum absoluta potestate, quod fuerat penes *Olivarezium Comitem Ducem,* manente apud eundem, Cujus hunc fuisse scopum manifesto patuit, non modo, ut imperium *foras extenderet*, sed etiam ut jura populorum, *quibus Regum potestas multis locis erat circumscripta*, supprimeret ac aboleret. Sed res externæ ab hoc tempore minus feliciter cedentes magnitudinem *Monarchiæ* & auctoritatem *Philippi* non parum coarctarunt, tam per clades *Germanicas*, quibus altera domus *Austriacæ* pars labefactata est, quam per adsiduos & immanes sumptus in *Belgio* & in *Italiâ* factos, eò majores, quod *procul ab aulâ pecuniæ à Ministris malè administratæ, pro minori parte in usus à Rege destinatos convertebantur.* Quæ causa jam olim inchoata ab hoc tempore magis magisque invaluit, *Rege per se parum intento* negotiis, & *ministris* consequenter *sui juris ac arbitrii*, id est,

im-

improbis & rapacibus. Quin ficut hiftoria fatales periodos in populorum moribus & ingeniis obfervat, ita plane compertum eft, Hifpanorum *prudentiam*, *induftriam* & *conftantiam*, quibus à tempore *Ferdinandi Catholici*, reliquas *Europæ* nationes fuperare vifi funt, hoc fæculo ita effe diminutas, ut hifce virtutibus à plerifque nationibus, nominatim à *Gallis*, inimicis fuis capitalibus longè fuperentur, quemadmodum è rerum argumentis fæpe demonftrabitur.

2. Amifit in *hujus intervalli* principio Philippus amitam fuam in Belgio, *Ifabellam Claram*, *Eugeniam*, Archiducis *Alberti* viduam, cariffimæ apud cives, propter eximias ejus virtutes, memoriæ, anno ætatis LXIX. De fucceffione ejus, *ad quam Belgicas nationes pertinere volebat*, Dux *Sabaudiæ* controverfiam movebat, utpote filius *Catharinæ Michaëlidis*, *Ifabellæ* fororis germanæ, cum *Philippus IV.* tantum effet filius *Philippi III.* fratris confanguinei, *à Patre folo*, ejufdem *Ifabellæ.* Cui accedebat, quod *Ifabellæ* mater fuerat è domo *Gallicâ*; ex quâ *Belgicæ* Provinciæ fcilicet, omnes terræ inter *Scaldim*, *Sommam* & *Oceanum* fitæ, *Balduino Bradeferio* dotali largitione olim decifæ fuerant. Sed *Hifpani* opponebant renuntiationem *Catharinæ Michaëlidis* de omni jure, quod illi in ditiones *Hifpaniæ* Regi fubjectas ullâ ratione competere poffet, confirmatam teftamento *Philippi II.* Opponebant etiam tractatum nuptialem cum *Al-*

berto & *Isabellâ* initam, hac inter alias lege; *Si contingeret, Isabellam sine liberis mori*, ut usu venit, *Belgicas & Burgundicas ditiones ad Hispaniæ Regem esse reversuras.* Præter quas rationes alia validior, *possessio & potentia tuendi possessionem* Hispanis patrocinabatur. Qui tamen ut securiores hac parte forent, discordias in ipsâ *domo Sabaudicâ* excitarunt; adducto Principe *Thomasio*, ut uxorem, quæ Comitis *Suessionum* erat soror, & virum ad hanc novitatem impellebat, cum liberis in *Hispaniam* mitteret, ipse *Bruxellam* proficisceretur; ita existimans, Hispanorum beneficio se *fortunam hilariorem & luculentiorem habiturum*; Quæ spes quem successum habuerit, in *Italicis* commemoratum est.

3. Præter externam hanc ἀναθεώρησιν, alia majoris periculi in ipsis *Belgii* visceribus latebat; quando ut illæ gentes ab *Hispanico* Imperio alienarentur, à Principibus Viris inita fuerat *conspiratio*; ab *Henrico* Comite Bergensi, Principe *Barbanzonio*, *Epinaio*, *Bournonvillio*, Comite *Warfusæo* & aliis. Quæ cum detecta & discussa fuisset, manebat tamen propositum *Hispanis* æquè suspectum, *ut pax vel induciæ cum fœderatis*, *nomine* Gentium *Belgicarum*, seorsim ab *Hispanis*, iniretur, quâ de re *aliàs* dictum *in Belgicis*. Inter ejus consilii auctores præcipuus erat Dux *Areschotanus*, qui re difficulter procedente, sibi passus est iter in *Hispaniam* imponi, quasi Legato *Infantis Isabellæ*, quæ eodem mense, *Novembri* MDCXXXIII. quo Dux iter susce-

susceperat, ex hac vitâ decessit. Prudentiores jam tum ita existimabant, Hispanos, quibus consilium separatæ pacificationis, utcunque speciem consensus adhibuerant, displiceret, non facile passuros, *ut primarius instituti illius fautor in Belgium reverteretur*, quemadmodum eventus docuit. Rex enim ipse cum primo Ducem de conjuratione familiariter, dein seriò examinasset, nec ille quicquam fateri vellet, eum dedit in custodiam. Ex quâ deinde, confessione defunctus evasit quidem, sed cum veniam redeundi in Patriam impetrare non posset, illic paucis annis postea mortalitatem explevit. Hæc etsi ad res *Belgicas* etiam pertinentia, commodius tamen hoc loco referri poterant.

4. Quo pacto deinde *Galli* se in bellum adversus *Hispanos* eruperint, cum alibi res in *prioribus hujus intervalli* annis transactæ sint, ea *suis locis* reservamus. In summâ satis constat, rem *Gallicam prævaluisse* & *Hispanos* crebris cladibus & improvida ac infelici rerum administratione, *de veteri gloria & auctoritate plurimum amisisse*, quâ res eorum magnis passibus ad illum contemptus & impotentiæ statum, in quo jam versantur, redactæ fuerunt. Dederunt operam fœderibus & conspirationibus cum *fratre Galliarum Regis* Galliarumque Proceribus, ut ingentes potentissimæ gentis vires, quantum fieri possent, distraherentur. Sed hæ res & cæteræ belli extra *Hispaniam* commissiones ad hunc locum referri non possunt. Quia verò, ut sæpe dictum

dictum & observatum est. *bella inter Hispanos & Gallos, mediis Pyrenæis, difficulter & minus efficaciter geruntur*; propter difficultates locorum & commeatuum; hinc usu venit, ut conflictus armorum inter utramque nationem, etsi per annos complures acerbissimè in *Italia* & *Belgio* actus esset, Hispaniam non attigerit, *ante annum sæculi* XXXVI. *quo Castiliæ Admirantus*, ut vocatur, *Bajonam Francicam* obsidione cinxit & oppugnavit, numeroso fultus exercitu. Sed à *Grammontio* Comite, Provinciæ Præside, per inopiam commeatum aliaque incommoda recedere coactus est. Anno XXXIX. *Princeps Condæus*, *Salzen*, quæ est urbs prima *littoris Hispanici ad mare mediterraneum*, occupavit paucis deinde mensibus à *Philippo Spinola* pro Hispanis recuperatam.

§ 5. Sed *Hispani* majorem de classe, tum paratâ, navibus *sexaginta* & amplius constante, spem conceperant, eventu licet dispari. Nam, primo sub Imperio *Archiepiscopi Bordeensis* aggressa litus *Gallicum*, nihil quam exscensiones & populationes modicas edidit. Deinde vero eadem classis aucta, *sub alio imperio*, in Belgium profecta magnos animorum motus excitavit, non tantum in *Gallis* & *Belgis* hostibus professis & propinquis, sed etiam in remotioribus oris *Balticis*, ubi *Dani* à Suecis eorumque fœderatis alieni, conspirationis cum *Hispano*, ut illos in mare *Balticum* deducerent, etsi absque certâ vel probabili ratione, suspecti habebantur. Quomodo illa classis à *fœderatis Belgis* oppu-

pu-

pugnata, destructa sit, *in Belgicis* videbimus. Hispania paucas naves laceras & rebus hominibusque destitutas vidit reversas, *novum infelicitatis suæ maritimæ specimen ac monumentum.*

6. Inter jacturas gentis haberi quoque potuit mors *Ferdinandi* Infantis Castiliæ, Cardinalis & fratris *Philippi*, in Belgio sub finem *anni* 1641. defuncti: qui victoria *Nortlinganâ* & felici defensione *Provinciarum Hispaniensium* contra vim unitam *Galliæ & Ordinum Belgicorum*, non vulgarem adeptus erat gloriam. Cui favor & applausus popularis accessit, quod liberalitatem & comitatem *incorrupto Principis honore*, cum rigidâ *Hispanorum gravitate* commutasset. Non defuere tamen in Aulâ *Philippi*, qui hanc mortem inter damna non referebant; metu, ne *Infans* generosus, similitudine morum *Belgis* conciliatus, illis Summâ, quam Legati potestate mallet imperitare; quam ad rem occultis *Richelii* stimulis acerrime incitabatur, oblatis ipsi cum filia *Ducis Aureliani*, viribus *Galliæ* totius & *Ordinum fœderatorum*, quibus nihil fuisset libentius, quando & à Gallis ea viâ sejuncti & pace potituri fuissent. Sed mors ejus suspiciones, an veros conatus sustulit aut oppressit.

CAP.

CAP. II.

De seditione bellique initiis Catalonici.

CAtalonia vel *Catalania*, nomen habet à *Gothis & Alanis*, qui olim è *Germania* profecti *Gallias* populati & in *Hispaniam* transgressi, his locis sede stabilita, pariter, etsi Gothi prævaluerant, imperium exercuerunt. Situs Provinciæ notabilis, propinquitate *Galliæ*, importunitate maritima & terminis quibus includitur, montanis. Ingenia populi *Castiliano* pridem imperio sueta, juris tamen sui, *quod antiquitus à servitute habuerunt alienissimum*, tenacia; quorum prætextu Regibus eorumque ministris sæpe se opposuerunt; etiam non ita pridem ausi negare suas petitiones Regi, *Barcelonæ*, cum *Olivario*, *Comite Duce* suo præsenti; quod hic alto animo recondens, occasionem habere se credidit, *ulciscendi contemptum Majestatis Regiæ*, ex eo quod *Gallis Salce* urbe potitis, necesse fuit opponere exercitum; qui ex vicinâ *Catalonia* capiens alimenta, non modo populos, solitis & necessariis adflixit malis; sed etiam effusus in licentiam, pro *discretione* quam vocant, id est; *sine discretione* juris & injuriæ, more vivebat arbitrario & intolerando, *ut nec rapinæ, stupra templorumque violationes abessent:* Quod onus maxime post *Salcen* recuperatam ingravescens, palam fecit, ab Aulâ continuari, ad populum pro vetere contumaciâ male mulctandum; & cum à Gu-

Gubernatore per jussiones Regias, *sine consensu Ordinum*, terrore præsentis exercitus, pecuniæ exigerentur, non fuit difficile proceribus & populo animadvertere, *in hoc esse Regem & Olivarum*, ut oppressis armatâ vi Ordinum *privilegiis*, arbitraria Regis potestas stabiliretur. Res tulit, ut Præses sive *Gubernator*, *Comes Colomensis* pecunias ad ærarium *Barcelonæ* civitatis pertinentes *Regio fisco* vindicaret; Cui cum se conatui *Juratorum* unus, qui *Magistratus ibi præcipuæ auctoritatis est*, opponeret, idemque præterea *vim insolentiamque militarem* coerceri postularet, à Prorege conjectus est in custodiam, anno. 1640.

2. Jam patientia & indignatio populi ad seditionem maturuerat, *occasio saltem expectabatur*; quæ cupide ex hac Proregis violentia ab omnibus arrepta; Populus ad arma convolavit, *carceres aperuit*, *urbe tota discurrit*, tanto cum motu concordique furore, ut *Comes Colomensis* nullum quam in fugâ præsidium inveniret; Primo in *Armamentarium* se recondens, inde, cum secure ibi non ageret, *populo ignem inferente*, triremem ad aufugiendum parari jussit. In quam priusquam se reciperet, *à furente multitudine deprehensus & trucidatus est*. Qui hoc aliisque facinoribus reditum ad *Regis gratiam* nullum sibi fore tutum ratus, excussit jugum, creatoque novo *centum Virorum Consilio*, juxta veteres Magistratus, dedit potestatem administrandi Rempubl. independenter & sine respectu

ad

ad *Hispanos*, qui minime parati ad tantam repente vim sustinendam per omnem Provinciam conquisiti, interfecti aut expulsi sunt. *Comes Dux* hunc motum & qui inde sequuturi essent, ab *Arragoniâ* & *Lusitania* imprimis animo anxio timens, primo per *Viduam Cardonæ Ducem*, cujus apud *Barcelonenses* inveterata erat auctoritas & per *Nuntium* Pontificis ibi agentem, res componere studuit. Quâ spe repertâ inani, summâ peremptoriâque vi seditiosos opprimere statuit. Cujus tamen rei apparatus non potuit esse tam repentinus, ut *Catalani* tempus se valide muniendi & auxilia Gallica implorandi non haberent: Et quidem *Richelius* avidissime amplexus occasionem, legatos eorum blanditiis & promissis cumulavit, ductores belli peritos populo *Catalonico* misit & Legatum *SanPolium* summæ virum solertiæ ac industriæ, qui res eo dirigeret, *ut populus Catalonicus se Galliæ Regi subjiceret*, ablegavit.

3. Sed exercitum xxx. millium *Olivarius* Marchioni *Velezio* Catalaniæ Proregi destinato, cujus ædes populus *Barcelonæ* spoliaverat & destruxerat bonaque publicaverat, commisit, qui *Tortosa* & *Balaguera* in potestatem redactis, *Combriclem*, ubi seditiosi sese muniverant, progressa est. Qui spretis conditionibus, cum quinque diebus repugnassent nec nisi *in arbitrariam deditionem* recepti fuissent, locus est dirutus, ductores suspensi, milites concisi sunt; *ex quo sanguine desperatio per omnem gentem pullula-*

bellavit. Quam foventes ministri Gallici spem potentis auxilii sic ostentarunt, ut conditionem insinuarent necessariam, *committendi se Galliæ Regis imperio*; quod illi præsente metu compulsi his legibus receperunt: *ne tributa, vectigalia, nisi ex Ordinum consensu imponerentur; Ne dignitates Ecclesiasticæ vel civiles aliis quam indigenis tribuerentur, excepto Proregis officio, quod* [illegible] *aliaque plura.* Hæc ultimis diebus *anni* 1640. Velezius perculsis infestandum ratus primo *Tarraconam*, secundum à *Barcelona* civitatem, sed imbecillem aggressus, eam continuo ad deditionem, *vita civium bonisque salvis* adegit; ac inde spei plenus *Catalanis & Gallis jam* discordantibus, se *Barcelonam* contulit, ubi cursus hæsit victoriæ; civibus ibi egregie concordibus & ingenti præsidio Gallico sub *Mota Hodancourtio* instructis, munitionibus etiam validissimis: quarum cum nullam partem *Velezius* occupare posset & commeatu deficeretur, obsidionem solvere coactus est; Quam *Galli & Catalani* statim *Tarragonæ* mari terraque adhibuere; sed Dux *Ferrandinus* per mediam classem Gallicam negligentius agentem & minoribus navigiis, quæ cominus pugnare possent, carentem, primo *undecim*, dein multo pluribus in portum *Tarraconensem* deductis navibus, urbi succurrit. Quod dedecus *Galli* emendaturi bellum in *Arragoniam* transtulerunt ibique *Valmarite* capta, *Almenam* à Castilianis obsessam liberaverunt.

L. CAP.

CAP. III.

De initio defectionis Portugallicæ anno 1640.

Quæ ratio *Catalanos* ad seditionem impulerat, odium *Castilianorum* & deliquium auctoritatis Regiæ, majorem & altius repetitum in Lusitaniâ seu *Portugallia* motum eodem *anno seculi* XI excitavit. Odium naturale *Lusitanorum* adversus *Castilianos* non erat diminutum imperio *septuaginta fere annorum*, quo hi *Lusitanos* habuerant obnoxios, sed injuriis superbiæ quæ nationis dominantis, in impatientiam auctum, ut nihil quam defectionis occasionem exspectare viderentur. Quæ hoc tempore crebris *Hispanorum* adversitatibus in variis *Monarchiæ* suæ partibus, imitamento Siculorum & præsenti seditione *Catalonicâ* se propitiam & speciosam offerebat. In horto *Antonii Almedæ* apud *Lisbonam* inter complures nobiles primum defectionis initum est consilium, & post consultationem de formâ Reipubl. nihil potius visum, quam ut *Regiâ* contenti potestate, dominos alienigenas removerent, improspero jam Reipubl. liberæ instituto à *Catalanis* tentato deterriti. Miserunt igitur clam Legatos *Petrum Mendozam* & *Johannem Pintum Hiberum* ad *Johannem Bragantiæ Ducem*, per feminam ortum ex *Eduardo Immanuelis* olim Portugalliæ Regis filio *tertio*, cujus filia *Catharina* non tam liquido jure quam poten-

tiâ

tiâ *Philippi II.* regno exclusa fuerat, ut vidimus in *tom.* 2. *Lib.* 2. *sect.* 1. *C.* 7. *n.* 7.

2. Johannes *Bragantinus* cum hujus ratione juris, tum dignitate opibusque tantum *erat privata fortuna* superior, quantum *infra Regiam*. Quare invidiæ declinandæ causa, contrahere se adfectabat; *cavendis nihilominus insidiis ex Aula struendis, vel struendis intentus*. Ideo sese otii studiosum alienumque à negotiis gerens, non ita pridem, orto in quadam Civitate tumultu, *cum nomen suum inclamari audiisset*, talem se demonstraverat, ut non minus à *simulatione* quàm ab *ambitione* remotus crederetur; & tamen invitatus ab *Olivarezio* in Aulam, ut bello tanquam *Regni Comesstabuli* adversus *Catalanos* præficeretur, constanter & accuratè se excusaverat. Nunc à Proceribus *ad regnum capessendum* incitatus cum nullo modo certus esset consilii, duabus rebus *ad consentiendum* adactus est; Primâ, disertis legatorum minis, qui conspirationem eo deductam adfirmabant, *ut nomen ejus volentis aut nolentis* proclamandum foret, quod in utrovis casu æque periculosum esset: Altera, uxoris ejus, quæ soror erat Ducis *Medinæ Sidoniæ*, ingentis animi feminæ cohortatio, quæ Regium decus vitæ periculo præferendum existimabat. Etsi vero pignus fortunæ in talibus sit *fides secreti*, quæ & in *ducentis amplius conjuratis* in hoc negotio memorabilis fuit, variis tamen è præsumptionibus, *Margarita Gubernatrix* quod res erat, ex parte duntaxat conjiciens,

Comitem Ducem & Regis Consilium, quid facto opus esset, commonefecerat; Paucos in regno esse *Castilianos*, locis munitis parum esse prospectum tam milite quam utroque commeatu, denique adversus subitam rebellionem præsidii esse parum. Sed *Olivarius* & Aula Philippi jam tum hoc vitio, quod sæpe deinceps in *Hispanis* animadversum est, *ut de futuris periculis magnis se non crucient; Instantia vero & incumbentia propulsare nesciant*, laborabant.

3. Primo *Decembris die anni* MDCXL. Nobiles conjurati *horâ nonâ matutinâ*, quasi ad Gubernatricem mane salutandam, in Palatium se contulerunt: ubi *ad sonitum sclopeti explosi*, quod signum convenerat, strictis armis, milites in statione securos & incompositos aggressi facile exuerunt; & è vestigio *Michael Almeida* virtute & canitie Venerandus senex, cum aliis pluribus populum *ad libertatem*, sub Rege *Johanne II.* vocarunt. In quo nulla mora, dissensus vel dubitatio fuit; omnes *ad arma* conglobati *cohortem Castilianorum* ad *Palatium* properantem impetu furioso in fugam conjecerunt. Proceres interim *Johannem Vasconcellum Olivarezii* amicum & res *Portugalliæ* sub nomine *Gubernatricis* absoluto cum imperio regentem, in armario quodam absconditum, protractum, interfectum & è fenestra dejectum populo gratissimum obtulere sacrificium. *Margaritam Regentem* omni honore cultuque regio habitam ad regni fines deduxere. *Lisbona* civitas brevissimo tem-

temporis spatio tanti mutatione momenti defunctâ sese eodem die sui ipsius in potestate, & quiete solitoque parendi Magistratibus ordine conspexit, & novum Regem die VI *Decembris* summa cum lætitiâ & magnificentia recepit, nec ullo *intra octiduum*, ullus fuit in *Portugalliâ* locus, quin *Johannem* Regem agnosceret, *Castellanis* in stuporem actis & munita loca, tam Lisbonæ arcem quàm *Sancti Johannis* Castellum, situ naturali inexpugnabile habitum, nullâ vi expugnatâ, tradentibus. Nec in *Indiis* vel *America* locis usque à *Portugallia* dependentibus, cum primum eis nuncius certiores sunt facti, hæsitatum est à præfectis & præsidiariis, omnibus fere *Lusitanis*. In Aula *Philippi* suspectus etiam erat Braganti(n)i affinis *Medinæ Sidoniæ* Dux, in quo forte primo sinistre opinandi rationes non deerant; sed ille deinde quo se purgaret, duellum novo Regi, cum ingenti convitio *Rebellis & Proditoris* denuntiavit. Quod hic ut Rex, affinis, & gnarus, ex *quo Principe illa denuntiatio procederet*, accepit & silentio prosequutus est.

4. Quantopere *Castellani* hac defectione perculsi fuerint, intelligi potest inde; quod *Olivarez* nihil ad reducendos *Lusitanos* parandum vel tentandum putaverit, opum defectu, Aulis tot bellis extra *Hispaniam* & *Catalonico* in ipsis ejus visceribus, distracti; Præter quod de nova conjuratione contra novum Regem spem fovebant; in cujus eventum copias non spernendas habe-

habebant paratas. Inita erat conspiratio ab *Archiepiscopo Bragensi*, *Castilianis* vetere affectu addicto & *Olivarii* consiliis implicito, & à Marchione *Villarealis*, cum hujus filio Duce *Caminensi*, qui Patrem incitasse credebatur & Marchione *Armamario* Villarealis nepote, ejusque auctoritatem sequuto. Causa erat æmulatio & indignatio parendi *Bragantino* Agnato suo & nuper illis pari, & major è *Castilia* spes honorum. Summa consilii parum bene cocti & parati, erat, ut *die tertio mensis Julii*, manu comparatâ, *Regem & Reginam eorumque liberos occiderent*, *urbem variis locis & classem in portu incenderent*; quo plebs à conjuratis impediendis averteretur; quam interim *Archiepiscopus* auctoritate religionis, & *signo Crucis prælato*, ad quietem & erga veteres dominos obsequium hortaretur. Sed à proditione deformi, quidam conscii, *opus enim erat numero*, abhorrentes rem totam Regi detexerunt; interceptis etiam literis principum conspirationis, nuntio per Regis exploratorem interfecto. Tum Rex convocato *in Palatium* Concilio, cui Principes conjurati intererant, omnes sevocatos sine tumultu in custodiam conjecit, in quâ *Archiepiscopus* ob privilegium ordinis detentus, reliqui gutture carnificis cultro sellis vincti insidentes *Hispanico more* publicè præbuere. Quod genus mortis honori cognationis Regiæ datum; honestior enim mors à gutture ob oculos, quam à cervice per gladium Lusitanis videtur, Caminensis Dux præ-

præteriens sellam Patris, genibus flexis, pedes mortui multis cum lacrymis osculabatur, quasi manes ejus veniam, quod causam mortis ei præbuisset, precaretur. Rex per quatuor horas luctum, agnationis causa, veste prætulit.

5. Idem interim novis externis fœderibus, maximè cum *Gallis* & *Belgis*, acerrimis *Hispaniæ* Regis hostibus, res suas firmabat; misso è *Gallia* legato *Brezao Marescallo*, cum magno comitatu & pompâ, *ad auctoritatem novo regimini conciliandam* & adductâ classe numerosâ. Quippe consilium erat, *quadraginta bellicas naves parare, quibuscum Hispanis &* [illegible] *classem Americanæ argentiferæ insidiarentur. Porro, Gallia Lusitanis ad omne genus auxiliorum rerumque necessariarum, certis legibus, pateret.* Cum *Belgis fœderatis*, quibuscum in statu belli, ut pars Imperii *Hispanici*, erant, induciæ decennales (*quia pacem status rerum in America perpetuum non ferebat*) initæ sunt, quæ tamen in terris ultra *Æquatorem* sitis, nonnisi post annum inciperet; cis æquatorem *quisque possideret sui potestate, Castilianos saltem utrique infestarent*. Annuum illud tempus Societas *Indiæ Occidentalis*, quæ dicitur, *Belgica*, naviter observavit, per *Mauritium Nassavium* rebus eorum præpositum, *Fanum S. Pauli* in Africâ, *Loandam*, cum insulis quibusdam magnique locis momenti, cis annum occupantes, magno cum dolore sensuque acerbissimo *Lusitanorum*, qui hanc *Belgarum* solertiam duplo fraudis in tempore pensaverunt.

verunt. Hæc ita *Nanius* in lib. xi. historiæ. Atqui de anno illo nihil actum inter Lusitanos & occidentalis Indiæ sive Americæ Societatem; sed cum Orientalis *Indiæ* Societate duntaxat, ut in ipsis videre licet *Tractatuum* instrumentis. Etsi verum est; Occidentales ante ratihabitionem induciarum notabiles in America & Africâ fecisse progressus, dehortantibus licet ipsis *Ordinibus Generalibus*, quâ de re latius infra. Cæterùm, novus Rex à plerisque Europæ Potentatibus agnitus, *Romæ* tamen *Hispanorum* auctoritate prævalidâ, toto hujus intervalli tempore diuque postea non potuit obtinere Legatorum admissionem aut juris Pontificii in *Ecclesiasticis* copiam & facultatem.

CAP. IV.

De rebus Hispanicis ab exitu anni 1641. *usque ad annum* 1648.

Galliæ Rex *Ludovicus* & Cardinalis *Richelius*, perfeditione in *Hispania* propinquo auxilio foverent, ipsi in *Roscinonem* Hispanicæ ditionis *Comitatum*, cum exercitu profecti, *Perpinianum* oppugnare non ausi, eminus obsidere instituerunt: Et quia succursum erat obsessis è *Colibure* urbe maritimâ, cui tribus cum millibus erat præsidio *Acerrera Marchio*, *Richelius* hanc urbem prius occupandam statuit, cui proinde *Olivarius* quovis modo opem ferre decrevit; Omnisque Hispania rumor & desiderium incessit, quando

quando *Galliarum Rex* aderat ipse, Regem suum non minorem defendendis suis, quàm *Ludovicus* oppugnandis hostibus adhibebat, operam navare debere. At *Olivarius*, cui semper ea cura fuerat, *Regem a negotiis avertere*, iter omni studio dissuadebat. Etsi autem *hoc tempore* prævaleret ipsius Regis voluntas, opera tamen data est, ut ejus expeditio nihil ad rem amplius, quam si domi mansisset, conferret. Aderant proficiscenti Regi, *histriones aliique deliciarum ministri* omniaque voluptatum instrumenta. Quibus excitandis *iter lente procedebat*, cum digressionibus ad opportuna loca frequentibus; adeo ut sero admodum *Saragossam*, quo tendebant, adsequerentur: *quam Regis tarditatem qui exercitum & res ad bellum necessarias curabant*, *imitabantur*. Eam vero sustinere non poterant *Colibrienses*; Idcirco jussit *Olivarezius*, ut tria *selectorum equitum* millia civitati auxilio mitterentur: quod minime tam facile erat exequi quam imperare, cum per mediam hostilem *Cataloniam*, Gallorumque præsidia & copias iter faciendum esset. Sed *Comes Dux* imperiose magis quam prudenter obsequium, non interpretationem volebat. Ergo iverunt tria millia, sub Marchione *Povarie*, *flore equitatus Hispanici*, cujus universi motus si in promptu fuisset, rem conficere potuisset. Hic autem numerus à *Motha Hodancurtio*, quem rustici *Catalani* haud segniter adjuvabant, circumventus inter montes, ubi nihil erat commeatus, necessitate subactus *se totum sine pugna*, cum ar-

mis, signis & equis *dedere* compulsus est. Neque multo post *Milliaræus* Gallus *Colibrienses*, cisternâ eorum publicâ per cuniculos subversâ, ad aquæ redactos inopiam æque ad deditionem adegit. *Perpinianum* tamen à *Marchione Floresio d'Avila*, qui majorem quam erat, victus inopiam simulabat, *ut Gallos spe properæ deditionis, a vi majore cohiberet*, adhuc industria magis quam copiis servabatur; dum interim *Olivarezius* exitum ingentis in *Gallia* conspirationis, *quæ discussa fuit*, expectabat. Et postremo cum *Perpinianenses* inopiam simulare desiissent; omni spe destituti auxiliorum, bona fide *deditionem fecerunt* idque imitati sunt *Salsenses*. Omnibusque amissis, de quibus tum custodiendis laborabant, exercitum *peditum* xx *millium*, *Equitatus sex millium* sub *Marchione Leganesio* se Gallis & rebellibus opposuit: Qui numero licet inferiores, pugnam tamen detrectare noluerunt aut nequiverunt, qua jam prævalebant Hispani, quando *Hedencourtius* restitutis ordinibus ex improviso tres machinas bellicas *Hispanis* iterum extorsit, primamque hostium aciem ita quassavit, ut nocte separati *utraque pars victoriam sibi asscribendi facultatem haberent*. Hæc anno 1642.

2. In quo rem diversi generis apud Aulam Comes Dux instituit; Habebat filium nothum *Henricum*, nauci hominem & semper ab illo spretum, matrimonio cum meretrice, criminibus ac itinere in *Orbem novum* desperato infamem. Hunc inde reversum nihilo meliorem, subito impetum

fecit

fecit, *manifestandi* pro filio suo & in Aula producendi: Nobilem Regii Cubiculi creavit, comitatum & familiam Comitis Ducis filio dignam circumdedit, denique ab *Admirante Castiliæ* primario Hispaniæ Principe, *filiam* illi, postquam divortium à priore famosa imperatum fuerat, obtinuit, non sine omnium, qui violentiam *Favoritarum* quos vocant & obnoxiam inferiorum conditionem ignorant, indignatione. Sed ad leniendam invidiam *Comes Dux* auctor *Regi* fuit, ut simili modo filium suum naturalem, *Johannem*, adhuc ignoratum, publice agnoscendi, *eumque ut Regis filium* habendi & *exornandi*. Quæ consensio domini & ministri plerisque inepta & pro temporum ratione satis infelicium, intempestiva videbatur. Neque multo post hanc enormitatem sequutus est lapsus *Olivarii*, *Comitis Ducis*.

3. Quippe tot tantisque adversitatibus suprà commemoratis fractus, qui omnes malorum causas sibi imputari non ignoraret, ajunt anxium curis aut casum graviorem è mutato regis affectu hoc modo prævenire volentem, *ad genua Regis supplicem se projecisse*, cum lacrymis & precibus, ut sibi *bona cum Regis venia secedere & secretum quærere liceret*: *At Regem* causa perturbationis intellecta, multo amplexu & solamine verborum, *quod divinæ providentiæ res inprosperas sciret adscribendas*, eum dimisisse volunt. Docuit tamen eventus, *Olivarii conscientiam* melius auguratam esse quam Regis *ignorantiam*. Quâ mox literis *Imperatoris* & Reginæ hortamentis, postremo

mo totius Aulæ & vulgi una voce discussa, *Olivarius* mandatum recipiendi se ex Aulâ *Loechesium accepit*; cui satis prompte paruit, habitu mutato, incognitus, ne à vulgo, quod jure timebat, discerperetur. Fama est, Regem unius adsuetum ingenio, neque parem negotiis, nec alio cui se fideret, reperto, *de revocando illo cogitasse*: nec id non eventurum fuisse, nisi ipse *Olivarius*, apologiâ, *qua nihil inutilius contra odium commune*, spem suam corrupisset, offensis pluribus, qui non destitere tam diu instare facilitati Regis, donec eum ulterius facessere & custodiri juberet. In quo statu, non ferens quietem animique mœstitiam brevi è vita decessit: *vir ingenii vivacis sed violentioris, neque res, ut erant, sed pro suo aestimantis*, & vel ideo, vel fati iniquitate plerumque minus secundâ in publicis usus fortunâ. *Magnas opes non cumulaverat, neque privatæ potentiæ, per loca munita, præfectos & Duces, ut in Gallia primi satagunt ministri, consuluerat*. adeoque per omnia *Richelio* meritis & fato dissimilis: Idcirco & lapsus ejus sine strepitu nec ullâ cujusquam oppositione commissus est. Locum primum apud Regem, per se regnandi incapacem occupavit inimicus ejus *Ludovicus de Haro*, qui magnam præ se ferens modestiam totus in hoc fuit, *ut non modo nomen, sed & speciem ministri teneret*, Regique potius *obedire*, quam ejus voluntates *regere* videretur, haud inutili temperamento.

4. Hujus initiis fortuna paulisper arrisit, prosperes

speris in *Cataloniâ* successibus, ubi *Philippus de Sylva* summus belli Dux *Lamotham Odancourtium* vincere suetum statariâ pugnâ superavit, cujus victoriæ fructus fuit *Leridæ* civitatis obsidio prosperi eventus, *Odancourtio* id impedire non valente, propterea quod Galli tum maximè *Flandriæ* intenti, *Catalonica*, ut aliena, minus curabant. Ipse *Philippus* Rex suspicia sua prosperitate aliqua cupiens illustrari, *Fragam* non procul à *Catalonia* se contulerat, ubi semel parum abfuit, quin *Gallorum* insidiis & præcipiti audaciâ circumventus & captus fuisset. Proinde non diu illic cunctatus *Madritum* se recepit, illuc citis literis evocatus ob morbum *Elizabethæ Franciscæ* uxoris suæ, qui fatalis ei fuit; matronæ ab Hispanis laudatæ, quæ aversionem mariti, quam perinde ac *Anna*, soror *Philippi* à *Ludovico* marito sustinuerat & *Olivarii* injurias, officio uxorio remiserat, & nihilo secius regnorum salutem ad animum suum pertinere sæpe re verbisque testata fuerat. *Sylva* post *Leridam*, æquè feliciter *Balaguerium* occupaverat, dum *Motha Hodancourtius*, iterum offendit in *Tarraconâ* irrito successu denuo oppugnata, nec amplius inter partes quicquam actum *hoc anno* 1644. deficientibus in *Castilia* viribus ad *Portugalliam* adhuc justo exercitu aggrediendam; Nec adeo *sequenti anno* quicquam in *Hispaniâ*, caussis modo demonstratis, memorabile gestum.

5. Sed anno seculi XLVI. revocato à Gallis *Lamothâ Hodancourtio*, cui fortuna postremis annis

nis tergum vertere visa erat, *Harcourtius* Comes, cujus egregia facta in *Italia* vidimus, in *Cataloniam* cum novis auxiliis missus *Leridam Cataloniæ* clavem rectè dictam, obsidebat. Cui præerat *Georgius Brittus*, qui simulatione pari cum eâ, quam *Perpiniani* tentaverant, feliciore usus est eventu; persuaso *Harcourtio*, ad summam commeatus inopiam se esse perductum; cum interim is victum ita exerceret, ut obsessi in longum, ab hostium vi liberi durarent, spatiumque darent *Leganezio* cum validiore exercitu, quam *Galli* habebant, ad urbis subsidium accurrendi. Ardebat *Leganezius* ingenti justissimoque desiderio reponendi injuriam ab *Harcourtio* sibi in *Italia Casalin* obsidenti, unde præter opinionem ægre salvus evaserat, impositam. Et reposuit vindictam non minore, quam *Harcourtius* acquisiverat, gloria. Cum enim Galli ad *Leridam* in castris munitis hostem expectarent, Hispani perquam nobili audaciâ, munitionibus eorum perruptis, in *fugam illos* insigni cum clade, tormentis impedimentisque & omni castrorum apparatu amisso, conjecerunt.

6. Sed lætitia tam claræ victoriæ oppressa est nuntio incomparabilis mali, quo majus universæ *Hispanorum* Monarchiæ evenire non poterat, de morte Principis *Caroli*, Philippi Regis unicæ prolis masculæ, qui *Sarragozæ* in anno ætatis *decimo octavo* morte immatura sublatus est. Cum nemo doloris sui modum habere posset, Rex Pater, ad quem proxime jactura pertinebat, cum primum

primum cadaver filii adspexisset, *tam constanter hunc funestissimum tulit casum*, ut nullo mœstitiæ signo, confestim arrepto calamo, *Ministros & Gubernatores tanti mali certiores fecerit*, commendans illis populos & exercitus, *quos se pro filiis suis haberi prædicabat.* Clarum est, ejusmodi gravitatem vel a virtute singulari & heroica, vel ab ἀναισθησίᾳ naturali, quæ in parvis aliquando ingenuis est maxima, proficisci. Quam in *Philippo* Rege fuisse qualitatem multa probabile facerent; etiam quod à scurris ideo dictus est *Philippus Scipio*, id est, *stipes*; nisi in tam illustri Principe nato è domo, *cui gravitas & constantia est hereditaria*, aliter hanc quàm virtutem à natura licet adjutam, appellare nefas foret.

5. Præter orbitatem & incertitudinem *Successionis*, hic casus etiam Pacis spem inter *Gallos & Hispanos*, quæ in *Westphalia* tractabatur, retardavit. Nam *Galli* credentes, Regem *Philippum* provectiori ætate filium non suscepturum, ita existimarunt; Illum *Infantem suam* Principi alicui agnato è *Germania*, forte *Cæsaris* primogenito elocaturum: Quo facto, vastam illam potentiam domus *Austriacæ* in unum coalituram *Galliæque* non minori fore periculo quam fuerat *sub Carolo V.* Instandum esse fortunæ, quatenus *ipsis* pleraque *secunda*, *Hispanis adversa* evenire videbantur, nec aliter paciscendum, *nisi Infante cum dote suorum jurium*, *Galliæ nexibus adjuncta*. quod consilium mox adfirmatum est duplici seditione belloque *Siculo* & *Neapolitano*; quæ si non principium

pium, saltem fomentum e morte Principis & omnium regnorum successoris accepere. Certo etiamnum, quod veteres prodidere, *suscepisse* [illegible] *tantum regnantibus adhærere, prosequi, quantum a liberis successoribus* adipiscuntur: de rebus *Siculis & Neapolitanis* actum est in *Italicis*.

8 Pacem orbis terrarum, quæ *Monasterii tractabatur*, tandem magna ex parte compositam fuisse *anno seculi* XLVII. & sequenti, dictum est in *Germanicis* & dicetur *inferius*. Magnum *Hispanis* levamen & animus accessit è pace, quam ipsi cum *Belgis fœderatis* primo omnium inierunt, odio naturali gentium tandem aliquando prudentiæ civilis dictamine victo; *neque pressis atque expulsis è Belgio Hispanis, statim timenda Gallorum experiebantur*. Et tempus venerat, quo illa Reipublicæ, cujus maximè operâ Monarchicum *domus Austriacæ* institutum fuerat subrutum, se verteret ad simile impedimentum *Gallis* objiciendum; quod hæc separata pacis conclusione statim apposuit validissimum. Hinc enim *Hispani* à *Belgis* jam erant securi, iniquas sibi conditiones passi non sunt imponi; quas inter hanc tulere Galli, ut sibi non modo *Lusitanis* auxilia mittere, sed etiam per modum *assistentiæ*, ut loquuntur, adjuvare liceret. Ipsi vero de restitutione *Cataloniæ* nihil æqui velle concedere. Bellum igitur inter eos renovatum diu meliore *pro Hispanis* successu, quam pridem administratum fuerat & gestum, ut ex *relatione* Gallicarum rerum & *sequentium annorum* intelligetur.

SECTIO.

SECTIO V.

De Rebus Gallicanis.

CAP. I.

Ab anno 1633. *usque ad* 1636. *& finem primæ expeditionis Gallo-Belgicæ.*

GAllia bellis civilibus defuncta, cum se ad externas acquisitiones accingeret, enormitate successuum *Gustavi Adolphi* perculsa, spectatorem ludi cruenti inter *Catholicos & Protestantes* egerat per biennium; donec *anno sæculi* XXXIII. *Suecorum* Rege sublato, *genius* Galliarum *Richelius Germanicis* rebus apertius hac occasione se immiscuit. Carolus *Lotharingiæ* Dux aliquoties à Gallo *propter conspirationes cum matre Regis & fratre cumque regni hostibus initas & cultas* male habitus, ut *præcedente libro* vidimus, ægris oculis eorum fortunam in *Alsatiâ* stabiliri videbat; quod ita cerneret eventurum, si Gallus *Alsatiam* occuparet, se utrimque eorum terris & copiis cinctum & à propinquo *Imperatoris* auxilio exclusum, fore totum in eorum potestate. Proinde huic funesto, ut autumabat, casui quovis modo se opponere volens, *Austriacis novo fœdere se adjungere statuit*, Obligatus erat *novissimo tractatu quatuor millia militum Gallo tradere*;

Tradidit eo modo, *ut è vestigio dissipati milites ad Imperatoris signa numerosque* cum aliis pluribus ab ipso Duce dim issis *se conferrent:* Quibus aucti imperiales *Hagenoa*, *Colmariâ* & aliis locis captis, suas res in *Alsatiâ* instaurarunt. Non ignorabat *Carolus* se *Gallos* & *Suecos* hoc facto habiturum inimicos; sed à *Suecis* parum sibi metuebat, *Gallicam* vim per tumultus *Aureliamenses* à fratre Regis movendos præventum iri sperabat. Sed non erant *Carolo vires adversus fallacem fortunam:* Primo enim *Hagenoam* à *Suecis* obsessam liberaturus ab illis victus & profligatus est; Qui exinde non modo *Alsatiam* sed & *Lotharingiam* effusè populati sunt. Galli Ducatum *Barrensem*, quem Senatus *Parisiensis* ut feudum Galliæ, per *feloniam* Ducis *ad Coronam rediisse declaraverat*, sine molestiâ in potestatem redegerunt, & præterea *Ponta-Moussonio*, *Chaunesio*, *Lunevilla* pluribusque minoris momenti locis captis, ad ipsum *Nanciaeum* cum exercitu accesserunt. Dux ancipiti circumventus periculo, cum spe incerta mala propulsando & futura, se instantibus & præsentibus, sine remedio, sentiret oppressum, cepit subitum consilium, *Ducatui suo renuntiandi* & in *Nicolaum Franciscum* fratrem suum, *Cardinalem*, transferendi. Qui intactus inimicitiis & delicti adversus *Galliam* expers, deposito *Cardinalis* pileo, *Combaletam Richelii* neptem dilectissimam & forte *cariorem*, *quam ut eâ carere posset aut vellet*, in uxorem petiit. Addidit Dux, se *Margaritam sororem*, cujus nuptias cum *fratre*

tre Regis. Ludovicus, ut prætextum belli exagitabat, in *Galliam* missurum. Quæ cum hæc agi intelligeret, *induta virili veste*, clam sese è Lotharingiâ non sine vagis erroribus, per saltus & sylvas, periculoque à Suecis passim grassantibus recepit ad maritum suum *in Brabantiam*, ubi à *viro*, *à Reginâ matre & ab Hispanis* amanter honorificeque recepta fuit. Richelius igitur commentis illis, ut fallacibus refutatis, Ducem cum nihil auxilii haberet aut videret, ad duras compulit Leges; *Renuntiaret externis fœderibus*, *Arctè se conjungeret cum Gallis*, *Rebus Germanicis ne sese ingereret: Nanciaum traderet in fidem observantiæ pactorum; donec fide & constanti obsequio Regi justam adimeret suspicionem*, *denique matrimonium Gastonis & Margaritæ dissolveretur*. In traditione *Nanciai* erant omnia: Quare cum Galli possessionem ejus capere vellent, præfectus clam monitus à Ducibus illos exclusit. Ergo Gallis vim extremam minantibus, cum Duces omnia circumspicerent, nihil invenirent, pacta renovarunt, addita saltem hac utrimque insidiosâ conditione; *ut aditus & commorandi facultas in urbe sibi daretur*, sperantibus se occasione aliquando potituros; Gallis eos ut captivos habere cogitantibus. Antequam urbs traderetur, *Carolus* Dux in castra Gallica profectus se *fiduciæ & humiliationis specie* atque blanditiis aliquid impetraturum sperabat: sed ut honoris imitamenta non deerant, ita se Regiis cinctum custodiis abitumque sibi interclusum vidit; donec Præfecto *Nanciensi* novum

& peremptorium mitteret mandatum, missos à *Galliæ Rege præsidiarios admittendi:* Quo facto, libertatem adeptus, tutum se tota Lotharingiâ locum habere non putans, inde recessit & *Galli* ad urgendam *Brisaci* obsidionem se contulere, quæ jam tum erat in oculis & è longinquo inchoabatur; cum aliud nihil deesset ad continentem, usque Rhenum, possessionem stabiliendam, quam semel adepti nunquam bona fide deinceps omiserunt, non modo, ut ditiones suas tam notabili incremento proferrent; sed etiam ut communicationem *Italiæ* cum *Belgicâ*, *cui imprimis inhiabant*, Hispanis præciderent. Quibus incommodis removendis Hispani *Ferdinandum Infantem & Cardinalem in Belgium destinavere*, sustinendis rebus, cum per intestinas in *Belgio* turbas, tum per vasta vicinarum *Potestatum* molimina vacillantibus; hæc *anno* 1633.

2. Quanquam autem Gallis erat fixum animo, rebus *Hispanorum* labefactatis, spe certâ magnorum progressuum, *in bellum adversus illos erumpere*, tam callide tamen hoc consilium dissimularunt, ut à *Fœderatis*, quos interim modicis fovebant subsidiis, per *integrum annum sequentem* se rogari & observari sustinuerint. Priusquam animum & arma detegerent, factu opus esse judicarunt, ut *Regis fratrem* cum matre *Bruxellis agentem*, sibi reconciliarent eumque in Galliâ complecterentur: postquam & à *Senatu Parisiensi* & à *Clero Gallicano* causâ cognitâ declaratum esset, matrimonia Principum Regii sanguinis sine Regis con-

consensu & nominatim quod inter *Gastonem Regis fratrem & Margaritam Lotharingicam contractum erat*, Legibus regni esse invalida, nulla: Quanquam *Pontifex Urbanus* sententiam illam auctoritate sua nunquam adfirmare voluerat, ipsumque matrimonium deinceps, etiam usque post obitum Regis, *integrum & inviolatum mansit*. Sed Gastoni discessus è Brabantiâ non difficulter persuasus est, postquam *Puilaurentius Dux*, & Rector ejus, à *Richelio* promissis cumulatus amplissimis id sibi placere significaverat; cui accedebat æmulatio *Gallorum* cum *Hispanis*, exacerbata, postquam *Gastoniani* lætitiæ signa de victoriâ *Nortlinganâ* soli *Bruxellis* edere noluerant. Omnibus compositis, *Aurelianensis*, simulato venandi instituto *Bruxellis* uno die *Capellam* Gallicæ ditionis oppidum *Bruxellâ* xxv. *milliaribus* distans, inde *Suessiones* & die xxi. Octobris ad Regem apud *Germani fanum* appulit, veniaque rogatâ & accepta tanquam Regis frater habitus & honoratus est. *Puilaurentius* suum quoque præmium quod stipulatus erat, *Ducis & Paris Franciæ* honorem accepit. Sed experiri debuit, quod ratione non præsumserat, *Principes nunquam bona fide remittere, quod adversus auctoritatem suam, ubi auctores in potestate habeant, commissum fuerit*, maxime tales, quibus eadem nocendi facultas supersit; cui accedebat *Richelii ingenium, nihil unquam inultum relinquentis. Puilaurentius* vix tribus in hoc honore mensibus exactis, in custodiam conjectus & breui apud *Sylvam Vincenniatem*

tem vitâ defunctus est, cum aliis praecipuis Aurelianensis ministris, qui hanc contumeliam devorare novosque à Richelio ministros admittere & recipere coarctatus est.

3. Sed Galli post cladem Suecorum *Nortlinganam*, cum se Austriacorum fortuna validius excitaret, arma sua diutius continenda non putaverunt; neque tamen aliter se commisere, quam ubi praeter *Suecos*, etiam *Belgas fœderatos* stabili & fidenti fœdere sibi conjunxissent, à quo multi in *Hollandia* imprimis, adhuc erant alieni. Mirum est, quanto studio & fervore *Richelius* extremo tempore, *cum prius se rogari passus esset*, in hoc fœdere fabricando versatus sit, quod tandem confectum *die* VIII. *Februar:* MDCXXXV. hac summâ; Galli cum *exercitu* XXV. *millium peditum & equitum quinque millium in Belgicam irrupturos seque cum fœderatorum exercitu ejusdem numeri conjuncturos, vel separatim adversus* Hispanos *prout in rem communem expediret*, acturos; Ordines *adjungerent classem, qua maritimæ urbes Flandriæ ab externis auxiliis præcluderentur. Nationes Belgicis Hispanis parentes blandis Edictis ad excutiendum Hispanicæ dominationis jugum incitarentur; si nollent, vi cogerentur.* Galliæ *Regi tum cederet Ducatus* Luxemburgicus, *Comitatus* Namurci, Hannoniæ, Arresiæ & Flandriæ *usque ad limitem, definiendum linea, quæ inciperet à* Blankenbergâ *usque inter* Damum & Brugas, *medio spatio continuanda* Rupelmondam. Ordines haberent hæc, *Marchionatum Sancti Imperii*, qui continet

net *Antwerpiam*, Dominium *Mechliniæ*, Ducatum *Brabantiæ* & Reliqua *Flandriæ*, *quæ cis lineam Gallicam extant*. *Fœdus hoc duraturum*, *usque dum Hispani è Belgio penitus ejecti forent*. *De pace vel induciis agere*, *multo magis pangere ne liceret aliter*, *quam conjunctim & communi consensu*. *Cum de Tessera in exercitibus danda imperiique prærogativa*, *si quando exercitus conjuncti forent*, *ambigeretur*; *prævalente* Regis majestate Ordinibus & *Principis* Arausiensis *dignitate gloriaque Ducibus Gallicis*; hæc ratio placuit, *ut Arausionensis acciperet à Rege mandatum imperandi suis exercitibus*, *quod in casu conjunctionis exerceret*; *nisi* Rex *ipse vel* frater *ejus aut* Richelius *in exercitu Gallico præsentes forent*, quibus *Arausiensis* cederet; *Cautum*, *ne mandatum illud quicquam juri Belgarum fœderatorum* & *Imperii*, quod Princeps ab illis haberet, præjudicaret, adeoque nihil hoc Gallicum esset Imperium quam *honorarium*.

4. Paulo post *Galli* hominem fecialis cultu ornatum misere *Bruxellam*, qui illic medio foro bellum *Hispanis* indixit & *præsidem* supremum atque *Magistratus* ad audiendum citavit: Cum nemo publico nomine prodiret, ille prælectum libellum in forum projecit & citato cursu, educto gladio, ex urbe se proripuit. Hispani in suo *Manifesto* quod vocant, ideo se noluisse homini auscultare dixerunt, quod dubitarent, an verus esset fecialis & non potius homo nauci; sicut olim *Ludovicus* XI. Galliæ Rex *Eduardo* IV, Anglo, quod refert *Commineus*, imposue-

 rat.

rat. Sed Galli adulto vere suum exercitum numero qui convenerat & valore præstantem, omnibusque ad usum belli quemlibet instructum in fines Hispanienses, ducibus *Castilionaeo* & *Brezeo*, *Marescallis* quos vocant, deduxerunt, ut se cum *Arausiensi*, apud Mosæ Trajectum agente conjungerent. Princeps *Thomasus* exercitum pro *Hispanis* ducebat xv. fere millium, altero tanto minorem Gallico: Ausus est tamen illis se opponere & impedire transitum apud quasdam viarum fauces, quas Galli jam occupaverant. Ideoque in patentibus campis apud Arienum depugnandum fuit, nec alio eventu quam ex numero binorum contra singulos præsumptum fuerat. Cui accedebat, quod Galli recentes, etiam pari numero, difficulter sustineri potuissent. Pugnatum tamen est à meridie ad quintam vespertinam, quando nihil Hispanorum supererat; Quatuor millia cæsa fuisse Galli in suo *manifesto* deinde publicarunt; Hispanis non edentibus numerum ideoque tacite confitentibus. Tanta victoria Gallis ducentorum constitit hominum jacturâ, ut ipsi in eodem Edicto profitentur. Quod statim post illam victoriam prodiit, signatum die vi. Junii MDXXXV. Continet præfationem de *beneficiis è Galliâ ad Hispanos profectis*, *de illorum ambitione Monarchiæ universalis*, *aliaque generalia*; dein *maleficia Hispanorum recensentur : Invasio vallis Tellinæ contra Grisones Gallorum fœderatos & Ducis* Mantuani; *duntaxat*, *quod Gallus esset*. Dux *Lotharingiæ quinquies incitatus contra*

tra rem Gallicam. Tractatus cum *Rohanao* rebelli, *Huguenotarum* Duce, *fovendis in Galliâ bellis civilibus*, *& cum Aurelianensi Regis fratre*; *Studium accendendi inimicitias & factiones in Domo Regiâ & universo regno*. *Denique*, *vis facta* Trevirensi Archiepiscopo, *quod se fœderi Gallico illigasset*, *ejusque captivitas invidiose exagitatur*. Tandem, *præsentes Hispanorum apparatus alio quam* ad vim & arma Galliæ inferenda non tendere: Satius igitur esse, *bello semel defungi*, *quam continuare pacem centum & quinquaginta millibus militum*, *quos Gallia propter insidias Hispanorum alere cogeretur*, *tuendam*; & similia, quæ dein *Hispani* alio Edicto refutarunt.

5. Sed verba parum momenti in bello habent; Manuum & armorum opus erat. Nec unquam majore cum spe prosperi magniq; successus, quam hæc *Gallorum* & *Belgarum* expeditio fœderatorum inchoata fuerat. Exercitus LX. *millium amplius* florentissimi militis, cum omni bellico apparatu & instrumento. Victoriæ recens partæ fama. Conjunctio apud *Trajectum Mosæ* facta cum Arausionensi feliciter. Temperies æstatis, progressibus & acquisitionibus bellicis aptissima. Hispanorum imbecillitas aucta recenti clade, Longâ morâ *Cæsareani* sub *Picolominæo* auxilii. Tumentes adhuc animi Nobilium & populorum, qui non ita pridem periculosas adversus Hispanos factiones & conspirationes ediderant. Hæc comparata cum victoriis, quas *Arausionensis* antea solus obtinuerat, *Gallos & fœ-*

deratos spe certa, magnam *Belgicæ* partem Hispaniensis hoc anno separatum & forsitan *Hispanos* inde penitus ejectum iri, impleverant. Sed nec unquam evidentius patuit hominum vanitas ambitiosorum & divinæ vis inopina providentiæ. *Non erat consilium, urbes obsidere munitas; quod longum & inutilis moræ censebatur; sed mediterranea captu facilia tota, que nationes abstrahere, id sibi proposuerant.* Ergo mediam in *Brabantiam* inde à *Trajectu Mosæ* progrediebantur, simulantes ire *Bruxellam*, etsi *Lovanium* primo deflectere volebant. Teena civitas imbecillis in transitu postulabatur; sed Præfecto vis major expectanda videbatur. Idcirco *Henricus Casimirus* Frisiæ Gubernator, cum tribus aut quatuor millibus ad rapiendam ex itinere urbem missus, militem cohibere non potuit, quin deditionem serò oblatam vi armata præveniret, idemque ab aliâ parte *Galli* prædæ inhiantes fategere. Civitas insultu capta nihil malorum, *quicquid Duces obniterentur*, ejusmodi captivitatibus solennium non sustinuit, rapinis, cædibus, stupris & incendiis. *Quæ res valde perperam cessit proposito, nationes ad conjunctionem cum Gallis & Belgis invitandi; quod humanitate, non feritate Martis tentandum fuisset;* Intelligebant dolebantque Duces, sed sors & vis militum consilia corrupit.

6. A *Teena* Galli *Lovanium* properabant, *Arausiensis* dissuadebat: Capta enim urbs nullo modo retineri poterat. Pergendum ad interiora, hostemque pellendum, forte si quid motus pro-

proveniret; Id si non procederet, urbem limitaneam quæ custodiri posset, in potestatem redigendam. Gallis tamen instantibus, *Lovanium*, in quo erat *quinque millium* præsidium, præter cives & Studiosos, placuit obsideri; sed negligenter, absque *circumvallatione*, Principe rem non satagente serio & solenniter, quam improbaret ac inutilem censeret; Lovanienses strenuè se defendere; Tempus teri, Gallis commeatus deficere, quorum subvectioni è longinquo curandæ minus bene prospexerant; Principe satis in suis curandis habente negotii. Postremò de Picolominæi adventu in auxilium Hispanorum *eum sex millibus peditum & IV. millibus equitum* egregiæ militiæ, urgentes nuntii, Lovanium derelinquere & ad Mosam se recipere, dictavit ratio. Princeps inde Gelriam urbem facile servandam obsidere parabat; nisi repentino ac intonante nuntio de *Schenkiano* munimento, quod caput erat *insulæ Batavorum* & usque in medias *Fœderatorum* terras aditum præbebat, expugnato abstractus fuisset, quâ de re *in Belgicis* agendum. Hujus munimenti recuperatio in hyemem usque producta *Gallorum* exercitum suis malis diu conflictantem pene dilaceravit, non pugnis sed defectibus omnium rerum. Non accipiebant à Rege suo stipendia; *Fœderati* hospitio illos in suas urbes receptos cum nihil haberent, ex inopiâ insolentes & rapaces factos gravabantur. Hinc querelæ, inde miseriæ. Languebant & consumebantur; etiam nobilissimi ado-

lescen-

lescentes, qui viaticis pridem absumptis, fame & squalore confecti peribant; pauci navibus in *Galliam* reduces sua sociorumque mala popularibus retulerunt, initio anni 1636.

7. Tam inexpectatus potentissimæ expeditionis, quæ tam lætum habuerat initium, quæ *Hispanos* uno impetu *Belgio* excussura credebatur, eventus non modo *Gallos* perturbavit, sed etiam exteros, interque eos *Nanium* Historiæ prudentissimum auctorem in hanc non suspicionem, sed adseveratam animi sententiam adduxit; *Principis Arausiensis Sponte operaque tam male cessisse primam expeditionem eumque Gallici exercitus internecionem esse molitum & ad ecutum.* Juvat audire *Nanium. Hollandi*, inquit, *exercitui suo de commeatibus exacte prospicientes Gallis alimenta subtrahebant.* In fœdere non erat comprehensum, ut *Belgæ* in hostili solo *Gallis* de commeatu prospicerent; Id ipsis incumbebat pro se, uti *Belgæ* pro suis id fategerunt. Quod si *Gallis* datâ operâ commeatus subtraxerit, id erat hostile; Sed falsum neque à *Nanio* adsertum. Si negotiatores, *Belgis* quam *Gallis* vendere maluerint, ac inde *Gallorum* inopia sit orta, id horum rapinis & stipendiorum defectui imputandum. Si hac fiduciâ *Brabantiam* ingressi sunt, quod *Batavi* illos alerent, male rationem putaverunt. Nanius; *Non est dubium, quin ut Unitæ Provinciæ fœderi Gallico primum adstipulatæ sunt, duntaxat ut Gallos ad Arma contra Hispanos excirent, id consequuta, nihil magis aversatæ sint,*

ſint, quàm ut Gallos ex amicis haberent vicinos. Imo non eſt dubium, quin *Nanius* Belgarum ingenia moreſque ſecundum *Italos* eorumque profundas artes æſtimet. Belgis nihil opus erat, ut *Gallum* ad arma adverſus *Hiſpanos* provocarent & dein ſummâ perfidia illis ſe tranſverſarios, ne vicini fierent, objicerent; cum *Pacem arbitratu ſuo ab Hiſpanis habere* ac ita Gallos à ſua viciniâ longè tutiori modo ſubmovere potuiſſent. Nihil eſt certius, quam odium *Hiſpanicæ gentis* pleriſque *Belgis* tum nequedum permiſiſſe, ut *quantum à Gallorum vicinia periculum immineret*, ad animum revocarent, uti *in Belgicis* videbimus. *Nanius*; Huic *communi Provinciarum conſiderationi acceſſit injuriæ memoria acceptæ à Gallis, in Principe* Arauſionenſi; *quia* Richelius *inter varias artes & fiduciæ ſpecimina, conatus erat ipſam Arauſionum Arcem redigere in poteſtatem; Quæ res cum fefelliſſet, factum & famam diligenter oppreſſit. Sed alter diſſimulando pari cum artificio vindictam occaſioni reſervavit & jam gaudebat, ſe, poſtquam in vincendis Hiſpanis pluribuſque eos locis munitiſſimis ejiciendo gloriæ ſatis è fortitudine & audacia comparaſſet, nunc ipſum Richelium ingenio & arte ſuperando non minorem per orbem terrarum politices maximaque prudentiæ laudem acquirere poſſe.* Agnoſce, quæſo, Italicam in vindictæ perſecutione ſolertiam. *Arauſionenſis* ſummo ſtudio belli Societatem procuraverat, Imperium in ipſum Gallorum exercitum ſuo conjunctum acceperat, ut omnis gloria in ipſum re-

redundaret: Hoc unice in eam gratiam, ut propter evanidas in arcem *Arausionensem* insidias à Richelio propositas, Regem potentissimum deformi proditione lethaliter offenderet? Remque publicam tunc ejus amicitiæ indigam daret præcipitem & Societate, tanta Principis ipsius cura studioque contractam incontinenti abrumperet? Quid enim aliud ab immani proditione perfidiâque poterat expectari? Cum tamen eadem Societas per duodecim annos continuata sit, nec quicquam ejusmodi tunc temporis vel unquam postea Galli de fœderatis Belgis, etiam cum irati essent, conquesti fuerint. Hæc ad eluendam perfidiæ maculam cum à gente simplici ac aperta, tum à Principe generoso rectâque viâ semper in quærenda gloria uso collocanda fuerunt, præter ipsam rei nudam expositionem modo positam & in Belgicis repetendam.

CAP. II.

Ab initio anni 1636. usque ad nativitatem Ludovici XIV. anno 1639.

OStenderant Galli in hoc belli principio, se nondum exuisse vitia gentis antiqua, *negligentiam & inconstantiam*, qua magno cum impetu nova consilia & expeditiones aggressi, fervorem brevi remittere, defectuque rerum & pecuniæ successus corrumpere solebant. Tum quidem pecuniæ deficientis culpam in *Brezæum* Ducem qui stipendia militum aleâ perdidisset, conferebant.

bant. Sed Belgis ille defectus & calamitas Gallici exercitus, quam *Nanius* ab ipsis procuratam contendit, adeò molesta fuit, ut primo statim anno de pace Hispanis auscultare cœperint, misso aliquoties *Turnhoutium*, ubi Hispani erant delegati, Ordinum Generalium *Graphiario*; non sine Gallorum querelis & specie læsi fœderis; quod omnes de pace tractatus, aliter quam *conjunctim & cum alterius socii co sensu* vetabat. Sed cum Galli viderent, Ordines ad pacem inclinasse eamque desiderare; ne quid ab se facerent seorsim, ipsi Tractatus pacis *Coloniæ* vel *Leodii* aliove loco vicino, sed *generales* inter omnes Europæ partes bellatrices, instituendos proposuere die 30. *Aprilis* 1636. Non ut Ordinibus pace gratificarentur, sed ut in illa confusione tot partium toto cœlo terrâq; discrepantium conclusionem separatam, imo, cum Hispanis pacem penitus eluderent ac impedirent. Atque hoc est initium tractatus illius Pacis, quæ non nisi post duodecim annos, exceptis tamen Gallis & Hispanis, coiit.

2. Sed hoc anno *Hispaniarum* Princeps *Infans* re nuper adeo feliciter gestâ, instandum fortunæ ratus, cum præcipuus *Gallorum* exercitus in *Hollandiâ* periisset, Principem *Thomasum* in *Picardiam* cum *Picolominao* & Cæsareanis misit; qui provinciam non modo populati & omnibus belli malis ulti sunt, verum etiam tres urbes munitas, *Capellam*, *Castelletum* & *Corbiam* opinione celerius occupaverunt; dum *Carolus Lotharingiæ* Dux & *Galassius* cum Cæsare-

anis

anis *Ducatum Burgundiæ* vaſtabant: *Lamboyus* autem & *Mercius* æquè Cæſareani Principem *Condæum* à Dolæ in *Comitatu Burgundiæ*, qui Hiſpanici juris eſt obſidione depulerunt. Res Gallica ſic ſatis in arctum redigebatur, *Hiſpanis & Cæſareanis* numero & viribus longe prævalentibus, nec erat amplius, quod *Pariſios* uſque victores moraretur: Et mirabantur homines, quid ni ipſum caput rerum aggrederentur. *Sed victi aut inferiores non æquè cognitas habent difficultates hoſtium, licet viribus aut victoria terribilium, quam ſuas infirmitates. Ideo plerumque* victi & liberati ita differunt, *ſi ſciviſſet hoſtis vincere; viciſſet omnia nec ſalvi eſſemus.* Piccolominæus & reliqui Duces Cæſareani præter ancipitem longinquæ inter media hoſtilia expeditionis eventum, ad quam multa, quæ ipſis deerant, requirebantur, mandatum Imperatoris arcanum habebant; *ne ſe periculoſis exponerent commiſſionibus*; ſed omnia ſibi, tum maxime id agenti, *ut filium Regem Romanorum crearet*, integra præſtarent; Ergo viſum illis potius, agros & urbes mulctare vel populari. Quâ morà *Richelio*, qui jam Regem & aulam *Lutetiâ* timidus *Aureliam* abducere parabat, datum eſt ſpatium majores parandi copias; quas contra præteriti temporis conſuetudinem Principibus Sanguinis, etiam ſibi iniquis, ut *Duci Aurelianenſi*, & *Comiti Sueſſionum*; denique populum ipſum, cui ſe exoſum ſciebat, armis inſtruebat, eorumque viginti millia ſub Duce Laforcio, quem magni faciebant, adverſus hoſtes emiſit. Mutati

ratio consilii, *Necessitas*, quâ sine Principum & populi auxilio & voluntate res sustineri non posse videbat; & *Notitia* Gallorum ingenii, *quibus in magno ab externis hostibus discrimine caritas Patriæ privatis studiis, nisi nimis exulcerata sint, plerumque prævalet*. Suessionensis primo se vastationibus in Picardiâ objecit; sed clade aliquâ repressus apud *Feram*, *Aurelianensis* accursu & conjunctione sublevatus est, utroque jam cohibendis hostibus pari. *Laforcius* se *Gallassio* & *Lotharingio* in *Burgundiâ* & *Campaniâ* opponebat, impar tamen viribus, quando Cæsareani *quadraginta* millium habebant exercitum. At *Galli* vitando conflictus summos, continendo se locis tutis, intercipiendo commeatus, quod in Patria ipsis promptius erat, *Cæsareanos* hactenus, ut prædis agrorum contenti essent, cohibuere; *Gallassio* quoque manibus hactenus ligatis, ne quid incerti eventus tentaret aut copias *Cæsaris* periclitaretur; quod erat futurum, *si Gallos* in locis munitis aggredi vel ad pugnandum cogere voluisset; maxime postquam Dux *Vinariensis* & Cardinalis *Valetta* ex ipsâ *Germania* ad succurrendum regno evocati accesserant. Gallassius igitur mense *Novembri* in *Alsatiam* se recepit. In *Picardia* vero Galli sub Duce Aurelianensi, præsente *Richelio* & ipso Rege in propinquo agente, non modo loca pridem amissa recuperarunt sed & *Royam* urbem Hispani ademerunt. Pars difficultatis Gallicæ fuit, quod Princeps *Orangius*, exercitu fœderatorum hybernâ obsidione munimenti *Schenkani*, admo-

dum fatigato, nonnisi mense *Augusto* prodiit in campos, ut nec quicquam majoris momenti susciperet. Quod ut imposterum Rex evitaret, incommodum sanè gravissimum, in proximum annum promisit, Ordinibus se daturum, *quindecim centena millia florenorum*; tractatu *inito d. 6. Septemb.* MDCXXXVI.

3. Periculo ex illa duplici invasione discusso, Richelium & Regis Consilium duo distraxerunt incommoda. Unum seditio popularis apud Sanctones vicinosque, *decem & octo millibus hominum*, ductu Marchionis *Isoduni*, qui frater erat *Chalesii*, quem ante aliquot annos *Richelius* involutum aulicâ conspiratione capite mulctari curaverat, armatis. Sed hic motus quâ vi, quâ dolo & arte, brevi sedatus & compositus est. Alterum incommodum fuit, secessio *Aurelianensis* & *Suessionensis* ab Aulâ, cum querelis & minis sonantibus. Aurelianensis jam ante *Royam* & *Corbiam* captas, *Regis* & *Richelii* præsentiâ se videns adumbrari, digressus erat è castris. Rediit tamen ad Regem quo de victoriâ gratularetur. At brevi postea rursus sine veniâ discessit, cum *Suessionensi*; ambo quod sibi carcerem certissime cognovissent esse paratum, dictitantes. Regis frater *Aureliam*, *Suessionum* Comes *Sedanum* secessit, ac inde fœderatis *Belgarum* Ordinibus significavit, sibi propositum esse, in ipsorum Provincias concedere ibique tempus exilii terere. Sed *Ordines* quam arcto fœdere cum *Galliæ* Rege Aulâque conjuncti essent, demonstrare, nec integrum sibi fore

ini-

inimicos *Aulæ* debitis honoribus excipere: Satius sibi videri, ut *Sedani* se contineret, ubi proinde *per quadriennium* in exilio vixit. *Aurelianensis*, artibus *Richelii* succubuit & gratiam cum illo reconciliavit; spe factâ, fore ut ejus cum *Margarita Lotharingicâ* matrimonium probaretur; quemadmodum exinde, saltem tacite, mansit *in statu quo tunc erat* illud conjugium, nec probatum neque rescissum.

4. Quomodo *Galli* his temporibus *Vallem Telinã* perdiderint & *Hispani* Insulas *Massiliæ* propinquas occupaverint, classe bene instructa in *mare mediterraneum* missâ, pridem *in Italicis* vidimus. Sed hac æstate *Galli* ex Oceano in mediterraneum XXXVII. naves bellicas, cũ aliquot triremibus jungendas deduxere: Qua conjunctione factâ, *Sardiniam* Insulam *Hispanici* juris aggressi *Oristanium* occupavere. Sed imminentibus cum *Hispanica* classe *Jannettino Doria Genuensi* & reliquis *Sardiniæ* locis à *Leganezio* Præside Mediolanensi ad vim sustinendam mediocriter instructis, *Harcourtius* Comes, in quo prudentia & audacia certabant, versis repente velis, *Provinciæ* litus petiit, ibique insulas *Gallis* ereptas *Sanct: Honorati* & vicinam invasit; priorem minus munitam posterius aggressus celeriter occupavit. Alteram melius munitam & à viris strenuis defensam majori cum difficultate, redegit ad deditionis terminos, cum *Michaël Sardus* arcis *Aragoniæ* quod erat nomen, *præfectus*, post acerrimam contentionem, auxiliis se destitui videret, classe licet *Hispanica*

in conſpectu Arcis conſtitutâ, ſed auxilium in Arcem *mille peditum*, quod Sardus intra octiduum poſt initam pactionem expectari ſtipulatus erat, viriũ defectu Hiſpani introducere nõ potuerunt.

5. In *Belgica* placuit impoſterum, ut *Gallorum* & *Fœderatorum* exercitus ſeorſim in ſuis quique limitibus agerent; quod majore cum fructu & ſucceſſu, quam prima expeditio, adminiſtratum eſt. Galli cum *tripartito exercitu* à ſuo latere progreſſi ſunt, primo quidem, ut *Audomari fanum* raperent; ſed urbem ita munitam, ita locis cinctam munitis invenerunt, ut nihil tentandum putaverint. *Lavaletta* & Dux *Candalis Caſtrum Cameraci*, & poſtea *Miliaræo Richelii* nepote cum novis copiis accedente, *Landreciam* in poteſtatem redegerunt. Candalæus præterea *Maubeugium* cepit & *Caſtilionæus* in *Lutzenburgenſi* Ducatu *Danvilieerum* occupavit & poſtremo *Valetta Capellam* recuperavit: Dum ab alterâ parte *Breda* ab Arauſionenſi obſidetur & conſtringitur ad deditionem, intra pauciores *ſeptimanas*, quàm egregius *Spinola* menſibus eam ſubegerat.

6. Eodem tempore *Hiſpani*, avertendis è Flandriâ *Gallis* & viribus eorum varietate labefactandis, Comitem *Scrbellonum* Mediolano evocatum & Ducem *Cardonæ*, vice Regis *Cataloniæ* præſidentem, miſerunt in *Occitaniam* ſive *Languedociam* ad obſidionem *Leocatæ* urbis, cui parum à *Gallis* erat proſpectum; & quæ expugnata, ſitu inter paludes, adituque per anguſtos aliquot aggeres diffi-

difficili firmam, in hostico sedem pollicebatur. Nec ea spes fefellisset, nisi *Schombergius* provinciæ Gubernator, Nobilitate & quicquid militum conradi poterat, evocatis, in universum *decem millibus peditum & mille equitibus* impetum in obsidentes repentinum fecisset, non tam cæsis hostibus, quam loco ad urbi succurrendum idoneo per angustum iter vi capto. Quod *Hispani* conspicati castra suâ postridie & urbem liberam reliquerunt; etiam vero cum dedecore summo, tormentis *quadraginta* bellicis majoribus & omni castrorum apparatu amissis, *hac anno* 1637.

7. Annus *sequens* XXXVIII. minus victoriarum fœcundus fuit pro Gallis. Cum enim *Audomari* fanum *Laforcius* & *Castilioneus* iterum obsedissent, Princeps *Thomasius* locum adeo subsidiis opportunum occupavit, ut bis urbi notabiliter succurreret, dein & partem hostilium castrorum vi perruperit, eosque ita solvere obsidionem compulerit; nec aliud omni hac æstate quam *Rentium* debile castellum occupatum est, præter *Castelletum* vi captum ab *Halierio*, cæsis omnibus, sexcenti erant *Hispani*, præsidiariis. Nihilo feliciora fuerunt arma *Gallorum* apud *Pyrenæos*, ubi *Condæus* Princeps *Fontarabiam* urbem ad ostium *Bidasæ fluminis* situ tutissimam & *Navarreni* clavem regni cum XII. millium exercitu obsedit. Sed Nobilitas & plebs ingenti studio sub *Admirante Castiliæ* properavit in auxilium. *Condæus* & *Valetta* Dux, etsi prior summum habebat imperium, diffidebant, adeoque tardius o-

mnia pejusque administrabantur, eâdemque causâ factum est, ut *Hispani* duobus locis, ductu *Mortaræ & Torrecusi Marchionum*, *sedecim militibus amissis*, CL. *vulneratis*, in urbem perruperint, Gallis in terrorem & fugam actis, castris, armis omnique apparatu bellico amissis: *Condæus* cujus negligentiæ & avaritiæ clades præcipuè imputabatur, omnem culpam in *Valettam* conferebat; eo cum successu per auctoritatem suam, quâ *Richelio* subserviebat, ut *Valetta* in *Angliam* se recipere & Pater ejus *Epernonius*, derelictâ cui præerat; *Aquitaniâ*, domi sese abdere consultum ducerent. In *Hispaniâ* Rex omnem victoriæ honorem fructumque & præmia contulit in *Olivarium*, *Comitem Ducem* suum, qui nihil ad rem contulerat, haud sine justo dolore invidiâque Ducum belli.

8. Sed in *Gallia* sensum doloris è malis æstivæ expeditionis delevit, res tam læta quàm insperata, *nativitas Delphini*, postquam inde ab annis *viginti* & amplius frigidum & sterile conjugium, animos oculosque hominum à spe nascituri *Delphini* ad Ducem *Aurelianensem* ab eoque maribus etiam liberis carente ad *Condæi* domum reflexerant. Natus est *Ludovicus* Delphinus die V. *Septembris* hoc anno 1638. non minore populorum lætitiâ, quam Principum sanguinis invidiâ, qui cavillis in mutationem adeò subitam mordacibus abstinere non poterant neque deinceps abstinuerunt. Non est prætereundum quod satis constat, fuisse tam *rapidum* alimenti puerum

rum, *ut nutrices quæ violentiam oris ferre non poterant, aliquoties mutandæ fuerint.* Quâ de re vox notabilis exiit ab Hugone *Grotio* tum *Suedico* in Aulâ *Gallicâ* Legato, jocosa quidem, sed quæ vaticinii instar haberi potuit; *Cavete vicini.* inquit, *tam rapacem puerum.* Nec indignum observatu est, quod ab ejus nativitate res *Gallorum* continuo foris in melius iverint magnisque passibus auctæ fuisse videntur.

9. Ad res *Gallicas* pertinet etiam, quod *Regina, mater Regis*, jam per sexennium magno sumptu ab *Hispanis* sustentata *Bruxellis*, inde aliquando sentiens ingratam & gravem esse longiorem moram suam, recedendum putavit, conductâ *Leodii* domo & honestè ab Hispanis dimissa. Sed ab illis digressa flexit iter in *Hollandiam* mense *Augusto*, ubi honorificè recepta, proprio tamen sumptu se familiamque sustentavit, ad breve: Nam in *Octobri* transmisit in *Angliam*, cum prius per *Fœderatos* Ordines, misso *Joh. Knuvio* Legato, à Rege filio veniam redeundi in Galliam petiisset: At repulsam tulit, his verbis; *Rex non potest in regnum suum recipere Dominam Reginam, quemadmodum se desiderare profitetur, impeditus justo metu, ne sub ejus nomine, & ipsa forsitan inscia excitentur factiones & monopolia in Regno suo, non tantum in præjudicium Galliæ, sed etiam fœderatorum ejus; verum si placet Reginæ se recipere Florentiam locum nativitatis suæ, ubi mali genii ipsam regentes nihil mali Galliæ fœderatisque ejus efficere possent, Rex ei multo luculentius of-*

fert honorarium, quam *Bruxellis* habuit. Cum esset in Hollandiâ, prodiit ejus nomine Scriptum *manifestum*, quod vocant, in quo de *Hispanis* & contemptu *Majestatis suæ* invidiosè queritur; quod deinceps in *Angliam* appulsa revocavit ac improbavit. In Anglia utcunque parum gratus erat adventus ejus, satis diu commorationem ejus sumptusque sustinuerunt, donec Rege pecuniis suis ad alia omnia indigente, *sicut infra videbimus*, alium mortis obeundæ locum quærere coarctata est calamitosa Majestas.

C A P. III.

A nativitate Ludovici XIV. *& anno* 1639. *usque ad obitum Ludovici* XIII. *anno* 1642.

FOrtuna belli, quæ Gallis *anno superiori* adversa fuerat, ab hoc tempore felicior iis alluxit. Quos inter primum locum meretur *Brisacum* & *Alsatia* in potestatem redacta, quibus jugum *Germaniæ* duraturum imposuerunt, quâ de re in *Germanicis* actum. In *Belgio* quanquam ab initio *Piccolomineus Fechierum*, *Thionvillam* obsidentem profligasset, ipsumque Ducem in urbem liberatam captivum abripuisset; tamen *Miliaræus* postea *Hesdinum* civitatem magni habitam momenti compulit ad deditionem, atque à Rege cum *Richelio* interim *Abbevillæ* commorato, postquam per ruinas valli complanatas in urbem captam intrasset, *Mareschalli* Franciæ dignitate honoratus est.

2. Externi progressus *anno sequente*, *seculi* XL.

pau-

paulisper retardati sunt populari seditione per *Normandiam*, ortâ, quemadmodum plerique motus populorum, ex immoderatis tributorum exactionibus; quas etiam magnus *Rhotomagensium* Senatus, quem *Parlamentum* vocant, improbabat, eâ ratione, *quod Richelius auctor belli, inventor novarum impositionum publicis malis suam potentiam & ambitionem fulciret*. Sed *Richelius* misso in *Normandiam* Gassione Duce, cum justo exercitu, seditiosos facile dissipavit, omnibus fugatis, præcipuis auctoribus à *Cancellario* punitis ipsique *Parlamento* jurisdictione aliquantisper interdictâ.

3. Domesticâ liberati molestiâ, *Galli* post multam simulationem, *Atrebatium* civitatem obsidione cinxere; postquam *Isemburgius* Comes urbis præfectus inde cum aliquot cohortibus egressus erat, ut aliis locis, quibus juxta *Gallorum* fictos motus metuebat, prospiceret. Galli magno studio munitis castris, quia vim foris timebant, quicquid ars & Vis poterat, ad urbem coarctandam adhibebant. Cardinalis *Infans* cum *Philippo de Sylva*, contractis quas poterant, copiis, quarum magnâ pars *fœderatorum* & *Arausiensis* motus observabat, quam proximè tuto potuere, Castris Gallicis adsidentes id egerunt, ut *commeatus illis intercluderent*, ac intercluserunt. Sed *Richelius* & *Rex* ejus *Amientii* commorabantur, in propinquo; Unde collectis properanter *duodecim hominum millibus*, ingentem vecturam in castra conducebant,

cui Duces Galli è castris cum parte copiarum obviam perrexerunt. *Hispani* in ancipite consilio quid expediret, ambigebant, exercitumne & commeatus, an castra, Ducum & tot cohortium discessu debilitata invaderent. Posterius, *ut majoris spei ac utilitatis* placuit, *sed opinionis errore*, quod eventus docuit. Cum enim castra probe munita *paulo post abitum Ducum* aggrederentur, hæc tantisper à residuis militibus, *etsi quibusdam locis ab hoste perruptis*, defensa sunt, ut *Miliarius* spatium habuerit, deducto in locum tutum commeatu, laborantibus castris succurrendi & *Hispanos* cum clade repellendi. Quam sequuta est *Atrebati* deditio *die* x. *Augusti* magnâ cum *Regis* & *Richelii* gloriâ, nec minus incremento potentiæ. Cujus rei gaudium sub finem ejusdem anni conduplicatum est, nativitate secundi filii, cui *Philippo*, *Andium Duci*, nomen dederunt. Accessit ad hanc felicitatem & virium Hispanicarum manifestam diminutionem, quod *Angliæ* Rex, cui *Gallica* in his partibus incrementa valde ingrata & suspecta erant, à *Scotis* & mox ab *Anglis* bello civili distrahebatur, quod etiam à *Richelio* promissis ac incitamentis foveri, imprimis inter *Scotos*, quibuscum *Galli* plus semper habuere commercii, creditum est; Etsi probationis nihil quam verisimilitudinem & genium *Cardinalis*, qui non poterat abstinere consiliorum tricis, quas per omnem *Europam* nectebat, scriptores habere videntur: dum alii Hispanicas

artes causabantur, quasi *Anglis* & *Scotis* non satis ultro fuisset incitamenti.

4. Sed in regno felicitas & potentia *Cardinalis* invidiam, asperitas ejus & tributorum acerbitas omnium ordinum querelas excitaverat; quibus ille, nihil de consiliis suis minuens, *severitatem & ultionis rigorem* opposuit. *Vendomium* ducem, qui in necem ejus homines conduxisse dicebatur, ita coarctavit, ut in *Angliam* fugeret, ad Reginam matrem, quo plures *male contenti* confluebant, quemadmodum plerique Principes nihil minus *Cardinali* quam mortem volebant; Principe tamen *Condæo* cum suis manente in officio magnisque cumulato beneficiis. *Parlamenta*, nominatim *Pariense* sensum invidiæ & doloris participabant, eo quod auctoritatem suam penitus à *Cardinali* oppressam indignarentur. Populus denique totus, tam *divites*, qui pecuniis imperatis vexabantur, quam *pauperes* qui omni genere vectigalium exhauriebantur, nomen ejus in execratione habebant: Ille tamen ita subsistebat acrioresque inimicos ulciscebatur, non solitus cuiquam dare veniam aut amittere inultum, *in sanguinis effusione quærens & satisfactionem & securitatem.* Indignatio tandem in bellum erupit, concitatore Comite *Suessionum* Regii Principe sanguinis, ingenio vivaci, inquieto & ambitioso, qui *Cardinalis* adfinitatem, quam deinde *Condæus* non sprevit, contumeliose rejecerat; cui se adjunxerant Dux *Guisius* à *Cardinali* ad inopiam redactus, & *Boulionæus*, *Sedani*

Do-

Dominus, qui urbem suam ut belli sedem & asylum novatoribus aperiebat. Inde primo Edictis odium *Cardinalis* in motus populares vertere conati, cum hactenus frustra essent, cum *Hispanis* & *Cæsareanis*. *Michaele de Salamancâ* parario, pacti sunt, ut præter ingentem pecuniæ summam, *Lamboyus* se continuo ipsis adjungeret, consequenter *Hispani* validum ipsis auxilium ferrent.

5. *Carolus Lotharingius* cum paulo ante in Aulâ reverentiam & obsequium suum adseverasset, eâ ratione plerasque ditiones suas recuperaverat, exceptis *Clermontio*, *Stenao*, *Duno & Jamezio*, quæ coronæ *Gallicæ* unita sunt. Obtento quantum poterat & speraverat, incontinenti consilia sua cum Principibus sociavit, à quibus hæc ratio inita est, *ut parato exercitu in regni interiora se conferrent*, non magis, eo casu militibus suis quàm populis, odio *Richelii* imbutis, quos ad libertatem vocarent, confisi. Sed *Richelius* hoc ipsum metuens summam adhibuit industriam, nulli parcens extorquendæ pecuniæ titulo, ut duo parati essent exercitus, antequam Principes se proferre possent; quorum alter sub *Milliaræo Hispanos* invaderet eosque à concursu cum Principibus averteret, altero sub *Castilionæo* Principes apud *Sedanum* aggrederetur. Quod ille fecit tanto cum successu, ut victoria esset in manibus; nisi Equitatus initio, ut creditum est, à quibusdam conjuratorum amicis facto, nemine persequente, absurdam fugam cepisset.

pisset. Quâ re nudatis peditum lateribus animisque fractis, versâ fortunâ, victi victores sunt facti. Quibus tamen ipsis victoria non profuit, ob mortem *Comitis Suessionum* Partium Ducis & corporis conjurati animæ, qui perceptâ suorum confusione in primo congressu, in eam partem quæ maxime laborabat, se contulerat, graviter armatus, facie galeæ duntaxat apertâ, per quam ab equite cohortis *Aurelianensis* sclopeto manuali in oculum percussus incontinenti corruit ex equo mortuus in terram. Quo casu victores perplexi & torpentes spatium Regiis dederunt, numeros suos restituendi novasque adjungendi copias; quibus jam Principibus superiores *Sedano* imminebant. Cujus dominus in *Belgio* interim functionibus suis hac causâ privatus, virium suarum conscientia territus pacem & urbi suæ *Neutralitatem*, precibus, quando Regiis non vacaret huic parti operam dare, impetravit.

6. Aira sive Arienum interim urbs *Artesiæ* munitissima per *Milliaræum* obsessa magnâque vi oppugnata, post acerrimam defensionem *Gallis* est dedita; sed *Infans Cardinalis* & *Lamboyus* in subsidium serius accurrentes fecerunt, ut *Miliaræus* subito se recipere cogeretur, antequam loco de rebus ad longam defensionem necessariis prospexisset, quem Hispani proinde statim rursus obsederunt. Et cum Galli satis virium ad solvendam obsidionem non haberent, bellum *aversione* gesserunt, obsidendo *Bassæam*, *Lenzium & Bapomum*, quæ

facile

facile cesserunt, nec ab *Hispanis* tanti fiebant; ut Arienum ideo dimitterent, quod etiam ante ejusdem exitum anni recuperarunt; etsi *Bapoma* tamen obsidionem *quatuor mensium* sustinere potuisset. Præsidiarii à tubicine *Gallo* ad exercitum *Hispaniensem* deducebantur. Sed quasi pœnam festinatæ deditionis hostes capere deberent, *Sinpreuillus* Atrebati gubernator eos armis vitaque multos exuit & dissipavit. Erat bello strenuus ille *Preullius*, sed violentus exactor ab amicis æque ac inimicis, *Quod tamen erat commune crimen omnium belli Ducum.* Sed erat unum ei proprium, quod erat inimicus *Cardinalis Richelii* & ejus amici *Milliaræi*; à quibus hac arrepta occasione, prætereaque concussionum & peculatus abunde convictus, odio tamen Ministri creditus est immolari apud Ambianos in autumno 1641. Sed majore damno multati sunt *Hispani*, amisso *Infante Cardinali*, quem populi *Belgarum* & milites flagranter amabant; & sive *Galli cum ipso vivo aliquid communicassent*, ut à multis creditum fuit, cui plures consilio immixti fuerint; sive transitum rerum in novum *Gubernatorem* observandum putaverint, *Ludovicus Rex* & genius ejus *Cardinalis* ad fines *Belgicos* accessere; non sine præviâ causâ, quam fortuna tamen eniti noluit, Infectaque re domum redierunt, hæc anno 1641.

7. Interim *Richelii Cardinalis* odium, cui ille semper vi se opposuit & victor severis ultionibus litavit, in animo Regis ipso clam secretoque ser-

pe-

pebat, non tamen adeò occultè, quin *Cardinali* alienatio facile suboleret, quemadmodum *Richelii* potentiam in affectu Regis non fuisse fundatam pridem observavimus. magis enim operam dabat, ut Rex intelligeret, *se non posse ejus operâ carere*, quam ut ipsum amaret: nimius etiam suæ potentiæ gloriæque ostentator, quam ut ab Rege, prædito satis obliquo & peculiari ingenio, posset æquo animo ferri. Proinde animo Regis melius detegendo adhibuit *Desiatum CincMartiùs* Dominum, juvenem industrium, qui esset à *Cubiculo* Regis, & quem ad dignitatam *Magni Scutiferi* evexit, hac fiduciâ, ut secretos Regis sermones sibi fideliter proderet: Noverat enim Regis consuetudinem, maximi res momenti, quæ ad animum ejus pertinerent, detegendi familiaribus & de illis prolixè sermocinandi. *CincMartius* satis ad ingenium Regis factus brevi tantam apud eum fidem meruit, ut quicquid in animo illi esset de *Richelio* & quicquid in eo molestè ferret, cum hoc communicaret, *horis maximè nocturnis*, cum ei cubitum eunti solus præsto esset, exacto prius ab eo jurejurando, quod nihil eorum quæ diceret, *Cardinali* revelaturus esset. *Cinc Martius* hoc eo fidelius servavit, quod veterum *Richelij* beneficiorum oblitus recentem ei injuriam imputabat, eo quod petenti honorem *Ducis & Paris Franciæ* auctoritatemque Regis ad nuptias *Mariæ Neveriæ*, Cardinalis juveni ut notissimos modestiæ terminos excedenti obstiterat. Decreta est interim *Perpiniani* Russilionensis obsidio,

tibus & nationibus GALLIARUM pacem suo arbitratu faceret, generalem non posset, absque consensu Hispani. Rerum potitus Aurelianensis Suecos & quicquid AUSTRIACÆ Domus hostium esset, pro suis hostibus haberet. Decretum fuerat, ut initium rerum novandarum à cæde *Richelij* fieret, quam *Cinc-Martio*, qui maximam ejus rei facultatem habebat, procurandam commiserunt. Is autem etsi optatam habuisset occasionem apud *Briarium* haud procul *Lugduno*, ubi *Cardinalem* male custoditum offenderat, sive metu, ne primus ille motus ipsum involveret, absente inprimis ab Aulâ Duce *Aureliano*, sive, ne sublato *Richelio* præcipuum belli fomentum, quod erat odium illius publicum, cessaret, Conjuratique scopo destinato nihilominus exciderent, illam occasionem amisit.

9. *Cardinalis* instantis periculi non ignarus, *Narbonâ* crebros emitti curavit sermones per *Medicos* suos & *Chirurgos*, se valetudinis *esse desperatæ*, si forte contenti essent *ejus cutem expectare*, inimici. Rex interim in Castris *dysenteria* laborans grave mortis adiit periculum nec minorem in exercitu peperit dissensionem; aliis *Milliæo*, qui pro *Richelio* erat, aliis *CincMartio*, qui *Aurelianum* tuebatur, studentibus. Sed hæc quidem præludia belli morbo Regis abeunte, evanuerunt. Interim *Cinc Martius* aliique non cessabant apud Regis animum, renovare & exasperare quicquid ei de *Richelio* molestum esse noverant. Cujus ille rei certior factus, plane si aliter

liter non consuleret, se periisse intellexit. Primò igitur cum Rege colloqui desiderans, illum humiliter, ut ad se visitaret lethaliter ægrotantem rogavit. Eaque supplicatione rejectâ, *Narbonæ* se amplius tuto manere non posse animadvertit: Ideo milite suo præsidiario stipatus, fabrefactâ ingenti lecticâ cubiculi instar, hominum brachiis se portari jussit versus *Provinciam*, ubi plures erant Præfecti ab illo dependentes, qui vires opesque suas ei studiosè offerebant. Sed ut fortuna semper ei mirificè favit, ita in hac extremitate eum non destituit, uti nec sanè solertia & judicium. *quod Deus alienare solet in his, quos perdere constituit.* Habebat adhuc in manu instrumenta potestatis publicæ & quia non dubitabat, quin conjurati haberent fœdus cum *Hispanis*, intentissime vias publicas ex *Hispaniâ* ducentes observari curavit, factumque est, ut *Nuntius, qui instrumentum fœderis portabat*, in manus ejus incideret. Quod ille statim per hominem certum misit ad Regem, cum notis & demonstratione, *certum esse, conjuratos non tam suum quam Regis ipsius exitium vel exauctorationem moliri.* Eodem tempore nuntiatum est è *Belgio*, Comitem *Gichium à Francisco de Melo* Gubernatore *Hispanico* esse profligatum. Quæ res tam opportune accidit, ad Regem naturâ timidum *Cardinali*, cujus consiliis adhuc res suas constabiliverat, reconciliandum, ut multi *Gichium* Cardinalis amicum ejus impulsu occasionem cladi dedisse suspicati sint; quemadmodum de *Cardinalis*

nalis ingenio nil nisi occultum & inexpectatum præsumebatur.

10. Dici non potest, quantopere *Ludovicus*, examinatis *Hispanici* fœderis legibus, in *fratrem*, in *Cinc Martium* omnesque ejus consilii participes excanduerit. Cui accedente metu è clade *Belgica*, salutis ratio vicit molestiam è *Cardinalis* moribus & potentiâ pridem collectam; Argumentis rerum edoctus, incolumitatem & auctoritatem suam *Richelij* conservatione niti. Quare cum se *Narbonam* prætextu infirmitatis contulisset, ibi *CincMartium* & *Thuanum*, quos in castris forte non sine motu aliquo constringere potuisset, in vincula conjecit, ediditque mandata in *Italiam*, quò Dux *Boulionæus* imperii causâ profectus erat, ut idem in custodiam daretur. Perrexit deinde *Carcassonam*, quo *Richelius* jam securior diverterat, ibique Rex, *ennarratis ei omnibus inimicorum calumniis & commentis*, quibus animum suum ab ipso alienaverant, gratiam fiduciamque cum eo tenerrime, nec sine lacrymis, renovavit: Ac ita *Richelius* potentior & terribilior quam alias unquam demonstratus est. Inde à Rege digressus in suâ Lecticâ, majore jam pompâ delatus *Lugdunum*, *CincMartium*, quod omnes faterentur, merito; *Thuanum* multâ cum miseratione & omnium ordinum indignatione supplicio adfecit; propterea quod hujus communicationes habitæ cum *Boulionæo* & *Aurelianensi* non erant admodum criminales; fœderis Hispanici autem habuisset quidem notitiam, sed consilium non

participaverat. Constans opinio est *Richelium* ei minus parcendum putasse, eo quod Parens ejus in *Historia suâ* de Patre *Richelii* minus honorifice locutus fuisset. *Boulionæus* capitis supplicium redemit traditione *Sedani* in potestatem Regis; quod transigendi medium suggesserat & persuaserat ei *Mazarinius Cardinalis*: Quæ res iterum magnæ fuit instar victoriæ Gallis, potiri loco munitissimo, *Belgis* & *Germanis* obverso, quod vel introducendis in regnum exteris, vel rebellibus è regno recipiendis servierat & deinceps servire poterat. Frater Regis, cui in *Despotico Regno* post tot repetitas rebelliones, nihil supplicii recusandum erat, veniam impetravit hac lege, uti contentus *ducentis francorum millibus annuis*, *Nissium* in *Sabaudiæ* finibus iret exulatum. *Nanius* actor est, *Arausionum* Principem sustinendò *Richelio* symbolam contulisse non parvam, demonstrandò Regi & *quasi protestando*, si ratio publicæ administrationis in *Galliâ* tam notabiliter mutaretur, id se intelligere vires Regni in seipsum esse conversurum neque foris ita valituras, ut Fœderatos sustinere possent; adeoque se *auctorem fore suis Ordinibus*, *pacem vel inducias cum Hispano componendi*.

11. Post tot artes hominum & facinora, Deus intonare cœpit mortibus, sublatâ è vivis primò *Maria de Medicis* Reginâ matre, quæ ex *Anglia*, rebus ibi turbatis ipsoque Rege *Londini* vix amplius consistente, nec alimentis ejus, quæ singulis diebus constabant centum *libris* *Ster-*

Sterlinis, id eſt, quadringentis Imperialibus, ſufficiente, diſceſſerat *Coloniam*, *ubi Trium Regum mater aut ſocrus*, ab omnibus ejecta, in hoſpitio conducto tenuiter victitabat, rebus egens neceſſariis, ut veſte quoque lacerâ, quod ab amico tum Coloniæ agente qui viderat, accepimus, induta conſpiceretur. Morti ſe propinquam ſentiens inter alia dixiſſe eam referebat idem; *Finita eſt comœdia:* quaſi vita humana ſit ſcena, in quâ ſuam illa perſonam egerat notabiliter. Cadaver ſine ullâ pompâ vulgari vehiculo juſſu Regis ablatum Coloniâ & in Galliam tranſlatum eſt, quò vivæ prohibitus erat ingreſſus; Nec immerito Inter ſpecimina implacabilis *Richelij* naturæ id eminere viſum eſt, quod *Regem nullo modo paſſus eſt matri ſuæ reconciliari*, aut ullum ei angulum in regno vel obolum extra regnum concedere. Quæ poteſtas in animum Regis ejuſmodi erat, ut *vim Regiæ Poteſtatis omnem per ſe ſuaſque creaturas, etiam non ſponte Regis, occuparet*. Specimen paulo ante mortem, quam mox à Reginâ peremtoriè citatus obiit. Cognoverat inter ductores prætorianorum eſſe plures, qui cum *Cinc-Mar io* colluſerant, inter alios *Trevillium regiorum ſclopetariorum centurionem*, quem Rex amabat. Petiit tamen ut eum dimitteret; dimiſit invitus ac dolens. Petiit ut Rex ad ſe viſitaret ſeorſim decumbentem; ſed ut ſecuritatis ſuæ causâ *præſidiarij* ſui *Prætorianis* regiis miſcerentur. Inſolens poſtulatio Regem offendit adhuc moleſte habentem de *Trevillio*, nec in aliquot diebus

consentire potuit. Ausus est *Cardinalis* minari suum discessum, ac ita quod voluit expressit. *Sic omnem Regis potentiam sine ejusdem affectu possidebat.* Sed eodem anno mors huic inusitatæ felicitati inlusit, exhausto variis morbis corpusculo; expiravit die, *quarto Decembris hoc ipso anno* 1642. *Sic abiit Armandus de Richelieu* Francisci Plessiaci Domini de *Richelieu*, filius tertio genitus; In cujus elogium, post ea quæ dicta *superius*, non est quod in hoc compendio digrediamur. Rex etsi non amaverat eum, nihilominus *utilem expertus Ministrum* laudibus ac etiam lacrymis obitum ejus prosecutus est. Omnes reliqui Ordines læti interitu hominis exosi, memoriam ejus omni genere convitiorum dehonestarunt, docti etiam ac indocti scriptis & libellis famosis, quibus nec pridem vivo pepercerant.

12. Morti vicinus successorem sibi relinquendum putavit, scripto ad Regem Codicillo, in quo sibi post fata surrogandum commendavit Cardinalem *Mazarinium*, nobilem Romanum à *majoribus Siculum*, qui centurio pedestris fuerat in bello *Valtelinensi.* Sed heic pro voto non acceptus & promotus, ex milite Clericus est factus & post aliquod tempus favore *Cardinalis Antonij Barberini*, Nuntius in Galliam missus est. Ubi comitate, agendi dexteritate rerumque Gallicarum studio & *Richelium* inprimis adsectando eique subserviendo meruit commendationem Coronæ ad *Cardinalatum.* Cum Richelius apud *Narbonam* periclitaretur, Legationem in

in *Italiam* ad litem inter *Pontificem & Parmensem* componendam, ne ruinâ illius involveretur, adfectabat. Sed à *Parmensi* recusatus ingratiis mansit, suo maximo bono: Siquidem restituto brevi *Richelio* & mox vitâ defuncto, postquam Rex in delectu *magni Ministri*, certus per se non regnandi, *incapacitatis conscientiâ*, paulisper hæserat, in locum *Richelij* adscitus est, utpote gnarus consiliorum ejus ac eodem tenore res administraturus, omnibusque ministris præpositus, id est, *Regiæ potestatis exercitio præditus*, fuit. Quam tamen extraneus ille, mitior etiam & humanior antecessore suo, ita exercuit, ut Regem potius molestiâ allevaret, quam à negotiis illum excluderet, adeoque non ut *pædagogus*, quod alter fecerat, sed ut verus minister agebat, comis etiam & facilis erga alios, ut aliud plane diversumque ministerium fore videretur; etsi reverâ deinceps eadem in summâ administratio, quam *Richelius* fundaverat, mansit.

13. Proxima novi ministri cura fuit, exteris fœderatis, quanta poterat dexteritate, suum insinuare ministerium & securos esse jubere, *morte Richelij nihil de studio in rem communem decessurum;* Nominatim *Italis* multa polliceri de studio suo adversus communem Patriam. Sed ab externis brevi ad domestica revocatus est, ingravescente Regis valetudine, quæ diu languida nunc ad extrema vergere cernebatur. Ministri & *Mazarinus* ipse erant in hac sententiâ, non congruere sibi, ut *Regina* male à *Richelio* habita

& ejus amicis infesta Tutelæ Regiæ, *filio quintum ætatis annum* agente, præficeretur. Quapropter ipse cum *Bottilierio* Ærarii summo præfecto & *Chavignio* ejus filio & Secretario quem vocant, *Status*, ægrotanti Regi persuaserunt, *haudquaquam expedire, ut integrum jus Tutelæ Reginæ relinqueretur, novæ regnandi & externæ non tantum sed & inimicæ nationis, quæ parem cum Reginâ Mariâ rationem sequutura esset, ut Hispanis subserviret.* Ita pervicerunt, ut Rex testamentum conderet, in quo *uxorem declarabat Regentem*, Gastonem *fratrem*, *Galliæ Legatum sive Locum tenentem*, ut hodie loquuntur; *Condæo* legabat *primum locum in Consilio post fratrem Aurelianensem.* Mazarinio *primum & summum Ministerium. adjunctis ei in Consilium* Sueguicro *magno Cancellario*, Richelii *quondam partibus addicto, cum Bottilierio & Chavignio, hac lege, ne aliter quam morte vel ex causâ delicti removerentur. Atque ab hoc Consilio maxima quæque negotia deciderentur, officia civilia & militaria distribuerentur, Ecclesiastica beneficia ex arbitrio* Mazarini *disponerentur.* Castelnovo, *qui Custos Sigilli fuerat &* Chevreusiæ Duci *exilium legabatur*; *reliquis exsulibus & captivis Consilij arbitrio relictis.* Huic testamento voluit à Reginâ, fratre suo & Principibus subscribi, idemque à magno Senatu *Actis publicis* insinuari. Ringentibis cunctis etiam post Regis & suam mortem *Richelium* esse regnaturum per creaturas suas. Sed Rex interea mortalitatem explevit, eodem die, quo Pater ejus interfectus

&

& ipse regno potitus erat XIV Maji 1643. eodem ætatis, *qui erat seculi*, anno. Justi cognomen *Richelius* ei adscribi curavit, ut severitatem, vel potius ultiones suas inclementes Regiæ virtutis imitamento adumbraret.

CAP. IV.

A morte Ludovici XIII, *usque ad initium in Galliâ turbarum civilium, ab anno* 1642 *ad* 1647.

NOn poterat fieri, quin tantæ mutationes in Aulâ regnoque plurimum æmulationis & discordiæ producerent; Idcirco invigilandum occasioni ratus *Belgii Hispaniensis Gubernator Franciscus de Melo*, cum exercitu XVII. peditum & VII *vel* VIII *equitum millium*, primo ad fines regni præstolatus erat, si forte aliquâ parte auxilium ejus imploraretur. Cum id non fieret, ingressus regnum, ferrum & flammam circumferens, *Rocroyum* ad fines *Campaniæ* oppidum, quod ei *Remos* ac inde *Lutetiam Parisiorum* cogitanti obstare videbatur, obsidebat. Erat sane tempus opportunum instaurandi fortunam *Hispanicam*, si fortunam ipsam habuissent placatam. Dux *Anguiensis* filius *Condæi* Principis adolescentiam vix egressus imperium in illas partes acceperat, adsistentibus ei *Hospitalio* & *Gassione Marescallis* & exercitum *quatuordecim peditum*, *sex equitatus millium* collegerat, cum quibus in hostem tendebat. Non expectans in

illa rerum Gallicarum confusione talem exercitum, nec longam ab oppidanis defensionem *Melo* castra non muniverat; ideoque non fuit difficile *Gassioni* cohortes aliquot in urbem obsessam subsidiarias immittere. Nec eo segnius *Anguiensis* gloriæ cupidus cum omnibus copiis imminebat, adeo incunctanter, ut pugnam minimè detrectandi manifestus esset. De quo proposito viribus superior *Melo* sibi quidem gratulabatur; sed nimiâ securitate duobus se notabilibus implicuit erroribus; Primo quod cum pars Gallorum sub noctem per angustias inter paludes & Sylvas transgressi, pars tenebris oppressi in angustum illum callem provecti substitissent, *Melo* transgressos, etsi non ignarus occasionis, invadere neglexit, stolide prædicans, se postridiè omnes *Gallos* non partem, aggressurum, & expectabat *Beckium* Baronem cum *quatuor millibus* in auxilium. Alter error fuit, quod cum *Galli* primo mane conjuncti, se pugnæ offerrent, ipse *Beckium* non expectavit, sed è continenti copiam pugnandi fecit. Conflictus anceps fuit; nam dextrum cornu *Gallorum*, cui præerat *Condæus Anguiensis* in fugam actum est; sinistro *Hispanorum* à *Gassione* profligato: Ille vero missis fugientibus, dextram aciem victricem, *Hispanorum*, à tergo aggressus, eos ab *Anguiensi* avertit eique occasionem & plus spatii dedit suos, in quo totus erat incredibili ardore studioque, recolligendi. Quod, ut poterat, adsecutus *Hispanos* furiose aggressus jam in medio conclusos rupit

Equi-

Equitatum primo, cujus Dux *Albukerkius* omnium primus in *fugam se probrosam* conjecit, reliquis eum libenter, ut fit, sequentibus: pedester exercitus constanter dimicavit, etiam postquam Dux eorum *Marchio Fontanus* in sellâ suâ, cui ob valetudinem pedum à suis gestatus, insidebat, interfectus erat ante Principia, & post eum ingens militum numerus, vulneribus adversis & juxta suos ordines jacentes, *pulcherrimo situ, si bellare Christianis inter sese ullo modo pulchrum est:* Superstites nonnisi *bombardis* ad deditionem compelli potuere, circumventi. *Melo* Dux summus, in quo non *audacia* sed *prudentia* desiderata fuit, abjecto scipione imperatorio, quam celerrime se recepit. *Captivorum sex millia* fuere, cum omnibus machinis & instrumento bellico atque castrorum; Galli suorum mortuorum *millia duo* memoriæ prodiderunt. *Hispanorum* numeri, quod viderim, expressi non leguntur, *ut fere usu venit à parte victâ*; forte quod numerari non poterant. *Anguiensis* primo fines *Belgicos* cum ferro facibusque ingressus, spe motus alicujus aut defectionis, cum nihil sequeretur, *Thionvillam* in agro *Lutzenburgico* munitum oppidum, aliàs frustrà obsessum, post cruentam obsidionem & oppugnationem in potestatem redegit.

2. Interea novus Rex cum fratre deducti sunt à Matre Patruoque & Principe *Condæo*, in *Curiam magni Senatus Parisiensis*, ubi lecta Regis defuncti ultima dispositio, cum *Galliæ* regnum

regnum sit usufructuarium, in quo dispositiones post mortem *de Republ. non nisi commendandi vim habent*, ita visum est; *dispositionem illam* Regi ægrotanti ab hominibus suarum rerum satagentibus expressam fuisse, *nec ideo ratam esse habendam*; Adeoque Tutelam Reginæ simpliciter esse committendam, in eamque rem discessio facta est: Duce *Aurelianensi* & Principe *Condæo* non gratis consentientibus, pactis jam antea cum Reginâ conditionibus. Quæ jam integro jure potestatis Regiæ potita, primo quidem revocatis exsulibus, liberatis ficto majestatis crimine reis & *improbatis palam regni prioris Actis*, favorem publicum studiose collegit; etiam Fœderatis prolixè de affectu suo pollicita. Sciens *Richelii* clientes omnibus exosos & ipsamet illos aversata quærebat alios ministros; *Cancellarius* tamen facilitate & obsequii promptitudine, precibus atque pecuniis locum suum tenuit, *Bottilierius* Ærarii Præfecturæ renuntiavit, quam Regina contulit in tres alios, in *suum* Cancellarium, in præsidem Balœlium & dominum *Avosium*, boni nominis omnes. *Chavignius Botilierii* filius suum munus *Secretarii Status* vendidit Comiti *Briennio* integritatis æquè laudatæ. Ad *Primi Ministerii* locum Regina veterem *Richelii* inimicum, ab illo tamen contemptum magis quam reformidatum ac ideo inter odii sui victimas neglectum vocavit, *Episcopum Bellovacensem*, mox regiâ commendatione *Cardinalem* creatum, sed ad tanti in Aulâ momenti offi-

officium inidoneum. Qui multitudine & intricatâ rerum hominumque varietate caligans & perculsus, adeo fuit imprudens, ut pateretur sibi persuaderi, non posse melius se consulere, quam si *Mazarinium instruendi se levandique laboris causa adhiberet.* Quod ille, cui nihil prius esse debuerat, quam curare, ut is procul è *Galliâ* in Patriam remitteretur, admittere in animum induxit. Sed *Mazarinius*, qui interim invenerat modum *placandi Reginam*, perspectâ novi Ministri ἀπραξίᾳ & imperitia, sese Regni Consilio penitus subducebat, ut qui *Consiliarius*, è numero multorum unus, illic, ubi *caput omnium fuerat*, honeste versari non posset. Nec multo postea favor in eum Reginæ, qui non potuit esse tam occultus, quin ipse *Bellovacus* eum suis offecturum luminibus animadverteret, palam factus est. Cumque serum esset, à Reginâ quicquam adversus eum impetrare, dedit operam *Bellovacensis*, ut factio potens ad urgendum ejus exilium colligeretur. Quæ cum non sufficeret, initum esse volunt consilium, ut Dux *Beaufortius Mazarinium* interfici curaret. Id ita sane publicatum est & Regina *Beaufortio* in custodiam dato, *Bellovacensi* ad Ecclesiam suam relegato, *Mazarinium primi loci Ministerio* palam admovit; qui rursus nihil eorum quæ *in loco tam arduo* illum conservare possent, omisit. Nullas habere *cohortes præsidiarias*, procul amovere *suos agnatos*, nihil honorum aut emolumentorum admittere, *solos sibi labores vindicare*, Du-

cum

cem *Aurelianensem* tot irritis antea seditionibus fessum, concedendo imperium in exercitus & quicquid vellet, sibi conciliavit. Similiter Principem *Condæum* pecuniæ intentum hoc illicio addictum habuit, ut & *Anguiensem* Ducem ejus filium, traxit imperiis & stipendiis, quibus pro ambitione suâ splendide exhibere se posset; quâ parte à Patre pro sua parsimoniâ arctè & contente erat habitus. In populis ita pridem à *Richelio* exercitis, *ut sudore suo regios proventus in* immensum *augerent*, adeoque *pauperibus & exhaustis*, nemo erat qui se opponeret; etiam spe pacis, cujus initia tractandæ *Mazarinius* etsi reverâ alienus ab ea, promovebat, alebatur. *Exiit annus seculi* XLIII.

3. Sequenti anno, *Cardinali* stabiliendæ auctoritati suæ domi intento, foras ivere Dux *Aurelianensis* & *Anguiensis*; hic cum exercitu ambulatorio fines Belgicos infestabat; ille *Gravelingam* maritimum *Flandriæ* oppidum, operibus bene, hominibus & rebus necessariis malè munitum obsedit; etsi *Picolomineus* castris apud *Dunkerkam* munitis bis auxilia Civitati immiserat, quia tamen *Orangius* ab altera parte *Sassam Gandavensem* obsederat, justum exercitum ad obsidionem vi solvendam *Hispani* exhibere non poterant. Ideoque obsessi sub finem *Julii* mensis deditionem fecerunt: Quâ peractâ, *Aurelianensis* in Aulam se recepit; *Anguiensis* trajecto Rheno, se *Turennio* conjunxit, & in *Brisgoviâ* cum Bavaris, Duce *Mercio* atroci pugnavit

vit prælio & ancipiti eventu, hostibus loci favore, Gallis audaciâ prævalentibus; quibus adscripta victoria, quoniam hostes *relictis impedimentis & machinis è loco pugnæ recesserant*: Etsi mortuorum *Catalogus ad sex millia adscedens* nimis erat funestus ad triumphi speciem; Animadverso jam tum *Anguiensis* ingenio, sanguinis prodigo & præ victoriâ nihil hominum æstimante jacturam. Ardor tamen ejus & pulchra in juvene virtus dotesque martiales, militum vulgus ad eum quocunque vellet sequendum abripiebant. Et tum quidem etsi pecuniâ multisque rebus necessariis carens numeroque plurimum imminutus erat, eum sequebantur *Philippoburgum*, cujus occupatio ad *res Germanicas* spectat, ibique juxta prælium superius relata est. *Anguiensis* ab hac expeditione se contulit *Lutetiam* ad accipiendas laudes & applausus dominarum in aula, nec minus populorum, quibus Galli præ cæteris nationibus exsultant & sibi placent. Finitis expeditionibus ad *negotiationes* ventum; *Hispanico* legato *Michaële de Salamanca* proponente duplex matrimonium *Galliæ Regis cum Infante Hispanicâ & Hispaniæ Principis cum filiâ Aurelianensis*, eâ lege, ut partem *conquæstuum* in dotem acciperent atque redderent: Quod etsi nec *Galliarum* Reginæ nec *Aureliano* displiceret, *Mazarinus* improbavit, operamque dedit, ut rejiceretur, quasi impares essent conditiones, matrimonio *Hispaniæ* Principis & *Aurelianæ* parato ad consummandum; Regis & In-
fan-

fantis, qui infantiam necdum egressi erant, longâ morâ facile in irritum cessuro.

4. Post hæc *Lotharingiæ Ducem* etsi parte ditionis suæ mulctatum, exercitu tamen collecto & bene exercito sat notabilem, bonâ fide sibi adjungere conati sunt Galli. At cum is restitutionem locorum sibi ademptorum, vel partem prius restitui vellet, idque Galli recusarent, nihil egere, quam ut Dux occasione potiretur, societatem copiasque suas carius *Hispanis* vendendi. Quare & ipsi *anno sequenti* MDCXLV. unicum ei reliquum munimentum *Lamottam* eripuere Galli, postquam in Hispaniæ finibus *Rosas* urbem, quâ communicatio terrestris viæ cum *Catalanis* impediebatur, non sine multo sanguine expugnassent. Secundum hæc *Aurelianensis* cum majore exercitu *Mardicum*, *Dunkerkæ* vicinum ejusque portui imminens obsedit & post acerrimam defensionem in potestatem redegit, cum pluribus minoris momenti aut valoris urbibus, *Linchio*, *Borborgio*, *MonCasselio*, *Bethunio* & *Armentieris*; eodemque tempore, *Gassio* cum proprio exercitu minore cepit *Lensium*, *Arleusium*, & *Leclusam* loca exigendis latius tributis & hybernis capiendis opportuna magis, quam ad vim majorem sustinendam facta. Constitutum erat, ut *Anguiensis* alio cum exercitu *Lutzenburgum* aggrederetur; sed auditâ *Turennii* ad *Margenthalium* clade, quam vidimus in *Germanicis*, eò se convertere debuit, ut res ibi collabentes sustineret. Neque multo post sequu-

tum

tum est prælium ad *Memmingam* inter *Anguiensem* cum *Turennio* & *Grammontio*, qui antea *Guichius* Comes fuerat, & *Mercium* atque *Gelenium* Bavaros, multo asperrimum & anceps, in quo *Mercius* interfectus, *Grammontius* & Gelehnius capti sunt; clades utrimque fere par, sed reputatio victoriæ potior apud Gallos fuit; quia potiti sunt quindecim *bombardis* & duas consequenter civitates *Nortlingam* & *Dunkelspielam* occuparunt. Etsi paulo postea Duce *Anguiensi* propter morbum è castris digresso, Bavarisque per Cæsareanos auctis, *Franci tam* celeriter ad *Rhenum* repulsi sunt, ut fuga potius quam recessus videretur. Hæc omnia, dum in *Westphaliâ* Tractatus *pacis* lento gradu & tædiosa difficultate procedebant.

5. Bellum nihilo segnius, imò nunquam ardentius gerebatur: *Initio anni* XLVI in Hispania *Leridam* à Gallis obsessam Marchio *Leganezius* gloriose liberavit, ut *suprà* intelleximus. Sed in *Flandria* conjunctis exercitibus, *Aurelianensis* & *Anguiensis*, *Cortracum* in mediâ *Flandria* expugnarunt & *Mardicum* ab Hispanis hyeme superiori per insidias captum recuperarunt. Digresso cum his *Aurelianense* in Aulam, *Anguiensis* solus incitatior, ut gloriam non divisurus, primo *Furnam* occupavit; dein *Caracenam* Marchionem Castra apud *Dunkerkam* munita habentem, è commodo suo protraxit eumque collatis viribus pugnâ superavit atque incontinenti *Dunkerkam*, quæ exercitu sub *Caracena*

cenâ prætexta fuerat, ejus ſtrage perculſam aggreſſus, brevi & autumnali tempore coarctavit ad deditionem: Incredibili ſuâ gloriâ, *ut eum ſolum Imperatorem quovis honore dignum* populi vociferarentur; Unde factum, ut ingenium ejus vanitatis impletum efferretur rebuſque Gallicis multum inde mali & confuſionis, accedentibus aliis cauſis, ſit ortum, cujus rei non tam ſpecimen quam omen fuit, quod mortuo Duce *Brezæo Galliæ* Amiralio, *Condæus* pro filio tot recentibus claro meritis, ſucceſſionem ejus petens, repulſam diſceſſu ex Aula ſtatim ultus eſt; filius indignationem tacite ferens implacabilius iraſcebatur. Nam Pater locupletibus aliquot *Abbatiis* pro ſecundo filio aliiſque largitionibus, ut erat ejus ingenium, auctus, brevi in *Aulam* rediit, eodem tamen anno mortuus; Unde *Anguienſis*, poſthac *Condæus appellabitur*. Cæterum ſi hoc tempore Princeps *Orangius Antwerpiam*, obſediſſet, ut facultas erat, aut aliâ parte valide incubuisſet *Hiſpanis*, non eſt dubium, quin hi breve ex omni *Belgicâ* depelli potuiſſent. Nec jam multum *Nanio* contradixerim, obſtitiſſe præter infirmitatem *Arauſienſis*, in Ordinibus Fœderatis invidiam nimiæ felicitatis & metum viciniæ *Gallicanæ*, jam ante oculos, terribilis, & malo Hiſpanico longe gravioris; quibus accedebant artes *Hiſpanorum* erga Principis uxorem, cui ſpem & rem magnam, in caſum pacis ineundæ pollicebantur. *Sane à parte fœderatorum nihil eſſe actum & quicquid vellent, agi potuiſſe, manifeſtum fuit.*

6. Quin

6. Quin cum *anno sequente* XLVII. pax inter *Hispanos* & *Belgas* fœderatos convenisset, etsi ad tempus suspensa à transactione cum *Gallis*, Hispani tamen hac parte securi, cum in *Belgio* Gubernatorem & Ducem supremum accepissent *Leopoldum* Cæsaris *Ferdinandi* fratrem, copiis insigniter auctis, Gallos rei nummariæ inopia retardatos prævenere; cujus rei culpam *Mazarinus* in Ærarii præfectos conferebat, alii ipsum accusabant, quod *tumultibus Italicis*, de quibus actum in *loco*, res Belgicas negligebat. Leopoldus *Armanticras* obsedit & longiore licet quam expectatio fuerat, defensione, locum occupavit, accedentibus *Varnetono*, *Cominis* & *Lensio*. Ad *Landrecium* novâ opus fuit obsidione; Etsi à præsidiariis celerius ut prædam quâ dites erant, bonis pactionibus in tutum deferrent, traditum fuerit. *Cardinalis* interim sub *Gassione*, collecto quod poterat, copiarum, *Bassæam* Hispanis, etiam facilius quam sperabatur, eripuit & *Rantzaus Dixmudam* cepit, at brevi ab Hispanis recuperatam. Sed *Gassio* fulmen belli *Gallis* & *Hispanis* dictus apud *Lenzium* ictu manualis tormenti interfectus est, minore Regiorum dolore, quod eum suspectum habebant *Religionis causa Reformatæ & amicitiæ quam cum Parlamentariis in Anglicâ Belgisque fœderatis colebat*; quasi novum aliquod *systema Reformatorum* suis viribus subnixum in *Galliâ* machinaretur. Finita fuit ejus morte in his partibus, æstatis hujus expeditio; hac etiam causâ, quod *Turennius* è

Germaniâ Regis ſui juſſu in fines *Belgicos* properans, militum *Vinarienſium* ſeditione, de quâ *ſuperius* actum, tam ob defectum ſtipendiorum, quam quod Germani extra Germaniam educi nollent, impeditus fuerat. *Aurelianenſis* autem pecuniæ defectu apparatum belli videns minorem, *Ducatui* ſe ſubduxerat, & *Condæus* perſuaderi ſibi paſſus erat, ut imperium in *Catalonia* ſuſciperet: Cujus eum pœnituit. Populi enim illic vacillabant & vires Gallicæ, *quæ longinquis expeditionibus durare non ſolent in longitudinem*, languebant. *Lerida* obſidionem ſolito ardore inchoatam pecuniæ rerumque inopiâ neceſſariarum deſerere coactus eſt; Unde iratus & adverſis inſolens in *Burgundiam* ſuæ juriſdictionis, ſine veniâ, *nec Aulâ ſalutatâ* ſeceſſit: etſi deinde crebris juſſionibus acceptis redeundum putavit, ſine ulla facultate quicquam memorabile gerendi: Quod ipſe aliique *Cardinalis Mazarinii* calliditati, ut gloria ipſius nimia & ipſi jam Regique futura gravis obſoleſceret, adſcribebant. Cujus rei ſenſum ille poſtea, cum ita ferret occaſio, non diſſimulavit.

CAP.

CAP. V.

De initiis turbarum civilium in Regno Galliæ

SEed felicitas *Galliæ* quæ foris elucebat, ab hoc tempore tumultibus inteſtinis interrupta non leve deliquium paſſa eſt. Seditiones populares in *Anglia*, *Scotia* & *Hibernia*, in *Luſitania*, *Cataloniâ*, *Sicilia* & *Neapolitano* regno tandem & in *Galliam* tranſierunt, câdem fere, quæ paſſim, cauſâ, *Rectorum inſolentiâ & avaritiâ.* Cum Rex puer valetudine graviſſimâ dubiam vitæ ſpem nuper exhibuiſſet, in Conſiſtoriis *Principum*, in Conciliis *Parlamentorum* & in circulis *populi* creberrimi & ardentiſſimi ſermones, *de emendando Reip. ſtatu*, ſi Rex moreretur, hábiti fuerant. Reſtituto Rege, cauſâ ſermonum non ceſſante, Querelæ toto regno adhuc audiebantur; *Victorias foris partas verti in oppreſſionem & in luctum populi*; *Unum Miniſtrum ſuæ potentiæ cauſa impedire pacem & recreationem populi ab oneribus intolerandis. Splendere foris Franciam ut potentem & beatam*; *intus nihil eſſe quam miſeriam & afflictionem.* Et quod indigniſſimum, *liquidiſſimam pecuniæ populo extortæ partem ſervire miniſtrorum avaritiæ & luxuriæ explendæ.* Sed *Cardinalis* memor, ſub *Richelio* & adverſus eum non minus atroces fuiſſe clamores, nihilo ſequius cum ſuis, novas pecuniæ quærendæ rationes inſtituebat ac *Edictis* promulgabat. Sed illa non niſi in magno *Senatu Pariſienſi verificata*, id eſt,

Actis insinuata secundum instituta majorum valere poterant; Id requisitum libertatis amatores ajebant, tribuere *Parlamento jus improbandi & rescindendi Edicta*. Regii nihil aliud *quam videndi, nè forte Regi obreptum videretur, de quo liceret illis humiliter commonefacere Regem. Qui commonefactus si persisteret, Senatui nil quam parendi gloriam esse relictam interpretabantur. Alioqui fore, ut Senatus in Imperii partem, quod nec ipse contenderet, vocatus videretur.* Nec dubium, quin ita novissimi Reges inde à *Francisco I.* usurpassent ac ita Senatus paruisset. Sed nunc Rege puero, Regimine exoso, aliter in animum induxere, negatâ *Edictorum, quæ populum novis oneribus gravarent*, etsi crebris jussionibus id urgeretur, *verificatione*, quam vocant. Pro extremo remedio soliti erant Reges ipsi in Senatum accedere ibique ea quæ vellent, proponere & *verificanda* curare. Sed ejusmodi *sessiones in lecto Justitiæ*, quas vocant, à Regibus pueris non solebant institui; *nisi quando Tutor vel Tutrix constitueretur* & quando *in suam tutelam* transirent. *Mazarinius* necessitate compulsus rem ausus est novam, Regemque puerili veste indutum sed Principibus majoribusque Præfectis & militibus stipatum in *magnam Curiam* introduxit. In quo solenni consessu proposita *verificatione*, neque suffragiis perrogatis, stupentibus cunctis, Senatus Præsides nonnisi optata responderunt. *Quam à Togatis victoriam non minoris, quam si prælio hostem notabili vicissent, Regii fecerunt:* Populus & pro-

ca-

cacissimus quisque jam Senatum ipsum arguere, quod tanto *publici boni* studio prælato, *inanibus* se terreri passus fuisset: Idque nonnulli ex ipso *Ordine* vehementer ingeminabant, quos inter *Petrus Bruxellius* innocentiâ & paupertate securior eminebat. Quibus cum & alii se adjungerent, non dubitavere, Decretum *Verificationis* Rege præsente factum revocare & inducere, quasi *ipso jure nullum*, eo quod suffragia viritim perrogata non fuissent; Consequenter *Edicta* ipsa, postquam à *Regina* suppliciter petierant ut supprimerentur nihilque impetraverant, velut publico noxia juribusque *Galliarum* adversa rescinderunt ac aboleverunt.

2. Regii hos conatus primo contemnere atque ridere, præsertim orationes eruditas, facundas, vehementes, quas è *Senatu* plures, *nihilo secus ac si in veteri Senatu Romano sedissent*, (ita serio loquuntur qui illas referunt & laudant) habebant & vulgabant. Cum tamen viderent, populum illis delectari omnesque ordines commoveri, maxime vero Tributorum & vectigalium propagationes sibi interverti, dederunt operam, ut aliquot è præcipuis Senatoribus, in custodiam darentur vel in exilium mitterentur: Pecuniæ autem quærendæ rationes ejusmodi, ad quas *Edictis & verificatione* nihil opus esset, excogitarunt, veluti *creationes & nundinationes officiorum* tam *novorum* usu ipso, quam numero duntaxat veterum aucto; sed ejusmodi imprimis, qui ad *judicia exercenda* pertinerent:

Cujusmodi creationibus veterum Senatorum & Judicum juribus ac commodis plurimum decedebat. Quod eo spectabat, ut *Senatus* ad hæc damna avertenda, diversi generis *Edicta*, quæ populum onerarent, facilius transmitteret. Talia mittebant ad Curiam *Auxiliorum* quæ dicitur, ubi minor numerus, dignitas & constantia recusandi *Verificationes*, sed quas magnus Senatus sive *Parlamentum*, ut contra Leges regni factas pro nullis habebat. Denique, contentionem inchoatam, augescente studio, ardentius, ut fit, persecuti, *Senatores* quo validius se opponerent regiis *Ministris*, *Unionem omnium collegiorum juridicialium* quæ sunt *Lutetiæ* suprema, palam instituerunt & in aulâ *Sancto Ludovico* sacrâ *Collationes* inter omnium Collegiorum *Delegatos* instituerunt; etiam cum reliquis Galliæ *Parlamentis*, quo omnia conspirarent, accuratam habentes communicationem, quod jam Regina regiique ministri *Rebellionem* vocabant. Sed hoc incidit in annum 1647.

3. Cujus initium fuit notabile disceptatione super ineunda pace; cujus tractatum duo *Gallorum* legati Monasterienses, *Lungavilla* Dux & *Avosius* signare cupiebant; quando nihil superesset indecisum, quam quod *Galli* à *Carolo Lotharingiæ* Duce, *restituto ipsi agro, petebant ut cuncta munimenta dirui pateretur.* Quod ut durissimum illi duo non dubitabant, quin à Regio Consilio mitigaretur eoque supposito, rem sanctissimam diutius sufflaminare non audebant: At *Servientius*

Lega-

Legatorum tertius, secretorum *Mazariny* callentior omni ope restitit ac impedivit, ne subscriberetur: Etsi antea rem totam & ipse Legatis *Ordinum Belgicorum* commiserat, haud alio, ut deinde patuit, fine, quam, ut moram, *ne suum illi cum Hispanis tractatum absolverent, lucraretur*; Cum enim hi suum arbitrium interposuissent, *Servientius* æquè à conclusione alienus erat, quam dudum. Hac re intellecta *Nuntius Papæ* & *Legatus Venetorum Lutetiæ*, petierunt audiri à Reginâ; Quod metuens *Cardinalis*, ne ad verum negotii statum Reginæ detegendum pertineret, idque dein applaudente saniore Regii concilii parte in tantum valeret, ut *pax* ad extremum *articulum* perducta *perrumperet*, nec in suâ potestate foret, illum impetum sustinendi, hanc rationem inivit eludendi Legatos. Condictâ illis horâ cum ingressi essent in Consilium, *Cardinalis* occupato sermone, prolixe, quantum *Hispanis* indultum esset à Regina & quam parum illi agerent syncerè, demonstravit, ac ideo subsistendum aliquando & si in *articulo* de *Lotharingiâ* non cederent, adsensum in reliquis antehac à Legatis præbitum, esse revocandum. His magno flumine verborum declamatis, cum procul à verò discederent, Pontificis *Nuntius* ita respondit, ut subjungeret, *Reginam non debere tantum fidei suis adhibere Ministris*, ut alios certiores auctores non admitteret. Quò dicto simulans offensum se *Mazarinius*, id quasi telum arripuit atque à disceptatione rationali, ad con-

ce nonnisi conjunctim facienda suo commodo interpretarentur. Fatendum nihilominus est etiam, quod pervicacia Mazarini *Cardinalis Richelij* consiliis succedanea, continuandi bellum, *Gallis*, etsi per immensas difficultates occasionem prævalendi *Hispanis* omnique pœne dixerim Europæ, successu rerum temporumque præbuerint. Acta res illa fuit *die* 25 *Januar.* 1648.

4. Eodem tempore querelæ publicæ in armatas seditiones eruperunt, incitatâ armatâque plebe ad spoliandam *Emerij* Quæstoris summi, cujus arrogantiam & luxum immanem nemo ferre poterat, domum, vicinam *Mazarinij* Palatio aliorumque regnantium habitationibus. Sed duce carens multitudo non difficulter à *Prætorianis* coercita & refutata fuit. Haud æque facile *Parlamentum* subigi poterat, etsi novâ machinâ ex *Aula* illis admotâ, ostentato decreto de *Pauletta* abolenda, cujus vi functiones judiciariæ sunt Patrimoniales: Quasi Rege omnia rursus officia vendituro, in longum nihil novis Edictis opus foret, atque ut Senatores tam inexpectato & insigni damno pervicaciam amitterent. Sed hoc tantum abfuit, ut Senatus *Supplicum magistros libellorum*, qui novos Collegas à Regina creatos admittere noluerant ac ideo ab *officiis* suspensi fuerant, in patrocinium suum receperit. At cum *Ministri* denuò Regiam auctoritatem periclitati fuissent, cum in magnam Curiam, cum omni splendore Majestatis, deducendo, tametsi cum solitis lætitiæ signis & acclamationibus haud erat receptus,

tus, tamen ut creatio XII novorum Magistrorum & *tributum in emphyeutas Domaniorum* stabiliretur effectum est; non obstante gravi & diserta *Taloni*, Fisci Advocati oratione, qua *miserabilem Regni statum & Regiminis violentiam* vivis coloribus depingebat. Restrictiones tamen & abolitiones quædam aliorum vectigalium novorum populoque graviorum publicatæ sunt: Nec verò ita destitit *Senatus*; sed *verificationem* præsente Rege factam, eadem juris ratione qua prius, postea paulo revocavit ac *Edicta* qualitercunque *verificata* abolevit. Dum hæc agebantur, *Beaufortius* Dux è carcere *Vincennensi*, qua de re dictum *superius*, evasit in *Brittanniam*; quem omnes novarum rerum cupidi optabant & invocabant libertatis publicæ auctorem & Ducem. Contra quem *Mazarinius*, *Condæum* belli gloria plebisque favore florentem & hac æstate *Ipris* in *Flandriâ* potitum sibi Patronum destinabat; *qui hoc ipso tempore antiqua decora novo fortitudinis & prudentiæ specimine cumulavit. Cum enim serius, ob difficultates publicas, ad liberandum* Lenzium accurrisset, *Leopoldus* numero superior obviam illi profectus, pugnandi copiam fecit. Quam etsi numerorum causâ recusare non erat solitus *Condæus*, hac rerum constitutione nihilominus evitandam putavit: Ac ideo servatis ordinibus, in tutum se recipiebat. *Leopoldus* momentum *Recessus* ad victoriam in utramque partem *plurimum valere* gnarus, cum equitatu illum properanter, ut labantem impelleret, insequutus

est,

eſt. *Condæus* animadverſo, equitatum hoſtilem à peditatu procul eſſe divulſum, ſubito vertit aciem equiteſque *Hiſpanos* aggreſſus tanto proruit impetu, ut in turpem eos fugam conjiceret, eodemque vigore pedites nudis lateribus deſtitutos equeſtri tempeſtate omnique exercitus ſui impulſu oppreſſit & diſſipavit, capto & mox è Vulneribus mortuo *Generali* Beckio, *Leopoldo* & Fuenſaldanio ægrè ſe fugâ proripientibus; *omni caſtrorum & tormentorum apparatu capto multiſque vulgaribus & illuſtribus captivis*.

5. Hac victoria nobili & recenti amicitiâ *Condæi* fretus *Cardinalis Bruxſellium & Blancmenilium* magni Senatus coryphæos noctu captos ad portum Gratiæ plauſtris abduci curavit, addito joco, *Hiſpanos* eſſe fugatos & *Bruſſellium* eſſe captum. Sed populus hunc jocum in atrocem vertit ſeditionem; derepente in armis, vias publicas catenis & molibus munivit, eratque tanto *Mazarinius* in metu, ut auctor Reginæ fuerit captivos revocandi reſtituendique Senatui; ſicut etiam paulo ante *Emerio* ob publicum odium ab Ærario amoto, *Milliaræum* divitem & minus exoſum ſubſtituerant. Tum quidem Senatus, populo *qui magis huic quam Regi parebat*, ut arma deponeret, *Edicto* imperavit. Nec tamen ita quies rediit civitati, noctu conventiculis, interdiu murmuribus & minis repletæ; Plebe captis armis & virium ſuarum conſciâ non facile cohibendâ, *Ut Regina cum filio & Cardinali ſuo ad Palatium apud fanum Germani* alio ſe prætextu receperit;

Sed

SECTIO VI.

De rebus Anglicanis, Scoticis atque Hibernicis.

CAP. I.

Ab anno 1633 ad initia tumultuum Scoticorum 1637.

MAgnæ *Britanniæ* corpus in ſpeciem vegetum & florens, ſed corruptis plenum humoribus in libro *præcedente* reliquimus; Externis honorum incitamentis Regem præ cæteris *Monarchis* cultum & adoratum, pacem domi foriſque ſtabilitam, populum ſuis opibus & commerciis abundantem plane *Regnum felicitate ſuâ laborans.* Quam lætus inconſtantiâ & viciſſitudine populi genius diu ferre non potuit, accedente Religionum diverſitate, de quâ *ſuperius* actum; prævalidis *Independentium* & *Presbyterianorum* ſectis, quorum illi *democraticos* ſpiritus, hi *optimatium* libertatem animis doctrinâque ſuâ complexi erant; auditis inde à ſuperiori ſeculo *KnoxI* Scotorum Apoſtoli à *Beza* dicti, & *Goodmanni* Angli ſententiis in Reges qui leges divinas tranſgrederentur alioſque tranſgredi facerent, hos amittere è veſtigio ſuum jus atque uti privatos ſuppliciis adfici poſſe; quibus contraria Epiſcopi docebant. Rex contuma-

ciam Ordinum, quorum Conventus, *Palamenta*, voce à *Normannis* accepta vocant, ſub Patris ſuique regni initiis expertus, eam ſectis illis, forte non immerito adſcribebat, ac ideo tria *Parlamenta* cis quartum Imperii annum convocata properanter diſſolverat. Et deinceps ita apud animum ſuum conſtituit, Parlamenta quamdiu populum non haberet obſequentiorem, amplius non convocare, Monarchiâ Anglicana per ſe ſatis ad abſolutæ poteſtatis exercitium comparatâ, nullis ibi majoribus & perpetuis Regni collegiis, ſicut in *Galliâ*, & *Magiſtratibus à Rege ſolo dependentibus*. Unum deerat huic inſtituto, pecuniæ quærendæ ratio, quam inveteratâ ſanctâque gentis conſuetudine, nonniſi Ordinum populi conſenſu, indicere & exigere licebat. Quod ſi Rex obtinere poterat, ut quorundam exemplo vicinorum, tributa & vectigalia ſuo arbitratu indicere poſſet, iter *ei planius ad arbitrariam & abſolutam* poteſtatem, ſecundum regni conſtitutionem, quam in ipſâ Galliâ, paratum videbatur. Quemadmodum è contrario *Ordines* ad pecuniam concedendam vocati, hac occaſione ſe omnibus Regiminis partibus ingerebant, *nihil pecuniæ concedendo, antequam Rex in omnibus eorum voluntati ſatisfaceret*; quod in tantą multitudine & licentia populari Aulicis & Regi non niſi moleſtiſſimum eſſe poterat.

2. Igitur *Parlamenta* per annos complures convocari, utcumque ſermonibus publicis & libellis Provinciarum frequenter peterentur, deſierunt. Ejuſmodi autem ſermones & libellos Rex etiam

Edi-

Edictis interdicebat; ac interim pace & frugalitate suos reditus ita dispensabat, ut subsidiis *Parlamentariis* carere posset. In longitudinem tamen id erat molestum *Ministris*, ideoque tentandum putarunt, an pecunias sine *Parlamento* elicere non possent, quod inveteratâ jam, ut credebant, auctoritate Regis & *Parlamentorum* desuetudine successurum non desperabant. Opus erat prætextu, qui natus est illis anno 1635. ex fœdere *Gallorum & Belgarum unitorum*, qui Belgicam *Hispaniensem*, exclusis ANGLIS, manifesto gentis contemptu, inter se totam divisissent, portus *Flandriæ* clauderent eòque spectarent, ut *Galli terrâ*, *Batavi* omnia mari possent: Unde plurimum dignitati & incolumitati gentis *Anglicanæ* metuendum foret. Quare id esse faciendum, ut Rex potenti classe paratâ, Dominium maris *Brittannici* sibi vindicaret, eâque gratia populos *ad extraordinariam contributionem* adigeret, qui tam speciosâ ratione causam recusandi non haberent: Simul id agebatur, *ut Rex armatus auctoritati suæ vim majorem adderet.* Uti consultum, ita factum; classis egregia parata in eâque una magnitudine ornatuque mirabiliter insignis, cui nomen *Souvereina*, voce corrupto è *suprema*, quâ Dominium suum absolutum in mari terrâque Britanniæ clarè præ se ferebat. De terrâ quidem tacite, de mari palam, ut inscriptio in puppe loquebatur; *A Rege Edgaro quatuor Maria mihi vindico.* *Edgarus* ille circa annum *Christi millesimum* vixerat & cum *Anglia* misere

vexaretur à *Danis & Normannis*, ipse ingenti classe comparatâ barbaros repulit & populos suos in pace gubernavit; Unde *Pacificus* appellatus est.

3. Quo autem *Carolus* Rex cives à rerum domesticarum consideratione ad alia transferret, per doctissimum *Seldenum* jus suum in *mare Britanniam circumfluens* adserebat, edito *libro*, cui à *Mari clauso* nomen, opposito *Grotii* libro quondam edito, sub titulo, *Maris liberi*. *Seldenum* à *Fœderatis Ordinibus* refellere jussus erat *Grasminkelius*; qui cum librum suum *Ordinibus* offerret, non placuit eum publicari, ex sententia Viri prudentissimi *Francisci Arssenii Domini de Sommelsdyk*, ita statuentis, *rem illam non esse calami sed gladii*; *si Belgæ non possent mare tueri classibus & armis, frustra idem libris & stylo esse tentaturos*; *ubi arma sufficerent*, *libros esse ineptos & supervacuos*; quemadmodum & Regi Carolo usu venit. Is interim navale Tributum strenuè per omne regnum, *Census modo*, exigebat; Vectigalia quoque ab *Anglis* dicta *Costumas*, id est, *Consuetudines*, notabiliter auxit ad *centum millia librarum Sterlinarum* annua, quæ plus *quadringentis Imperialium millibus* reddunt. Hæc cum nullo jure fieri Proceres & populus contenderent, *Episcopi* in contrarium acerrime disputando concionabantur; *habere Regem jus eminentis dominii in omnia privatorum bona*, *de quibus tantum capere posset*, *quantum ad tutelam Reipubl. opus esse judicaret. Non dependere ejus imperium à Populo vel Ordinibus*, *sed ab uno*

Deo,

Deo, cui soli rationem reddere deberet. His tamen haud perinde omnes adficiebantur, quin existerent tuti numero, qui tributa pertinaciter solvere detrectarent, quos inter erant qui Exactoribus *sacellum à senioribus* nomen habens & exstructum olim *è mulctis eorum, qui Vectigalia ab Ordinibus non concessa persolvissent*, demonstrabant, ut hoc prius dirueretur, antequam ipsi ad solutionem compellerentur, innuentes. Et huic malo remedium quæsiturus Rex, ut populo persuaderet, nonnisi jure se facere, quod institueret, majoribus *Angliæ* judicibus quæstionem proposuit hujusmodi; *An Rex Angliæ sub magno Regni sigillo non possit imperare populo tributum ad instruendam Classem pro salute & defensione regni, imminente periculo; & an non ipse Rex hujus periculi, quando & quomodo evitandum, mediorumque ad hoc amoliendum sit Judex.* Responsum adseverans Jus Regis, ut propositum erat, deinde publicavit, neque tamen refutandis populi querelis & libellis adversus *Episcopos* & Aulæ *ministros* sufficiebat, accedentibus aliis irarum causis; inter alias, *Monopoliis*, quæ aulicis adulatoribus, cum aliunde non esset copia largitionum, magno promiscuæ mercaturæ detrimento, concedebantur.

4. Quo tamen Rex sermones animosque hominum à domesticis ad externum Regni decus averteret, non ignarus, *Anglos* invidere prosperitati *Batavorum* in mercaturâ & piscationibus imprimis halecum sub ipsis magnæ Britanniæ

littoribus exercitis, cum ipse non minus iisdem propter Gallici fœderis arrogantiam, ut videri volebat, succenseret, Edictum publicavit anno 1636. in quo narrat, *à Rege Patre suo prohibitas fuisse piscationes in mari Britanniæ suæ vicino, aliter quam veniâ ab se impetrata; verum cis executionem id substitisse; Propterea sese id renovare tuendisque Edicto & iis qui veniam impetratum venirent, classem habere paratam.* Cum etiam non abstineret aliis contra Belgas movendis quæstionibus navésque XVIII. bellicas misisse diceretur ad octo naves ex *Indiâ Orientali* reduces intercipiendas, *Belgæ* fœderati non leviter ab illâ parte timebant. Nec tamen de Maris imperio concedere certi, classem Anglicanæ non imparem adversus illam emisere, sub thalassiarcha *Dorpio*, qui tamen impedire nescivit *Anglos* suam piscatoribus imponere legem & Regii Legato *Joachimo* Belgæ mentem suam aperte significarunt, Id agere se idque curaturos, ut maris dominio exactè potirentur & de injuriis *Indicis* satisfactionem sibi procurarent. Ex quibus animadverti potest, *Anglicanum* adversus *Unitos Ordines* bellum, quod post *annos quindecim* natum est, fuisse è dilatione & interruptione civilium motuum *Britannicorum*, qui Regem à proposito maritimæ dominationis ad tristiora averterunt; Unde certissime bellum æque tum fuisset ortum, quam postea natum esse vidimus: Regi enim vim facienti *Ordines*, ut erant animati; vim opponere certi atque parati erant.

5. Sed

5. Sed Rex *Carolus* nihilo ſegnius in abſolutâ poteſtate domi promovendâ pergens adverſam habuit popularium libertatem; qui poſtea hoc caput primum atque ut maximum crimen illi imputavere; *quod abſolutam & arbitrariam poteſtatem ſibi vindicare conatus eſſet*; hactenus quidem immerito; Quatenus *omnes populorum Rectores*, *tam Optimates*, qui non habent plus juris Principibus, *quam Reges id ipſum unice agunt & adfectant*, *pleriq;ue etiam his diebus adſecuti ſunt*. Gulielmus ſane, *Conqueſtor* dictus, *Anglis*, ut libitum, imperitaverat, jure belli, habuitque in Patrimonio mobilia & immobilia, quorum uſumfructum civibus relinquebat; de regno etiam pro arbitratu ſuo teſtamento diſpoſuit: Nec ejus filii minus juris habuerunt, etſi junior *Henricus I.* Ordinum Conventus inſtituit, eâ fere quâ nunc habentur, forma; *ſed conſilii non juris ſui minuendi cauſa*, cujus tum quidem rationem nullam habuit. Verum ejus liberis naufragio extinctis, exceptâ *Mathilde*, cum *Stephanus* huic intercepiſſet jus ſucceſſionis, *Ordinum Concilia* plus auctoritatis adepta ſunt eamque deinceps, renovatis ſæpe contentionibus in familiâ Regum, qui plerique etiam juris ſui tuendi erant impotes, auxere, maxime poſtquam Reges, amiſſa *Normandiâ* cæteriſque transmarinis regionibus, omnes ſuas res & ſpes in *Anglorum* fidelitate ſitas habebant. Proceres id tum imprimis ſatagebant, quibus *magna charta*, ſic *inſtrumentum inſignium Privilegiorum* vocatur,

indulta fuit; etsi hæc magis ad venandi aliaque patrimonialia, quam ad imperandi jura pertinebat: Plebs vero tam altum tunc non sapiebat, nec nisi Procerum auspiciis se Regibus opponebat. *Eduardus I.* Legem passus est ferri; *ne Rex tributum aut vectigal ullum posthac, nisi ex Ordinum consensu exigeret*, *anno* 1298. quæ deinceps inviolabiliter custodita est, cum prius Reges suo arbitratu hac parte sæpe fuissent usi. Sed deinceps invaluit opinio, quæ duravit usque ad finem *seculi* xv. quo tempore *Comminæus* illam his fere verbis in Historiâ *Caroli VIII*, expressit; *Nulli Principi in terris fas esse de populis suis ullum obolum capere, sine tyrannide & rapinâ, nisi prævio liberoque illorum consensu*; Alioqui domaniis *suis contentos vivere oportere.* Quæ sententia multis locis obsoleta, licet modus petendi adhuc passim duret, apud *Anglos* non tantum in formâ, sed etiam re ipsa servatur. Nunquam tamen antehac ab illis disputatum fuerat, ut his diebus usu venit, *Regem habere tantum mandatam & executivam potestatem, ab universo populo dependentem*; quod dein à *Presbyterianis* & *Independentibus* ex institutione *Brutinâ* adoptatum & populis insinuatum est. Etsi quod jura à majoribus acquisita & perpetuo observata contra Reges tueri in animum induxerint, in eo rectè consuluisse dicendi sunt.

CAP.

CAP. II.

De motibus Scotorum usque ad initium Parlamenti Longi in Angliâ, ab anno 1637 *ad* 1641.

QUod si *Carolus* Rex ad externa, quemadmodum cœperat, totum se convertisset, intestina forsitan, *nullo novarum rerum auctore*, nec populo ad unitatem redacto, detrita vel diu saltem dilata fuissent. Turbata est limpida ab iis, qui nihil magis quam pacem promovere deberent, *Episcopis*; qui tempus hoc esse credebant abolendis protestantium sectis idoneum, initio à *Scotiâ* facto; plus enim illis fuisse propositum, quam ut auctoritatem suam instaurarent, etsi vulgo consilium Papatus introducendi illis adscribatur, non liquet: Etiam ex eo quod postea usu venisse vidimus, ut *Episcopi, sub Rege Pontificio, Papatui constantius & æquabilius quam Presbyteriani ac Independentes restiterint*, idem verisimile non videtur: Nec eorum utilitatis ratio, quâ maxime homines moventur, id exigebat vel permittebat. Regina quidem multum libertatis suæ fidei consortibus impetrabat: sed hoc à Papatu in throno collocando multum aberat, multumque ab ea libertate, qua Pontificii in ipsis *Batavis* fruuntur, abfuit. Occupatis tamen hac persuasione omnium *Anglorum & Scotorum* animis, fieri non potuit, quin secundum hanc præsumptionem acciperetur Edictum Regis in Scotiâ promulgatum *anno* 1637. *de Regi-*

mine Ecclesiastico & Leiturgiâ publicâ secundum Anglicæ exemplum Ecclesiæ conformandis. Episcopos equidem *Scotia* quatuordecim à tempore *Jacobi* Regis acceperat, invita, quemadmodum *in loco* intelleximus; Rebus eos regendis & Consilio supremo adhiberi (nam tribus exceptis, omnes erant in Consilio *Scotiæ* summo) ægre licet ferentes, juxta fastum eorum & luxum videre pridem consueverant. Ritus in sacris à Pontificiis retentos usurpari indignabantur; Nunc aliquid addi, quo *similitudo illa cum Pontificiis augeretur*, nullo modo ferendum putabant. Liber novus *Liturgiæ*, in quibus locis ab *Anglicano* discrepabat, mutationibus quibusdam in melius, sed plerisque, ut ajebant Scoti, ad *Missale Romanum* inclinantibus erat interpolatus. Proinde cum jussu Regis liber in maximo *Edimburgensi* templo prælegeretur, plebs tam atrociter intonuit, ut *Episcopus*, qui librum legerat, vix è manibus ejus incolumis evaderet.

2. Sed Ministri Ecclesiarum & Proceres illis addicti ibidem congregati miserunt ad Regem, qui libri usum deprecarentur; *nec eum salvis legibus, antequam in Synodo Nationali esset approbatus, promulgari potuisse*, demonstrabant. Sed Rex nondum suetus imperiis suis contemnendis, mandatum recipiendi *Liturgiam* renovat ac *Edictum* mittit in *Scotiam* per Comitem *Traquarium*, *Sterlini* publicatum; in quo *purgantur Episcopi ab auctoritate hujus instituti seque totius rei solum Rex auctorem profitetur. Monentur omnes,*

quies-

quiescant, *ni tanquam seditiosi ex rigore Legum puniri velint*. Multo plus animi & iræ collegerant, quam ut chartæ cederent *Scoti*; Protestantur adversus *Edictum* solenni formula congregati è Proceribus aliquot, sed è ministris plurimi suosque Conventus privato motu, *pro gloria Dei*, *Regis honore* Patriæque libertate defendunt & continuant. Quoque plures causæ implicarentur, *fœdus* solenne, *Convenantum* dixere, pro *tuendâ religione & libertate*, *salva Regis dignitate*, sanciunt, cui omnes omnium ordinum viros per omne regnum aggregant, adeò ut intra paucos dies multa millia *Convenantium* numerarentur. Quam conventionem Rex, ut *fœdam rebellionem & manifestam defectionem* crebris literis ac *Edictis* detestatus, omnia tamen verbis potius & auctoritate prius, quam vi ac armis tentare statuit, misso in *Scotiam Hamiltonio* Duce, quem plerique malæ fidei accusant, quod res potius miscere quam explicare studuerit, occasionem inde sperans aliquam *suum jus in Regnum*, quod Familiæ suæ deberi putaret, *proferendi* & usurpandi. Per hunc promittebat Rex, neminem ad usum *Liturgiæ* coactum iri & copiam illis fore *Parlamenti* ac *Synodi*, modo à *fœdere convento* desisterent. Sed cum nihil impetraret, *Hamiltonius* ad Regem bis regressus, Synodum *Glascuam* ad diem XXI. *Novembris*, sub præsidio suo convocari permisit. At cum ejusmodi tono inde ab initio insonarent, ut Dux inde longe majorem motum prævideret, Synodum intra *septem dies* dissolvit,

caussatus in *Electionibus*, *sessionibus omnique formâ liberæ Synodi* ordinem legitimum ab illis esse violatum: Episcopis tanquam reis illuc citatis & hac causâ jure suffragii privatis, ob hoc inquam, ipsum, quod erant *episcopi* Lege stabiliti. At Synodales adversus hanc dissolutionem protestati conventus suos nihilominus, ut *Legitimæ Synodi, quæ Regis auctoritate nihil indigeret*, continuant. *Episcopos per contumaciam damnatos juribus & locis suis ejiciunt*; Legesque & decreta præsenti rerum statui, suo arbitratu idonea condunt, edunt & per *Angliam* inter *Presbyterianos ac Independentes*, hæc initia cupidissime spectantes, *& qui in communi periculo suarum inter se dissensionum obliti erant*, dispeserunt.

3. His rebus supra modum Rex irritatus *Edictum* in *Scotos* acerbissimum ut humani divinique juris contemptores emisit & in omnibus per *Angliam* templis prælegi curavit: Simul exercitum adversus illos tanquam manifestos *Rebelles* conscribit; vasallis suis omnibus imperans, ut ad primum *Aprilis diem* 1638. *Eboracum*, equis armisque pro facultatibus & genere servitii quisque suo militariter instructi convenirent, *Arundelio* Comite, Supremo Duce constituto; nec defuere Generosi nobilesque servitio Regis obligati affectum suum promptitudinemque Domino suo approbare, conveniendo frequenter apparatu splendido, magnoque Rege non indigno, die condicto apud *Eboracum*. Neque tamen *Scoti* animos despondenrunt, sed cum Edicto regis

primo

primo responsum, verbis *humile*, *rebus acre propositique tenax* reposuissent, arma velocissime parant, urbes, castella, arcesque passim occupant, suspectos omnes armis exuunt; Ducem belli constituunt *Alexandrum Leslejum* externæ militiæ veteranum, cui nobilissimi quique disciplinæ & boni communis causa parere non gravabantur. Sed *Angli* nimis occupati erant iisdem cum *Scotis* opinionibus, quam ut bellum adversus eos gerendum putarent, utpote quorum cladem sibi non minus exitiosam fore prævidebant. Unam ex his turbis utilitatem pro se expectabant, ut Rex *inopiâ rei pecuniariæ* subactus *Ordines* Angliæ convocare coarctaretur. Sed ille non ignorans hanc animorum dispositionem, quo omnia hactenus sibi integra servaret tempusq; deliberandi haberet, quando ad pugnam suos educere non audebat, intercedentibus utriusque Gentis aliquot Proceribus *Colloquium* inter eos haberi permisit, in quo de pace convenit; ea lege, ut *omnium antea gestorum amnestia valeret, exercitus utrimque cis* 24 *horas dimitterentur.* Scotis nova *Synodus Nationalis* in diem VI. *Augusti* & *Parlamentum* in diem ejusdem mensis XXIV. habendum concederetur. Sed cum *Scoti* instrumentum pacis publicassent *aliis verbis quam Rex illud* αὐθεντικῶς *fuisse conceptum diceret*, in eoque nonnulla sibi injuriosa extare putaret, publicè id ipsum *Londini* à Carnifice comburi jussit, non obscuro belli renovandi præconio.

4. Sed cum id sine nova pecuniâ geri non posset

ſet, nec eam ſufficiente copia & facilitate *ſine Ordinum Conventu* habere poſſet, eò tandem adductus eſt, ut *Parlamentum* in Angliâ convocandum ſtatueret, idque ſe facturum *Privati Conſilii Adſeſſoribus* indicavit, in menſem *Aprilem* 1640. poſtquam à XII. annis nullus in Anglia Conventus Ordinum indictus fuerat. Cujus rei novæ & quæ jam pene memoriam exceſſerat fama vulgi animos ingenti alacritate implebat. Aliis non placebat mora tam longi temporis, præſertim quod apparatus belli non viderent intermitti; quodque Comes *Straffordiæ* vir acerrimæ ſolertiæ, pro Rege, præfectus Hiberniæ, qui antea *ex ardentiſſimis pro libertate*, præmiis & honoribus Regi mancipatus fuerat, in Provinciam ſuam profectus eſſet, acturus Ordinum *Hiberniæ* conventum & pecunias inde petiturus; ut etiam pro facultatibus, Hiberni ſatis liberaliter *quatuor ſubſidia*, quæ vocant, conceſſerunt. Eodem tempore *Scotico Parlamento* juſſu Regis diſſoluto, minus audaces fuere Proceres & Legati populorum quam fuerant Concionatores, qui *Synodum* nationalem à Rege diſſolutam *ſuperiori anno* continuaverant: Parlamenti diſceſſio facta eſt, ſed Legatos cum prolixis querelis in *Angliam* miſere, quos inter extitit Comes *Loudenius*, à cujus chirographo literæ ad Regem delatæ erant, directæ ad Regem *Galliæ*, quibus auxilium ejus in hoc bello implorabatur. Ipſe eâ gratiâ in *Turrim Londinenſem*, ut proditionis reus eſt miſſus, ejuſque Collegæ ſimiliter dati ſunt in cuſtodiam, ſed brevi di-

vi dimiſſi: Ipſe etiam *Loudenius*, hac uſus defenſione, *quod tempore belli fuiſſent concepta, nunquam dimiſſæ literæ & quod Amneſtiâ publica deinde ſancitâ ſi quid eſſet criminis, abolitum fuiſſet*: Rex eo jam redactus ut extremo jure agere non poſſet, hominem bona cum gratiâ dimiſit.

5. Die, quo condictus erat, Ordinum Conventus frequens ad *Parlamentum* convenit, XIII. Aprilis 1640. in quo Rex injuriam & ſeditionem *Scotorum* ſibi intolerandas prolixe commemoravit, exhibitis etiam & prælectis *Loudeni* ad Galliæ Regem literis; In ſummâ ipſe vel ejus *Orator*, non amplius eſſe controverſiam de *Liturgia* vel de *Epiſcopali* regimine; ſed an ipſe Rex eorum eſſet futurus, an ſecus, demonſtrabat, *Quam rebellionem cum inultam tranſmittere non poſſet, maxime cum & illi pacem proterve nuper violaſſent, ſibi eſſe conſilium illos bello, quando aliæ rationes compertæ fuiſſent inutiles, ad juſtas obſequii metas reducere; Quam ad rem ſubſidia neceſſaria à fidelibus & amantiſſimis Angliæ ſuæ Ordinibus ſe petere inſtanter & inſtantiſſime. Promittens ſe impetrato quod ſufficeret, auxilio, Tributum navale remiſſurum, nec ullis poſtea civium deſideriis refragaturum, modo nihil ſubſidiis concedendis anteverteretur.* Ad hæc ſumma reſponſi fuit, *Emendationes Reipubl. & gravaminum populi ſatisfactionem eſſe præcipuum* Parlamentis *finem propoſitum, eamque contributiones pecuniarias antecedere oportere. Non agnoſcere ſe conditionem, quam Regi placuiſſet adjicere petitioni ſuæ*; ſi pecuniæ quantum ſatis eſſet, daretur,

ſe tri-

ſe tributum navale remiſſurum, *quando ſatis conſtaret, hoc nullo jure populo impoſitum ſed per vim injuſtam eſſe extortum. Nec teneri populum Anglicanum ſubſidia contribuere in bellum, quod non bono ſed exitio communi Patriæ eſſet inchoatum & quod maxime deteſtaretur. Rogare ſe potius, ut auctores impii illius belli ſupplicio adficerentur.* Quando tamen Rex inſtarenon deſinebat, neprorſus à pecuniâ dandâ alienos ſe præberent, aliquid ſubſidii decreverunt, non modo *in ſummâ* ſatis adhuc mediocri ſed & antequam exigendi ſpecies definirent, de aliis magni momenti rebus agitabant. Unde præcipui Regis miniſtri, quos inter eminebant, *Wilhelmus Laudus* Archiepiſcopus *Cantuarienſis* & *Thomas Wentworthus* Comes *Straffordiæ*, *Gubernator Hiberniæ*, periculum ſibi metuentes Regi auctores fuerunt, *hoc Parlamentum diſſolvendi*, quemadmodum diſſolutum eſt die v. *Maji*, Rege enixe proteſtante, ſe non minus curaturum obſervantiam Legum, quam ſi *Parlamentum* eſſet congregatum. Poſtridiè quoque non temperavit ſibi, quin tres è domo inferiore, præcipuos libertatis incentores, *Bellaziſum*, *Hothamum & Crevum* daret in cuſtodiam, ſcriniaque Baronis *Brokii* excuteret, quod juribus *Parlamenti*, cujus legati creduntur eſſe *ſancti*, adverſum habebatur. Eodem tempore *Clerici*, qui ſe non minus quam Regem regioſque miniſtros peti videbant, Seſſiones ſuas diſſoluto *Parlamento*, Regis mandatu continuarunt & decreverunt, *exercitium juriſdictionis ſuæ non egere*

con-

concessu auctoritatis Regiæ, aliisque novis quibusdam Canonibus conditis aliquot formulas jurisjurandi addidere, quibus animi civium Regi melius pignorarentur. *Inani remedio!*

6. Plus erat profuturum adversus *Anglos*, si Rex *Scotos* vi subigere posset, cui rei proinde totum se dedit, convocatis denuo *vasallis*, & milite conscripto, civibus etiam suis armorum peritis è Belgio evocatis, quibus *Arausiensis* commeatum quidem dabat, sed *Ordines* stipendia absentibus continuare nolebant; quod plerisque in *Anglia*, ubi plus honoris quam pecuniæ expectabant, minus erat commodum. Etsi Rex non deerat corradendo nummos undique, præter eam quæ veniebat ex *Hiberniâ*, (nam Angliæ domania pridem pignorationibus erant occupata) è voluntariis *Clericorum*, atque uti scribunt *Angli*, *Pontificiorum* collationibus; Auro quoque & argento, quod ad privatos pertinens, in turri *Londinensi* signandum reperiebatur, sibi sub Regiâ fide reddendi, vindicavit; mercibus etiam ut Angli adfirmant, pretio in diem solvendo, comparatis, quas ante diem aliis minori sed parato pretio vendi curavit. Summa quoque per Legatum operâ ab *Ordinibus fœderatis* petiit, ut Socios *Indicos* ad redimendam actionem *Amboinensem*, de quâ *suprà* & *Poulcronensem*, (hanc insulam *Brouwerus* Belga nuper ut ex pacto debebat, Anglis non restituerat) aliasque controversias bonis conditionibus transigendas adducerent. Princeps & Ordines occasione putabant utendū; verū

So-

Socii, more mercatorũ, qui *pecunias non expendunt nisi ex necessitate vel lucri causâ*, cernentes incommodum *Regis*, nihil dederunt; nec solutio, ut eventus docuit, illis profuisset. Bellum ita contra *Scotos*, Comitis *Straffordiæ* ductu, processit, interdicto Scotis mari terrâque commercio; dum illi non segniter obviam prodirent Angliæ fines jam pridem ingressi; Edicto præmisso, *Adferre se Regi libellum supplicem æquissimas preces continentem; Cui si Rex annueret, nihil ab se hostile contra Anglos fratres suos dilectissimos, institutum & designatum iri.* In reverentiæ autem erga Regem aliquam speciem, *signa sua non explicabant*, sed arma humiliationis ergo submissa gerebant. Inter hæc ludibria, audaciores illos reddebant *Anglorum* hortamenta & consilia clandestina; Regem faciebat timidiorem, manifesta militum suorum, maximè gregariorum aversatio ab hoc bello, cujus causam *Episcopis* vulgo exosis & *Pontificiis* adscribebant. Ergo segniter bellum gerebatur, velitationibus quibusdam apud *Neubomiam* & *Dunsianam* haud procul *Bervico* leviter delibatum, & sanguine non multo hinc inde fuso transactum; *Scotis* cunctantibus & aliquid ex *Angliâ* expectantibus, Rege non fidente suis militibus, neque longiorem ferente moram per inopiam rei pecuniariæ.

7. In his angustiis constitutum Regem viginti Proceres ausi sunt adire apud *Eboracum* eique libellum offerre continentem historiam Regiminis ejus ab ovo, *cum multâ miseratione populi oppressi* &

& hoc funestissimo bello magis opprimendi. Proinde rogare se Regem, uti quantocyus Parlamentum in Angliâ convocaret neque dissolveret, antequam populus gravaminibus suis allevatus & Respublica emendata foret; non neglectis eorum qui se auctores hisce malis præbuerant, pœnis, & similia. Neque Rex alium vidit exitum, quam ut supplicantibus aliisque Proceribus evocatis promitteret, se *Parlamentum* sponte convocaturum, quam citissime posset in diem III *Novembris*, permisso interim, ut iidem Proceres cum *Scotis* colloquerentur & inducias pangerent, quæ non difficulter ad duos menses convenerunt; his legibus, ut *Scoti singulis diebus octingenas & quinquagenas Sterlini libras acciperent; si non præstarentur, illas vi caperent è proximis quatuor Provinciis; Quæ illis pro hibernis adsignatæ essent; Commercia libere exercerentur; privatæ injuriæ non læderent inducias, si querentibus satisfieret. Novis apparatibus bellicis abstineretur.* Sic Angli pecuniam *Scotis*, quam Regi dare maluerunt idque serio agebant, ut Scoti in bello facile perseverarent idque libenter continuare vellent, donec & ipsi Regem obnoxium tenerent. In ipsum usque *Belgium* fœderatum Scoticæ causæ favor & opinio, Regem ac Episcopos ad Papatum inclinare, pervaserat; Scotique inde quicquid ad belli usus erat necessarium, non valentibus in contrarium Regis Angliæ Legati querelis, abunde suppeditabatur.

CAP. III.

A principio longi Parlamenti in Angliâ, usque ad Lanienam Hibernicam, ab anno 1640 ad 1643.

Rejectus igitur Rex *Carolus* necessitate magis, quam consilio in viam toties infestam sibi Patrique suo compertam, & diutissime intermissam; eo se coarctatum vidit, ut alia Majestatis qualitercumque servandæ ratio nulla superesse videretur, quam ut *Anglicano Parlamento* se quasi manibus pedibusque ligatis, committeret. Populi similiter existimantes, non ausurum Regem hunc Conventum temere, quando nullum aliud malis suis remedium habere videretur, dissolvere, in sumno de operibus ejus expectatione fuerunt. Artes aulicorum in novissimo *Parlamento*, curandi, ut *Adsessores Parlamentarii* à Rege non alieni crearentur, tunc evanidæ repertæ, jam multo magis inutiles visæ sunt, occupatis omnium animis intentione tales eligendi Legatos, qui liberè loqui & Reipubl. emendationem urgere malorumque pœnas civium exposcere auderent. Hujusmodi igitur hominibus impleto *Parlamento*, qui pro certo haberent, *Regios Tyrannidem & Papatum moliri* & qui nil nisi *libertatem spirarent*, facile quid inde pro Rege sperandum foret, præsumi poterat. Operæ pretium tamen est cognoscere, quam blandis orationibus ac adulationibus se mutuo *Rex & Ordines*, speciminibus in publico extantibus, saluta-

ve-

verint. Ipse per suum magni sigilli Custodem de *Scotis* invidiose questus, in *Anglis* summam se fiduciam ponere blandissime profitebatur. Orator domus inferioris *Glainvillius* exquisitis laudibus & dicendi flosculis Regem ita exornabat, ut nulla virtus civilis aut Christiana, quam in summo gradu non teneret, ipsi deesse videretur, nec major aut felicior Rex, qui populos suos unquam beatiores reddiderat, in magna *Britannia* floruisset. Anglis ipsis credo tam effusam adulationem oportere visam fuisse mali ominis, si verum est, quod illis tribuitur, proverbium, *Ama parumper, sed ama constanter.*

2. Initium fecerunt Ordines, ut par erat, à Religione, cui maximè timebatur. Episcopi multos concionatores & pastores censuris notatos locis suis ejecerant, homines pios & doctos, sed *à cærimoniis & à liturgiâ recepta alienos*; etsi in eâ re nec aliter Episcopi secundum Leges consulere potuissent; Ex iisdem multi carceribus inclusi tenebantur. Hi omnes jussu *Parlamenti* restituti & indemnes habiti honoratique sunt. Quos autem comperissent moribus impuris sacrum ordinem dehonestantes, hos vicissim removebant, etiam vero non paucos cærimoniis addictiores easque studiosius urgentes, *quatenus in aliorum loca surrogati fuerant*. Cum autem duo præcipui consiliorum auctores Regi fuisse crederentur, *Archiepiscopus Cantuariensis* & *Comes Straffordiæ* suprà aliquoties nominati, nihil antiquius habuere, quam illos Perduellionis accusatos in *turrim*

Londinensem conjicere, *Straffordium* prius & dein *Cantuariensem* die XVIII. *Decembr*. 1640. Matthæus *Wrennus* Episcopus *Norvicensis* non quidem proditionis, sed *maleficii magni* accusatus, tenuit, ut fidejussoribus committeretur tribus, singulis *in dena librarum Anglicarum millia* spondentibus. Secundum hos Franciscus *Windebankus* Regi præcipuus à secretis arcta amicitiâ *Laudo* Archiepiscopo conjunctus, in jus vocatus est; qui cernens quid ageretur & quam parum sibi in Regis & Reginæ imperiis atque auctoritate præsidii foret, fuga se clam subduxit in *Galliam*; Idemque fecit *Johannes Finchus Baro Fordicensis*, Magni *Sigilli Custos*, cui, quod Judicibus *Angliæ* supremis auctor fuerat, non sine minis, ut pro jure Regis de *tributo navali* responderent, hoc aliaque crimini dabantur. Is in Belgium se recepit & *Hagæ* Batavorum diu commoratus est.

3. Quamvis autem illorum inclusione fugâque Regi non multo secus ac viscera detraherentur, tamen nihil invenit, quo sisteret hunc impetum neque adhuc se opponere sustinuit. Quin à se passus est elici Legem, de jure interno Imperii plus quam primo auditu videatur, detrahentem, ut Rex teneretur *ad Parlamentum singulis trienniis convocandum*: Quod si *negligeret*, *Magni sigilli Custos aut Cancellarius Lancastriæ* Ducatus, *convocationem fieri curaret sub pœnâ Cinguli amittendi*. Cui Legi Rex adsensum præbuit *die* 16 *Februari* 1641. & post meridiem os suum gratiarum actioni, quâ Domus utraque laudabat

eum,

eum, *quod juri suo tam facile renuntiasset*, præbere debuit.

4. Interim effluxerat tempus induciarum cum *Scotis* constitutum; quorum ratio per vindictæ in Regis amicos cupiditatem, ab Ordinibus necdum habita fuerat. Etsi autem Rex summopere contenderat, ut *hostium loco haberentur*, *Ordines* illis potius gratias putarunt habendas & habuere luculentas. Decreverunt enim illis *trecenta millia librarum*, id est, duodecies centena Imperialium millia, his verbis, *ut sit pensatio pro damnis & necessitatibus fratrum nostrorum de Scotiâ.* Additum, naves illorum captas esse reddendas & pro damnis hac causâ, *quatuor millia librarum* esse numeranda. Nec mora fuit in *Scotis*, agendi gratias pro pecuniis quàm speraverant majoribus, & quod *amici fratresque Anglorum* nominati fuissent, Idque eodem mense *Februario*. In quo Rex etiam Ordinibus palam significavit, se filiam suam primogenitam *Mariam* despondisse *Guilielmo*, *Principis Arausionensis*, *Belgarum fœderatorum Præfecti supremi* filio. Actum erat pridem ab *Hispanis*, ut Regem spe factâ sponsaliorum cum suo Principe contrahendorum, suis rebus consiliisque penitius inretirent. Sed crescente *Papatus* suspicione & ingravescente periculo, Rex ita in animum prudenter induxerat, *Adfinitatem Arausionensem sibi & foris præsidio fore & apud Ordines suos lenituram Papalis inclinationis* adversus ipsum *opinionem*. Primam Reginæ mater, *Maria de Medicis*, in *Batavis* agens ejus rei men-

 tio-

tionem fecerat & dein apud *Anglos* idem commendaverat: Et cum propositio non sperneretur, per Legatos res confecta nuptiæque *Londini* celebratæ sunt die 2 *Maji* 1641. *Parante Providentiâ causas, quibus aliquando Anglia ferali diffidentia contrariisque Regis & populi rationibus liberata Religionem & libertatem cum illibato jure Regio ad usum intemeratæ pacis conciliaret, quod bonum ex hoc matrimonio natum nostra vidit ætas admirabiliter impletum.* Enimvero placere sibi conjugium illud, *Ordines* regni non ficte Regi significarunt. De suis tamen institutis nihil idcirco minuendum putarunt. Quin *Arausionensis* Princeps ab eo tempore cœpit illis esse suspectus, eo quod Regiarum partium hujus adfinitatis respectu fautorem illum fore non dubitarent: Et cum ita deinceps usu veniret, illi ut *Ordines* populumque sibi addictum haberent operam dederunt: Ac ita pars utraque de *Belgis fœderatis* auxilia quæsiverunt atque adepti sunt.

5. Captivi interim duo *Archiepiscopus* & *Pro-Rex* in Turri *Londinensi* detinebantur. Circa finem *Januarii* 1641. Lecta est accusatio adversus *Straffordium* in Domo *Communium* sive plebejorum, in qua præcipua vis & maximus erat numerus. Accusatio novem *articulis generalibus*, qui singuli in plures subdivisiones extensi erant, constabat, quorum hæc fere summa fuit. Quod in *Hiberniæ Regno & Angliâ Boreali, cui etiam præfuerat, arbitrariam potestatem, illudens Legibus exercuisset; in argumentum adferebatur, quod cuidam*

dam ad Leges provocanti responderat, majorem esse vim in minimo Regis digito quam in omni corpore Legum. *Quod pecunias Regias non redditis rationibus, recepisset; quod Pontificiam Religionem in Hiberniâ promovisset. Quod in hoc fuisset, ut discordias inter Anglos & Scotos seminaret; Imprimis, ut Parlamentorum jura subverteret idque Regi auctorem fuisse; quâ fine dixisse eum aliquando Regi in Consilio*; Majestas tua habet exercitum in *Hibernia*, quem huic regno subigendo adhibere possit. *Denique, non fuisse pestilentiorem in Angliâ virum, post Conquæstum*; id est, *tempus* Wilhelmi I. Normandiæ Ducis, qui regnum occupavit, erat προζφώνησις Advocati Fisci. Comes se reum perduellionis esse negans adversus illa defensionem suam in domo Procerum legit *sub finem mensis Februarii*. Sed *mense sequenti* judicium solenne celebratum est in *Aulâ Westmonasteriensi*, utriusque Domus membris, *Scotorum* Legatis multâque nobilitate præsentibus; Etiam ipso Rege seorsim in clausâ pergulâ adsistente & auscultante à die 22. *Martii*, paucis intermissis diebus, *ad* XVI. *Aprilis* Judicio peracto. Cum non satis liqueret, dilata est sententia. Sed die XXI. Aprilis lecta est in Inferiore domo, *Billa* quam vocant *Attinctura*, id est, *Convictionis*, in quam facta liquidius probata, quæ ad perduellionem sufficerent, erant relata, reusque *perduellionis* declaratus est *Straffordius*, eaque sententia *die* XXIX. *ejusdem mensis* à Proceribus Rege reoque coram, approbata est; quemadmodum po-

ſtea quoque Judices in eandem partem ſuffragia ſua contulerunt.

6. Rex autem, ſic ut *Straffordium* haud innocentem quorundam maleficiorum fateretur, ita *perduellionis* pœnam nullo modo eſſe meritum ſtatuebat. Ideoque *billæ* quam vocant capitali ut ſubſcriberet, à ſe impetrare non poterat, imo *non ſubſcripturum jurejurando adfirmaverat*, etſi à *Parlamento* & plebe libellis, tumultibus ac minis violentiſſime urgeretur. Planè Rex & Regina non ſecus ac filium amabant hunc Comitem, invidendis ſane corporis animique dotibus ornatum illorumque ſervitio mirifice deditum. Quare ad eum liberandum, quando auctoritas eorum non ſufficiebat, facile conſenſerunt, ut à quibuſdam ſuarum partium ſtudioſis *conſpiratio quædam iniretur*, cujus hæc erat ratio. *Legatus Portugalliæ Regis, quem Rex Carolus, ut alienum ſe ab Hiſpanis oſtenderet, primo acceſſu admiſerat (quod Hiſpani* poſtea par pari compenſarunt) *militem Londini conſcribebat; Johannes Suclinus aliquot ſtrenuos homines, quaſi Luſitano militaturos conduxerat eoſque Rex Arcis Londinenſis præfecto* Balfourio, ut in Arcem ſive turrim admitteret, præceperat. Hi *Straffordium* deinde liberarent iſque ſe in *Hiberniam* contuliſſet, ut exercitum è Pontificiis pridē collectum, quem Rex ad petitionem *Parlamenti* factam die 28. *Aprilis* exauctorari non permiſerat, *ad octo millia peditum equitumque in Angliam* deduceret. Præterea ſpes erat, exercitum *Anglicanum Scotis* oppoſitum,

qui

qui necdum erat dimiſſus, ad partes Regias poſſe traduci, operam dantibus *Henrico Percio* Northumbriæ Comitis fratre, *Goringio*, *Wilmotho*, *Pollardo*, *Asburnhamo* Tribunis militum aliiſque. Sed primo *Balfourius* milites ſibi delegatos in *Turrim* nullo modo admittere voluit, ac inde reliquâ conjuratione detecta, *Percius & Jerminus* equitum Reginæ præfectus, qui conſors fuerat, in *Galliam* aufugerunt: Unde *Percius* ſcriptis ad fratrem literis, ordinem negotii & quid Rex eâ de re ſecum locutus eſſet, copioſe perſcripſit. Quæ literæ in manus *Parlamenti* delatæ palam in inferiore domo prælectæ animos in Regem mirè exacerbarunt: in reliquos proditionis reos inquiſitio facta eſt. Quâ re populique minis & tumultibus *Rex* coartatus, adhibitis ad conſcientiæ ſuæ conſulendum & *jurisjurandi religionem* detergendam *Judicibus Regni & Epiſcopis*, poſtremo, rogante conſenſum Regium & remittente ſuum jus ipſo *Straffordio*, ſententiæ invitus & majoris mali præſagus ſubſcripſit, capite Proregi amputato *die* x. *Maij*. 1641. Orationes ejus, de rerum humanarum ſuâque potiſſimum vanitate copioſæ, de criminibus parum diſertæ, in hominum manibus verſantur.

7. Rex inops & fluctuans conſilii, privatus iis, quibus antea fretus erat, auctoribus, nec ſuis adhuc ratiociniis uti vel fidere ſolitus, etſi nec judicio recto nec ingenio deſtitueretur, aliud poſtulatum ſibi paſſus eſt injungi ſuâque ſubſcriptione firmavit eadem die, quâ *Straffor-*

dium suum sacrificaverat; Hoc erat, se *præsens Parlamentum non esse dissoluturum, nisi cum utriusque Domus consensu.* Quo reverâ *Parlamentum* in partem, vel potius, ut tum res erat, in *omne jus Imperii* admittebat: Nihil ejusmodi ab ullo Rege concessum fuerat nec *salva Regia potestate* concedi poterat. Hæc est causa *longi* quod dicitur, vel ut *Regina* loquebatur, *æterni Parlamenti*, cujus reliquiæ durarunt ad *annum usque* LX *hujus seculi.* Prætextus erat, quod absque tali continuatione fides publica labaret; neque exercitus, quibus pecunia, Subsidiis comprehensa, erat repræsentanda, dimittere possent. Eodem tempore *mater Reginæ* post triennii moram in Angliâ, *Parlamento* invisa, gravis Regi, discessit & cum *Belgæ* fœderati illius receptionem ac cohabitationem excusarent, *Coloniam* annis magis quam aureis onusta se recepit, ubi decessit ex hac molestissimâ vitâ, ut in *Gallicis* commemoratum est.

8. Dum interea *Parlamentum* de pœnâ judicum, à quibus navale tributum, quod illegitimum odiosissimis verbis declararunt, approbatum fuerat, ageret, Rex periculum facere statuit, an per absentiam suam aliquid mutationis in affectu populi & consiliorum *Parlamenti* tenore consequi posset. Simul, an in *Scotiâ* contra prævalentem factionem, aliam *Anglis* æmulam excitare posset. Quidam addunt, ei consilium fuisse coram tentandi exercitum, à se antea collectum nequedum dimissum, an cum adversus *Parlamentum* &

& civitatem *Londinenſem*, ſpe præmiorum è victoria facili & planâ ſibi conciliare poſſet. Quicquid in cauſa fuerit, prætextus eundi in regnum, ubi Rex inde ab infantiâ non fuerat, adeo turbatum, deeſſe non poterant, eoque non ex voto Angliæ *Ordinum*, profectus eſt, *Auguſto menſe*, die x. 1641. celerem pollicitus reditum, prius ſignare paratus omnia, quemadmodum fecit, quæ vellent; delegatis etiam aliquot Nobilibus, qui ſe abſente pro Rege ſubſcriberent; Denique & *Eſſexiæ* Comitem, deſiderantibus ita *Ordinibus*, Ducem militum cis *Trentam* amnem creavit, cum poteſtate conſcribendi armandique plures, ſi res ita poſtularet. In tranſitu Regem vidiſſe & luſtraſſe utrumque exercitum tam *Scoticum* quam *Anglicanum* ſatis conſtat, non æquè an eos in ſuas partes transducere conatus ſit, ut *Scoti* prodiderunt. Habuiſſe id eum quidem in votis libenterque amplexurum fuiſſe occaſionem, ſi data fuiſſet, non eſt dubium; an rem putaverit habere facultatem, ut omnia ſua regnique cimelia, quod ajunt, militibus obtulerit, facti res eſt dubii. In *Scotia* nihil quoque in rem ſuam, partibus obduratis & bene compactis, profectum, inſidiis, ſi quæ fuerint in principes conjuratorum detectis, ut quidem *Scoti* literis ad Ordinum Angliæ Delegatos adfirmarunt; Rege enim digreſſo & ipſi *Ordines* à die VIII Septembris ad XX *Octobris* ſeceſſerant, relictis loco ſuo, *quinquaginta Delegatis*, quod inter cætera, ut novum nec juri conſentaneum inſtitutum à Regiis obſervatum eſt.

9. Quot-

9. Quotquot erant Reformatæ religionis valde ſtudioſi, hac perſuaſione imbuti erant, ſalutem ejus à ſuo adverſus Regem ſtudio pendere, quibus ſe multi Proceres aliique ab honoribus excluſi rerum novarum ſtudio adjungebant. Sed *Pontificii* & *Epiſcopales*, ſicut tum res erat, numero inferiores Regi favebant, etſi tunc in Angliâ parum aut nihil poterant. In *Hiberniâ* vero numerus Pontificiorum prævalens occaſionem dedit ferali cogitationi, ab emiſſariis *Papalibus* ſuggeſta hominibus adhuc multum feritatis antiquæ & barbaricæ retinentibus, quâ *Hiberniam jugo Anglicano liberari & avitæ Religioni vindicari poſſe docebant*; nec modo vindicem *ex Angliâ* fore metuendum, ſed etiam *imputari* poſſe quod deſignaſſent. Conſtituerunt igitur conſilio mire ſecreto, internuntiis & arcani magiſtris ſacerdotibus, *ad diem* XXIII *Octobris* MDCXLI. ut omnes Pontificii in armis eſſent, *Dublinum* & arcem ejus cæteraque totius inſulæ male munita, *ſic enim erant*, loca vi ſubitâ caperent, *Proteſtantes omnes quique cum ipſis arma jungere nollent*, *trucidarent & deinceps Rempub. arbitratu ſuo conſtituerent*. Dublinum juſtus numerus ad arcem poſtridie occupandam confluxerat, quorum unus *Macmahonus* in diverſorio *Dublinenſi* præſumptione tanti ſucceſſus & vino ſecurior ad *Ovenum Conallium*, verba quædam magnæ alicujus indicia mutationis jactaverat. Quæ ille non de nihilo effuſa ſuſpicatus ad Magiſtratus detulit, a quo *Macmahonus* cum ſocio

cio *Magviro* in carcerem conjecti sunt. Quâ re cæteri detectam arbitrati conjurationem & perculsi aufugerunt. Sed nihilosecus postridie quotquot erant in *Hiberniâ* Pontificii armis gerendis idonei, *Protestantes* imparatos & inermes aggressi, *Lanienam*, cui par, ratione loci habitâ, forte non extat in historia seculorum, instituerunt. Verborum compendio rem miserabilem transeamus; *Ducenta utriusque sexus omnisque ætatis millia bimestri spatio quovis genere cruciatuum, multi frigore inediâque interfecti sunt. Reliqui fere omnes Protestantium nominis, fuga vitæ suæ consulentes bonis suis evoluti spoliatique & nudi Dublinum confugerunt*, calamitates suas, direptiones, incendia, vastationes, stupra, cædes, frigora, famem & quicquid efferata rabies hominum barbarorum edere potest malorum, referentes. *Dublinenses* armis inter idoneos ex armamentario distributis, suæ quidem incolumitati consuluerunt; tot millia miserorum alimentis rebusque necessariis sublevare non poterant. Scripserunt incontinenti ad *Regem* in *Scotiam*, ad *Comitem Leicestrium* Prorege destinatum in *Angliam*: sed *Ovenum Conallium Dublini* auctorem conservati, ad *Parlamentum* misere, cui prœmii loco *quingentas* dedere *libras* cum *annuis ducentis*. In *Hiberniam* vero ad præsens miserorum levamentum *viginti millia librarum*, dum major pecuniæ vis colligeretur, miserunt, has quidem ad inopibus subveniendum, sed reliquum maxime ad *Dublinum*, imo ad Angliam ipsam, in quâ

quâ non leviter ad tantæ cladis famam trepidabatur, conſervandam.

10. Facile enim cogitare licet, quantopere hæc res metum à Pontificiis odiumque in eosdem intenderit, etiam vero invidiam in Regem, ortam inde, quod *Hiberni* laniſtæ ſe non modo palam *Reginæ milites* appellabant, ſed etiam pro *Regis prærogativâ* ſe arma cepiſſe, quin etiam, *diplomate è Scotia miſſo, ſe juſſos eſſe à Rege arma capere, caſtella & arces urbeſque Proteſtantium in poteſtatem* redigere prædicabant. Regem autem multi conatus violenti, ſeu veri ſive ficti ipſaque neceſſitas cauſam ſuam quovis modo tuendi hactenus ſuſpectum reddebant, *non quod ipſo conſcio*, vel jubente, *tam nefaria inſtituta eſſet laniena*; ſed quod homines illos qualeſcunque à partium ſuarum ſtudio alienandos non putaret. Hinc antea conſentire noluiſſe petenti *Parlamenti*, ut exercitum *Hibernicum* Pontificiis fere conſtantem, juxta *Scoticum* & *Anglicum* diſſolveretur. Item, quod deinde rogatus, ut poſt Lanienam commiſſam eos hoſtes declararet, aliquandiu cunctatus, cum poſt menſtruam moram in id conſenſiſſet, nonniſi *quadraginta Edicti* exempla excudi juſſiſſet, adeo ut copiam ejus vix haberet quisquam. Cujuſmodi adverſus immane genus hominum lenitatem, qui alioquin à Regis cauſa non erant alieni, ignoſcere ei vix poterant. Edictum exiit *Kalendis Januariis* 1642. tertio menſe poſt inchoatam Lanienam. Cæterum, *Dublinenſes* accurrentibus

ex

ex viciniâ Nobilibus, inter quos *Ormondius Comes* in solo Hiberniæ admodum locuples, cum equitibus centum, & initio *Decembris* Simon *Harcurtus* ex Angliâ missus cum legione probe instructâ, non modo civitati & Arci, sed etiam vicinis aliquot oppidis, quæ teneri poterant, idoneâ manu commeatuque bellico prospexerunt.

CAP. IV.

A Lanienâ Hibernicâ usque ad initium belli civilis in Anglia, in exitu anni 1641 *& anno* 1642.

QUam nova & insolens *Carolo Regi* prima *Scotorum* contumacia acciderat, postquam externo civium obsequio, suorum adulationibus & *præsumptione potestatis absolutæ*, per tot annos sine *Parlamentis* in pace transactos, occupatus & impletus erat; tam postea, cum *Anglorum Ordines Scotis tantæ consensionis impetu se adjungerent*, ab illis pariter opprimi & ad quævis postulata compelli se passus fuerat: Sperans haud dubie futurum, ut illa popularis conspiratio paulatim evanesceret & ipse deinde *Parlamento* ad sua digresso, pristinam auctoritatem recuperaret. Sed cum videret, sibi rem esse cum hominibus altiora meditantibus & qui *singulas adstipulationes suas pro incitamentis novarum petitionum haberent*, quas eo violentius, *quo molliorem ipsum viderent*, urgebant, aliam sibi ratio-

nem inęundam cenſuit; Atque ut animum ſuum colligeret, *peregrinationem Scoticam* ſuſcepit. In *Scotia* equidem bene exceptus & honorificè habitus, in ſummâ tamen factionum nihil, ut dictum, mutare potuit. At ſub exitum anni *Londinum* reverſus, etſi atroces ex *Hibernia* nuntii ad ipſius quoque præjudicium pertinerent, incredibile tamen eſt, *quanto civium gaudio & gratulatione ſit exceptus*; plebe Regi adſuetâ & ex Aula lucrum capiente, per longiorem ejus abſentiam ad deſiderium & reverentiam *Majeſtatis Regiæ*, ut videbatur, inflammatâ. Civitas univerſa ad occurſum ejus effuſa omniumque ætatum multitudo per vias, *tanquam ad triumphi ſpectaculum* diſpoſita, ingredienti omnia fauſta precabatur. Civium præcipui per collegia ſua diſtincti, feſto cultu ſplendidiſque Veſtibus & armis, *quomodo alias nunquam*, currum ejus ſtipantes per totam urbem uſque ad *Palatium Weſtmonaſterienſe* eum ſolenniter deduxerunt. Quâ re ſummopere delectatus *Rex* & in ſpem *conciliandi ſibi plebem adductus*, ad *Hamptonis* aulam urbi vicinam digresſus, ibi civium præcipuos conviviis excepit, quoſdam equeſtri dignitate ornavit, omnesque illuc adfluęntes omni genere comitatis & liberalitatis excepit. Ut jam publice hæc opinio incederet, Cives *Londinenſes*, cujus motum reliquæ fere plebes ſeguuntur, tricarum *Parlamenti* pertæſum Regiis partibus acceſſuram; *Quomodo ſane à tali initio* Wiggiorum *factionem*, Carolo

rolo II. *adversam nostro tempore in ruinam incubuisse vidimus.* At sub Patre ejus animorum dispositio nondum ad tam solidam mutationem maturuerat.

2. Ordinum factio equidem non leviter hac publicâ in Regem affectus demonstratione perculsa nihil omisit, quod ad excitandas in populo priores & sinistras opiniones suspicionesque pertineret; cùm sermonibus per suos ardenter habitis & propagatis, tum libello publice edito, in quo verbis odiosissimis exagitabant omnia Regiminis sub *Carolo* incommoda, malè consulta, detrimenta & adflictiones publicas, in *Hibernicis* miseriis desinentes. Cum autem nihil *ad invidiam Regi faciendam* omitterent, verbis tamen ejus *personam ita excusabant* & in malos ejus consiliarios culpam rejiciebant, ut aculeos in animis legentium adversus ipsum Regem acriores relinquerent, quibus etiam effectum, ut ingens numerus è primariis civibus, oblato Ordinibus libello, *securos eos de populi voluntate esse juberet. Pergerent modo in Republ. & libertate regni adserendâ, se planè cum ipsis pro salute publicâ victuros & morituros.* Adfirmabant etiam Ordines, insidias sibi à *malignantibus*, ita *Regios* vocabant, fieri; nec adeo in tuto se agere, *nisi Satellitium præsidiarium, quod contra vim majorem sufficeret, sibi præsto esset*; cujus proinde facultatem à *Rege* suppliciter petebant, ejusque præfecturam *Comiti Essexiæ* destinaverant. De *Turri* etiam *Londinensi* rogabant, *ut ejus custo-*

S *dians*

diam ne Rex alii committeret, quam ab ipsis probato & commendato. Interim incedebant rumores, id agi à Rege, ne *Hiberniæ succurreretur.* Inde vero longè atrociora vulgabantur, *Hybernos* rebelles palam jactare, *Angliam* brevi in iisdem angustiis, quibus *Hyberni Protestantes* arctati erant, futuram, Rege *Parlamentum* deserturo bellumque iis illaturo; seque tum rebus in Hiberniâ peractis, in *Angliam* trajecturos operamque Regi adversus *Parlamentum* navaturos.

3. His rebus & imprimis insolentia petitionum de *præsidio militari & de Turre*, quas cum indignatione rejecerat, *Rex* supra modum offensus, nec amplius quicquam, nisi Regiæ potestatis abolitionem ab *Ordinibus* expectans, vim & potestatem Regiam statuit experiri. Comperto igitur, quinque vel sex in *Parlamento* esse præcipuos novorum consiliorum auctores, per *Atturnatum* suum, quem vocant; is erat *Eduardus Herbertus* ipse domus inferioris Adsessor; proditionis accusabat Baronem *Mandevillium* è Proceribus, *Denzillum Hollesium*, *Arturum Hasselriggum*, *Johannem Pym*, *Johannem Hambdenum & Wilhelmum Strodum*, domus inferioris membra, quos sibi ab *Ordinibus* dedi postulabat: Sed cum deditio tanquam juribus *Ordinum* contraria negaretur, Rex postridie ab *Hamptonis* aulâ, armatâ cohorte stipatus (de numero armatorum non conveniunt, dum alii *quingentos*, alii *ducentos*, quidam *centum* edunt)

venit

venit *West-Monasterium, die* 4. *Januarii* 1642. diætamque plebejæ domus violenter ingressus, & sedem oratoris occupans vultu ac voce turbatis, pauca de studio suo erga bonum publicum & transversariis sibi objectis prolocutus, declarabat, *se illos quinque viros in judicium legitimum postulare:* Protestatus, se nullâ re *Parlamenti* jura violaturum nec ulli Regum in illo tutando ornandoque concessurum: Quæ testatio in illo actu frigidior Sardonico risu excepta fuit. Sed rei postulati pridiana accusatione territi & ab ipsa Domo admoniti non aderant in Consessu. Ideoque Rex cum satellitibus, re infecta, digressus misit, qui hospitia & arcas illorum obsignarent. Sequenti autem die per *Edictum* illos sex Viros, juncto *Mandevillio*, perduellionis reos & ubicunque essent, apprehendendos mandavit; Ordines Edicto contrario *Regis armatum ad Ordines ingressum & quod actum erat, summam* Parlamenti *jurium violationem, scandalum Regi & regimini illius illatum, facinus seditiosum, aperte ad subversionem pacis tendens appellabant. Denique, sex illis Viris maximam illatam esse injuriam, contra quos nulla legitima accusatio prolata fuisset. Faciendum, ut Rex auctorum illius consilii nomina detegat, ut in illos animadverti possit, nullam alioqui satisfactionis publicæ rationem futuram.* Herbertum verò Procuratorem Regis collegam suum nihil fateri volentem in custodiam dederunt.

4. Interim postridie quam in *Domo Communium* fuerat, ne in tanta rerum perturbatione

delitescere videretur, nec nihil de populi favore sperans in urbem rediit; sed currum suum undique cinctum vidit civibus, humillime sed *blanditiis contumaciam præferentibus* ipsum orantibus, ut cum *Parlamento* suo reconciliaretur, ejusque privilegia ne violaret, ut *Hiberniæ* subveniret, ut malos consultores amitteret; aliisque precibus invidiosis illum obtundebant easdemque res *libello supplice* postridie comprehensas vehementius urgebant; Addito, ne gravaretur, militem præsidiarium *Parlamento* tam manifesto periclitanti concedere. Neque destiterunt hisce de rebus, cum apud diætas *Parlamenti*; tum apud Regiam magnis cœtibus ad multa *millia* plebis infimæ, tyronum imprimis artium mechanicarum, excurrentibus obsecrare, obtestari, minari, ni rogata facerent *Rex*, *Proceres*, *Episcopi*, plebeji, quorum etiam plures hæc non probabant, fore, ut male perirent. Quæ coitiones & coactiones tam crebræ tam violentæ usu veniebant, ut Rex in aula suâ minime tutum se ratus, subito *Hamptoncourtium* se proripuerit. Ubi cum supellectilia non essent parata, cum uxore liberisque suis in uno eodemque cubili pernoctavit, octavo die post *introitum ejus in domum plebejam.* Postridie *Londinenses* privatim, at magno numero scaphas ingressi armatas, tormentis etiam bellicis instructas, *West-Monasterium* navigantes, quinque vel sex illos à Rege proscriptos in Consessum *Parlamenti* reduxerunt, qui deinceps ibi sedes suas reti-

nuc-

nuerunt; Acta res inter acclamationes immensas & promissa, de *Parlamento* non deserendo infinita.

5. Fiebant adhuc tamen communicationes inter Regem & Ordines, de *Hibernia* imprimis, in quam Rex se cum exercitu proficisci paratum ostendebat, quod ab Ordinibus nihil magis abhorrentibus, magno cum honore verborum, excusatum. Hiberniam igitur Rex nullo modo negligendam censebat, verum ita, ne Ordines *in jus militiæ sibi soli competens* invaderent, quod illi primo obliquè tentare, mox etiam apertè ab illo petere sustinuerunt, non modo jam *præsidium pro se & Custodiam Turris*, sed etiam Regis adsensum, *ne ullos militiæ Duces quam à se commendatos* crearet; quod ut *jugulum Regiæ Majestatis petens* à Rege abscisse negatum, ab illis adsiduo & importunis petitionibus urgebatur.

6. Cum igitur Rex finem nullum civilis contentionis prævideret, *seque dum res ita consisterent, sine armis regno exutum iri*, animadverteret, efficacioribus remediis, *Parlamentum* aggredi statuit, adhuc tamen arte potius quam Marte. Operam dare statuit, siquidem *dissolvendi potestatem* abdicaverat, dissipando, si posset, aut saltem ita diminuendo *Parlamento*, ut multum auctoritatis, quam numero suo fulciret, amissurum videretur. Sed prima quidem numeri diminutio præter ejus sententiam accidit; Extorserunt enim Ordines ei subscriptionem *de tollen-*

dis Episcoporum suffragiis in Ordinum Conventu, quæ quidem jam pridem reverâ nullius usus fuerant; postquam *duodecim Episcopi*, quibus à plebe quotidiani insultus & minæ intentabantur, è *Parlamento* discesserant, edita protestatione, *se non sponte sed coactos abesse, neque se pro Actis Parlamenti habituros, quod absente Episcoporum Ordine statueretur.* Quam protestationem utraque domus tam ægrè tulit, ut omnes XII. *Episcopos Arci Londinensi*, tamquam reos perduellionis, includi juberent. Agebat enim plane pro regio imperio *Parlamentum*. Sed plus nocuit *Ordinum* Consessui, quod Rex omnes *Coronæ* ministros, qui multi in utrâque domo, *ad suum servitium* per literas evocavit, quibus plerique paruerunt; Fuere qui contemnerent, quos inter Comes *Essexiæ*, Domus Regiæ *Camerarius* & Comes *Hollandiæ* à *Cubiculo Regis*, qui proinde ob officiis suis Aulicis remoti sunt. Verum longe major defectio membrorum *Parlamenti* facta est inde sub finem *Aprilis* per integrum *mensem Majum* 1642. Cum enim palam fieret, partes ad Arma venturas & Procerum multi, cogitationes *Presbyterianorum* & *Independentium* spectare scirent ad *dissolutionem Regiæ potestatis*, quæ & ipsorum Ordinem involveret, Regi se adjungere maluerunt; quidam etiam videntes, se apud *Ordinum factiosissimos non* magni fieri, pluresque alii è subversione Regiæ potestatis sibi familiisque suis detrimenti plus quam è diversa Reipubl. formâ commodi prospicientes; deni-

denique multi, hæc popularia non duratura credentes; *ingenti agmine tam Proceres quam plebeji*, Parlamento derelicto, *ad Regem se contulerunt:* Interque eos *Eduardus Litletonus* Magni Sigilli Custos antea fidus *Parlamento* visus, qui *Sigillis ad Regem* allatis, multum ejus Edictis & jussionibus auctoritatis circumdedit, quâ proinde *Parlamentarii*, nihil publici characteris præferentes, notabiliter erant inferiores, etsi non diu postea novum & regium Angliæ sigillum, quo audacter usi sunt, fieri curaverunt. *Littletoni* hæc fuit excusatio, quod Regi Sigillum sibi primum tradenti jurejurando promisisset, *fore, ut cuilibet à Rege misso illud sine cunctatione redderet*; quod evenerat in primo *hujus Parlamenti* Principio. Unde colligebant, Regi jam tum fuisse consilium secedendi. Alius æquior nihil quam *prudentiam ejus*, *quid evenire posset* considerantis, inde merito colligeret.

7. Jam antea, mense *Februario*, Reginam suam cum filia *Maria Principi Arausionensi* desponsatâ Rex *Dovernium* deduxerat, Unde in *Hollandiam* trajecerunt: Reginâ secum ferente cimelia Coronæ, hoc consilio, ut illis pignori datis quæsitàque pecuniâ res ad belli usum necessarias emeret atque in *Angliam* transmitteret; quemadmodum factum; etsi *Parlamentum* non cessaret, omnes publicè monere, ne pecunias illorum fide cimeliorum crederent, *esse illa Regni non Regis*. Indicabantur à Reginâ valere *aliquot millionibus*; Sed cum Trapezitæ *Roterodamenses*

dimidium millionem *florenorum Hollandicorum* sub illorum pignore prorogassent, accedente sponsione Quæstoris *Orangii* Principis, *si minus valerent*, postea longe minoris pretii reperta sunt, non sine damno Trapezitarum & vexatione multa Sponsoris, qui in id quod intererat, tenebatur. Cæterum, Rex abeunte Regina, cum filiis *Carolo* & *Jacobo* ad *Theobaldi villam*, ac inde *Novum Forum* profectus est, negatis abscisse precibus *Parlamenti*, *de Militiâ ipsis permittenda*; *Item, ut propius Londino commoraretur, neve Principem filium abduceret*, tanquam rebus ad ipsorum arbitrium nullo modo pertinentibus. Sequutus est igitur alius *Parlamenti* libellus virulentissimus à *Comite Pembrochiæ* & *Hollandiæ* præcipuisque plebejis audacter ipsi apud *Novum forum* oblatus; In quo rursus *mala & incommoda regni ipsius* acerbissimè demonstrabant, *impium in Scotos bellum*, *cruentos in Hiberniâ rebelles concitatos vel non coërcitos*; *Exercitus Anglorum adversus Parlamentum corrumpi tentatos: Invasam domum Communium*, aliaque vera, falsa, suspecta odiosissime per modum libelli famosi exagitabant, *non secus ac si jam meditarentur sententiam.* Responsio Regis fuit acris & gravis, dein scripto deducta latius & publicata.

8. Indè Rex *Eboracum* proficiscitur, *Hullæ* portui, recipiendis ex *Hollandiâ* auxiliis opportuno, & ubi erat armamentarium, imminens; *Ordines*, qui adhuc reliqui erant, (*Cadaver*, sed vivax,

ab

ab hoc tempore cœtus eorum à Regiis dictus est) ex omnibus pertinacissimi & plebe *Londinoque* civitate, ubi opes erant, freti, has positiones novo decreto complexi sunt; 1. *Absentiam Regis tam procul à Parlamento suo esse destructionem conatuum pro Hiberniâ liberandâ.* 2. *Qui hanc absentiam suaderent, eos esse hostes pacis Angliæ & fautores rebellionis Hibernicæ.* 3. *Quandocunque Domus utraque Parlamenti legitimè convocati jus pronuntiarent legemque regni declararent, illud decretum in dubium vocare vel impugnare, aut imperare, ne obedientia illi præstetur, hanc esse privilegiorum Parlamenti violationem summam.* Hoc scilicet ad imperium sibi seorsim *sine Rege*, præstruendum. Nihilo segnius illi *Johannem Hothamum* miserunt *Hullam*, ut oppidum illud pro se occuparet idque custodiret, cum Rex ejus Præfecturam *Comiti de Novo Castello* demandasset, *Hothamus* hunc prævenit eumque exclusit. Quâ re vehementer Rex perturbatus, statuit experiri, quid *Majestas sine viribus adhuc posset in civem* suum: Die XXIII, *Aprilis* magnâ nobilium caterva stipatus, aëre pluvio, se contulit *Hullam* ac introitum postulavit. *Hothamus* haud se *Anglum* esse oblitus, *flexis genubus* è muro humiliter respondit, ne *mandare vellet id, in quo sine fidei violatione morem ei gerere non posset.* Ac ita madidus & pudoris plenus Rex inde se recepit *Eboracum*, ubi Edicto *Hothamum* perduellem declaravit, *à Parlamento* defensum; quâ de re multi libelli ex

intimo jure Anglicano hausti, *rectene atque ordine Hothamus perduellionis sine judicio condemnatus esset*, an secus, inter Regios & *Londinenses* commutati sunt.

9. Rex interim nihil minus adhuc quam bellum adversus *Ordines* suos, *præsidium* duntaxat *adversus eorum injurias* & vim se parare videri volebat, ac ea ratione non tantum literis evocabat omnes, in quos habebat imperium, sed etiam per oppida pagosque viciniæ iter faciens *comiter appellando cunctos*, *de animo suo erga Patriam*, *de violentiâ factionis Londinensis, quæ novum in reliquam Angliam imperium moliretur, de sua necessitate* copiose satis & facunde disserebat, multosque eâ ratione sibi adjungebat, nec spernendo jam militum numero *Eboraci* visebatur. Quâ re *Londinenses* intellectâ, post nuntios & libellos ultro citróque missos denuò hasce positiones in decretum converterunt; *Apparere satis, Regem à malis consiliariis seductum parare bellum adversus Ordines regni, quibus nihil sit propositum quam incolumitas regni & Regis.* II. *Quandocunque Rex ad bellum Ordinibus inferendum eruperit, eum violare jusjurandum fidemque populo non præstare, quod ad dissolutionem Regiminis ejus spectet.* III. *Quicunque Regi in tali bello serviunt aut opitulantur, perduelles secundum fundamentales Regni leges habendos*, citatis in eam rem duobus Statutis de *Anno* XI *Richardi II.* & de *anno* XI *Henrici IV.* Eodem tempore novem Proceres ex iis, qui ad Regem secesserant, *juri-*

juribus Parlamenti excidisse & ipsos in carcerem conjiciendos declararunt. Neque tamen decretis faciendis contenti rem & vim neglexerunt; Terrestribus copiis per singulos Comitatus dispositis iisque fidis hominibus præpositis; Classe quoque sibi addictâ per Comitem *Varvicensem*, *Amiralem* creatum, qui *Penningtonum* à Rege missum, cui jam bona pars novarchorum se addixerat, singulari industriâ exclusit omnesque navium ductores, qui pro *Penningtono* stabant, dimisit, plebe nauticâ *Londinensibus* favente. Magis illustrata sunt hæc auspicia captivitate navis magnæ, cui *Leo* nomen, quæ à Regina missa ex *Hollandiâ* Regi arma commeatusque bellicos advehebat.

CAP. V.

De initiis belli civilis inter Regem & Parlamentum anno 1642.

NOndum erat bellum; sed Rex quasi præsidii sui causâ undique armatos colligebat; Ordinesque se non minus instruebant, quod quidem Rex faciendi jus habebat indubitatum. Ordines prioribus decretis eandem facultatem sibi circumdederant; cum alioqui jus belli à Parlamento nunquam fuisset usurpatum; Sed de jure legibusque, ad vim & arma progressis frustra quæreretur. *Parlamentũ* die *novo* Junii MDCXLII. palam decrevit, *Arma pro defensione libertatis esse capienda*, protestantes in Edicto, *se arma capere*

ad

ad propagandam Religionem Protestantium, ad defendendam Regis personam, dignitatem & auctoritatem; item *pro legibus, pro libertate populi Anglicani, pro pace Regni & privilegiis Parlamenti. Hortantur omnes bonos cives, ut ad promovendam hanc pietatis causam, pecunias libenter & liberaliter conferant, aut arma, viros, quibus esset facultas*, vel *aurea & argentea vasa, ut inde nummi cuderentur.* REX eodem tempore pecuniis ex *Hollandia* & ex collatione suorum auctus, *Commissiones* suas ad *triandum* & *arraiandum*, ut ex vetere Gentis instituto loquebantur, per omne regnum distribuit; cujus modi armorum indictiones, nonnisi in ultimâ necessitate contra subitas imprimis Exterorum invasiones usurpari solebant. Notabile fuit, quod Rex in *Edictis* suis, ijsdem plane verbis, quibus *Londinenses* usi jam fuerant, testabatur, se *arma capere ad tuendam Religionem Protestantium, ad conservandam Regiam Majestatem & personam pacemque Regni nec non pro defensione Legum, libertatis populi & privilegiorum Parlamenti.* Et quum Ordines in decretis suis, quibus sibi jus militiæ arrogabant, soliti essent dicere, *coactos se esse præsidium tale comparare contra malignam quorundam hominum factionem, per quam persona Regis periclitaretur.* Rex etiam his verbis, *de maligna hominum factione & de periculo suæ personæ*, utebatur, non omissis iisdem hortamentis, *ut omnes boni cives Equos, arma, viros, pecunias, vel aurea & argentea vasa in commune bonum conferrent.*

2., Vi-

2. Visum fuit uti hoc imitamento verborum, ut vel inde constaret indicio duraturo, *Parlamentum* viam armorum publicè præivisse, nec minus, ut in suâ causa versari salutem regni potiusquàm in illorum machinatione demonstraret; *Quod utcunque tum multis persuaderi non posset, eventus tamen approbavit, Angliæ pacem in Regno, non in libertate consistere.* Sibi vero non simulate, sed intimo cordis affectu *Ecclesiæ regnique salutem esse propositam testabatur.* In hunc finem Rex *Eboraci* in solenni Procerum & Plebejorum Conventu, quem Pro suo *Parlamento* habebat, *invocato Dei omnipotentis nomine* protestabatur, *non id agere se, ut bellum adversus Parlamentum partemve populi concitaret*, sed ut *præsidia pro salute sua & conservanda majestate compararet, nec minus pro Religione Protestantium & libertate populi Anglicani laboraturum.* Quibus à Rege pronuntiatis, quotquot ibi præsentes aderant *suam* quoque *protestationem* in eandem sententiam & *quod Regem ita sanctè vereque sentire crederent* enuntiarunt, eamque literis comprehensam & signatam publici juris fecerunt, populisque per urbes & pagos *tam Rex quàm Proceres* eadem vivis adseverationibus insinuarunt. Non pauci etiam Proceres privatim pecunias, arma, viros & auri argentique vasa Regi amanter obtulerunt. Etsi hac in parte longe majori *Londinenses* abundantiâ gavisi sunt; cum, quod opes ibi longe majores, tum quod fides restituendi; hæc enim utrimque promittebatur; *Parlamento* major, quam

Regi haberetur; denique, persuasio de causâ *Parlamentaria* latiùs & validius, quam de *Regia*, in animis hominum recepta manebat.

3. Primum belli facinus fuit *Hullæ*, quam & utilitatis & vindictæ causâ Rex impense cupiebat, obsidio, cum *tribus peditum millibus & equitibus mille* suscepta. Sed *Hothamus* à *Joh. Meldramo* equite adjutus primo aquarum per cataractas restagnatione locum prope fecit inaccessum. Dein eruptionibus factis obsidentes aliquot damnis, incenso præsertim horreo commeatus bellici pleno, multatos ad obsidionem solvendam compulit. Interim *Londini* in parando exercitu copiisque militaribus toti erant, creato Imperatore Comite *Essexio*, sub protestatione; nihil *aliud sibi esse propositum quam Regis conservationem & Parlamenti populique defensionem*. Sed in Provinciis mira fuit concertatio inter eos qui diplomatibus Regiis ad *triandum & arrayandum*, quique Parlamenti *Edictis* ex adverso parendum putarent; aliis *ad Regem*, aliis *Londinum* properantibus. Urbs etiam ipsa *Londinum* gravibus discordiis laborabat, primariis aliquot civibus Regi studentibus, quos inter ipse *Major urbis Richardus Gurnejus* commissiones ad *arrajandum* in urbe distribuendas curaverat: Sed *Parlamentum* in urbe prævalens ipsum *Majorem* Turri *Londinensi* clausum, mox accusatum, *tam præsenti quam futuris dignitatibus excidisse, & in custodiâ*, dum *Parlamento* visum foret, *habendum* judicavit. Interea non cessabant *Edicta*, Rege

Comi-

Comitem *Essexiæ* cum omnibus ei adhærentibus declarante perduelles, quod *Parlamentum* sibi toti applicabat. Ideoque repetitionem novis emblematis variatam & libello publicatam, de veteribus *Caroli* erroribus & de novis in gratiam *Hibernorum* rebellium motibus, vera, vel verisimilia promiscue objectabant. Alimento enim illis ad plebem sibi conciliandam opus erat, quam fictis non minus quam veris capi, jam olim & pridem abunde compertum erat. Plebem facile tenuerunt, maximam partem *Independentium & Presbyterianorum* opinionibus inbutam Regiosque pro hostibus Ecclesiæ & veræ pietatis habentem. Hinc factum, ut cum *Londinenses* jam firmum haberent exercitum, Rex ab *Hullæ* obsidione repulsus & prima belli adversa expertus, cum Regium vexillum *Nottingamiæ* erexisset, exiguum vel prope nullum haberet concursum, adeò ut à *Parlamentariis*, si occasione uti scivissent, opprimi potuerit. Quæ res eum movit, ut *Legatos* de pace *Londinum* mitteret, quibus *Ordines* non aliam esse pacis viam responderunt, quam si prius *Edicta* sua revocaret & *Vexillum* adversus Ordines erectum deponeret.

3. Aperta demum est scena belli, initio *Septembris*, quando Principes PalatinoBohæmi *Rupertus & Mauritius*, avunculo militaturi in *Angliam* appulerunt. *Rupertus* inde ab initio ferociâ & alacritate in armis, more *Germanico* usus, turmis aliquot equitum præfectus huc illuc prædabundus volitabat, arma equosque pro partibus

tibus rapiens & male mulctans eos, qui se *Parlamento* adjunxerant; ut brevi inter suos militari laude clarescens, à *Parlamento Londinensi* hostis & perduellionis reus sit declaratus, *satis frigide & inutiliter*. Rex calidius, per Comitatus *Derbiæ*, *Leicestriæ* & *Nottingamiæ* iter faciens, incolas quibus fidere non posset, armatos ad se convenire jussit, arma fere abstulit & militandi necessitate remissa pecunias imperavit; blande protestatus, quod utrobique partium in ore fixum erat; *hæc Religionis Protestantium & libertatis civium, Regis personæ Parlamentique juris servandi causa fieri*. Sub quâ tesserâ *cum ingente libello supplice Regi offerendo* Comes *Essexius*, *die* IX. *Septemb*. magno populi cum applausu *Londino* profectus est ad exercitum, qui convenerat *Northamptoniam*, equites peditesque circiter XIV. *millia* continens. Primus hostilis concursus fuit apud *Vigorniam* à Principe *Ruperto* captam, inter ipsum & *Essexii* cohortes ad urbem occupandam missas. Sed adfluente cum universo exercitu *Essexio*, *Rupertus* se *Vigorniâ* propere ad majora Castra recepit, Rege jam *Salopiæ* bonis avibus commorante. Incredibile enim est, quàm subito ibi quantâque copia argenti hominumque sit auctus, ut intra tres Septimanas exercitum ibi colligeret *sex peditum & quatuor equitum millium*; quos adsiduo per Ordinum ductores in *Belgicâ* militiâ veteranos & ab *Arausiensi* Principe dimissos exercitabat sub Ducatu supremo *Comitis Lindesii*.

4. Quin

4. Quin eo fiduciæ pervenit, ut *Salopiâ* digressus *Essexio* apud *Vigorniam* relicto, integræ itinere diei propior esset *Londino* quam *Essexius*. Unde non levis in urbe trepidatio & imploratio auxilii ab *Essexio*, qui cum expedito agmine, sine tormentis majoribus Regem insequutus obvium illum habuit apud *Keingstonum* pagum in Comitatu *Varvicensi*. Pugnatum est acerrime, sinistro *Parlamentariorum* Cornu à dextro Regiorum, cui præerat *Rupertus*, in fugam verso. Quod si ille dextrum hostile cornu à tergo, sicut poterat, aggressus fuisset, actum erat de *Parlamentariis*. Sed impetus eum longius provexit & quod pejus, à prædis agendis suos continere non potuit; dum interim in reliquo exercitu non eâdem partium fortunâ ageretur, Regiis in sinistro cornu à *Guilielmo Balfurio* magno cum impetu perruptis, ut tormenta sua bellica ipsumque Regium vexillum amiserint; quod tamen acerrimo nisu brevi recuperarunt. Nec usquam magis laboratum; Cæsis utrimque fortissimis Viris ipsoque Regiorum Duce *Lindsejo* è vulneribus ibi acceptis cis pauculas horas extincto. Prælio nocte dirempto, cum *utrimque fuga, utrimque signa victoriæ, homines, tormenta, vexilla capta ostentarentur*, utraque pars triumphavit. De numero cæsorum, *ut fere semper usu venit*, diversa & falsa utrimque prædicata. Creditum est de utroque exercitu *quinque fere millia cecidisse*, aliquanto plures è *Regiis* quam ex *Parlamentariis*; qui se *Coventriam* ad exercitum

reparandum, Rex ad *Oxonienses* se contulit; ubi viciniæ, suos in hibernis, at modestius quam fit in Germaniâ, collocavit. Unde *Rupertus* anima Regiarum partium nocte dieque discurrens, oppida vicosque despolians ipsi *Londino* & *Parlamento* formidinem incussit, à quibus rogatus *Essexius* urbi copias suas admovit & ipse *Westmonasterii* laudibus ac præmiis à *Parlamento* exceptus est.

5. Reputantes tamen incerta belli *Ordines* & majorem pro Rege motum studiaque populi, *quam expectaverant*, videntes; veneratione *Regiæ Majestatis*, præter imbutos *Puritanorum* disciplina, adhuc animis Anglorum inradicatâ, simul anxii de *Hiberniâ* & *Angliâ* lacerandâ, Legatos ad Regem *Colobrochiæ* agentem misêre Viros spectatos; quibus Rex benignè & liberalissime respondit, *nihil sibi æque in votis esse, quam ut bellum pace, bonis conditionibus, operiretur.* Sed Regii non ignari *pacem optime gladio parari*, cum nihil de induciis convenisset, *rati* quoque *Londinenses subdolè agere de pace, quo Regis arma retardarent*, Equitatum suum cum bellicis tormentis incontinenti *Londinum* versus movetunt; tam subito, ut *Brainfordiæ* aliquot cohortes tribuni *Hollesii* deprehensas opprimerent, nisi aliæ duæ legiones *Brookii* & *Hambdeni* tribunorum è proximis stativis auxilium tulissent. Acriter admodum pro numero dimicatum est, donec prælium nocte dirimeretur, *neutro*, id est, *utroque* sibi adscribente victoriam. *Essexius Westmona-*

monaſterio ſe *Brainfordiam*; unde ſtrepitus tormentorum in ipſo *Parlamenti* Conſeſſu audiri poterat, celeriter contulerat, eumque ſequuti ſunt *Londino*, quotquot armis pene gerendis erant idonei, tanto jam numero, ut ſi copias ſuas, quæ ſtabant *Kingſtoniæ* trium millium, ibi reliquiſſet, Rex cum ſuis intercludi potuerit. Sed cum *Eſſexius* tantas *Londino* copias non expectans, ad ſe *Kingſtonienſes* evocaſſet, Rex ejus oppidi tranſitu potitus hoſtiliter omnia diripiens *Oxonium* tuto ſe recepit. Ordines & *Londinenſes* hanc Regis actionem è veſtigio poſt benigniſſimam pacis ſpem factam, iniquo ferentes animo novum decretum ex ſententiâ *Londinenſium*, qui præiverant illis, fecerunt, *abſque circuitu, Regem ſummis viribus eſſe perſequendum.*

CAP. VI.

De bello civili Anglicano per annum 1643.

AB eo tempore, majori utrimque ſævitiâ proceſſit bellum multis ſimul in locis, ut jam conceptum incendium, non amplius ſcintillas ſed flammas populatrices per omnes regni partes ejacularetur. Nec amplius illud moderamen, quod veteribus *Anglis*, etiam ſub *rubrâ & alba roſa* pertinaciter militantibus adſcribitur, in agros, tecta, villas, fruges homineſque, citra belli conflictum, non fuiſſe ſævitum, à Regiis ſervatum fuit. Nunc vici & agri paſſim rapinis & incendiis adflicti, nec quicquam è belli malis

alibi cognitis omiſſum. Poſtquam ad æſtivas expeditiones perventum, Regiæ partes aliquandiu proſperis ſucceſſibus effloruerunt. In occidente *Wallerus* dux *Parlamentarius*, felix belli, *Hoptono duce* Regio pene debellato, aliiſque earundem partium ducibus obtritis, ipſe menſe *Julio* incidit in *Wilmotum* & Regias Oxonienſes copias, à quibus ipſe victus & profligatus eſt, ut ſine ullo fere comitatu evaſerit *Londinum*. Cujus victoriæ fructus fuit, omnis ad Regias partes *Occidentis* acceſſio, *Briſtoliâ* ſe Principi *Ruperto*, *Exoniâ Mauritio* dedentibus. Eodem tempore ſimilis partium fortuna fuit in *Borealibus* regni partibus; ubi Baro *Fairfaxius* cum *Thomâ* filio, ſatis feliciter aliquandiu *Parlamenti* partes ſuſtentaverat; ſed tandem numero ſuperati à Comite novi Caſtelli, omnibus fere copiis exuti *Hullam* ſe receperunt ibique obſidionem paſſi ſunt. Ipſe Imperator *Eſſexius*, impar hoſti, exercitum habens inopiâ, transfugiis & morbis exinanitum ceſſit campo, copiarumque reliquias, dum vires inſtaurare poſſet, circa *Londinum* diſtribuit; Quæ civitas pene ſola *Parlamento* reliqua videbatur, Regiis *occidentem* totum, *Valliam*, & *borealem* tractum victricibus armis tenentibus. Ut nihil ipſis expeditius eſſet, quam totis viribus incumbere *Londino*, *capiti rerum*, eamque civitatem factionibus laborantem neque ſatis cum ipſo *Parlamento* unitam vel in poteſtatem redigere vel ad æquas pacis conditiones coarctare, quod ea tem-

tempestate facultatem habere judicabatur. Tam lætis rebus, appulit in *Angliam* Regina è Belgio reversa, non sine pecuniis & rebus ad præsentem usum necessariis, etsi minus, quam Rex vellet, abundantibus.

2. Corrupere fortunam suam Regii *obsidione Glocestriæ*; quam pene solam resistere audentem Rex obiter occupandam putavit. Sed *Massejus* urbis præfectus, tantâ usus est solertia & constantiâ, præter omnium expectationem, contra victorem & florentissimum exercitum, ut *Essexius* enixe à *Londinensibus* adjutus exercitu reparato & plurimum aucto, spatium habuerit, urbem liberandi; Cujus obsidio, *non ut in Belgio fieri solebat*, castra foris munita lineisque circumvallatis conjuncta habebat; verum solutior, ad oppugnandum magis quam ad claudendum instituta, non potuit impedire, quominus *Essexius* post varios conflictus & velitationes maxime equestres *Glocestriam* pervenerit, eique plenissime subvenerit. In regressu non procul *Nuberia* cum Rege universoque exercitu Regio congressus memorabili potitus est victoriâ. Quo tempore Novi *Castelli* Comes irritâ *Hullæ* obsidione suum exercitum & victoriam partam corrumpebat, cum longe utilius victorem exercitum in *Orientales Angliæ Provincias Parlamenti* partibus eximie addictas immittere potuisset. *Oportuit etiam his firmari exemplis, quod alias abunde constat, Victores exercitus nullâ re certius quam obsidionibus atteri vel retardari*, maxime, si

Poliorcetica minus quam *Tactica*, quod acribus in ferro viris usu venit, periti fuerint.

3. Hac victoria *Parlamentarii* rursus animati, ut jam pares se Regiis crederent, partes suas novo fœdere *Scotico* muniverunt, Legatis eâ de re missis *Edimburgum*, qui *Scotos* communione periculi, *si Rex prævaleret*, accedente pecuniâ, *centum millibus librarum Sterlinarum*, adduxerunt, ut promitterent, se cum exercitu XXI. millium utriusque militiæ in *Angliam* venturos, contra Regem pro Parlamento. Plane etiam hoc tempore fœdus illud *Nationale*, quod à Scotis sub nomine *Convenanti* pridem erat contractum, *Angli* pariter cum illis ac interfese iniverunt, non jam subscribendo, sed in omnibus templis & cœtibus prælegendo hominesque verbis conceptis adigendo ad juratam ejus observandi fidem. Quod etiam in Ecclesiis utriusque nationis per Belgicas urbes diffusis ita administratum est, operam inter alios dante *Hugone Petri* Concionatore acerrimo & factiosissimo. Argumentum ejus sex articulis constabat. 1. *De conservanda Religione Reformatâ in suâ puritate secundum verbum Dei & optimè constitutas Ecclesias.* 2. *Destructio Papatus, Prælaturæ sive Regiminis Episcopalis, Superstitionis, Hæresios, Schismatis omnisque profanationis.* 3. *Conservatio jurium Parlamenti & libertatis Regni, juxta defensionem personæ & auctoritatis Regiæ, junctæ cum defensione & conservatione veræ Religionis; addita speciali testatione, neminem jus & magni-*

tudi-

tudinem Majestatis suæ esse diminuturum. 4. *Promissio de persequendis & puniendis auctoribus factionum adversus hoc fœdus contrahendarum, aut qui Reformationem impediissent, adeoque omnes quos vocant Malignantes.* 5. *Conservatio Unionis inter utriusque Nationis Ordines modo contractæ.* 6. *Promissio reciproca fœderatorum de tuendis se invicem, contra omnes & sanctissima fides de non deserendis hujus fœderis partibus, cum detestatione Neutralitatis haud minus quam defectionis.*

4. Rex ad suas partes fœderibus adjuvandas omnia circumspiciebat. In *Belgio* spes quidem novæ adfinitatis blandiebatur: Sed *Arausionensis* Princeps adversam habuit *Ordinum* populique voluntatem, qui fermè iisdem cum *Puritanis* occupati præsumptionibus *Parlamento* longe magis quam Regi studebant. Nihilo plus è *Gallia*, aut aliunde, ubi gaudebant, *Britannos* inter se collisos suis rebus obesse non posse, sperari poterat. In *Hibernia* exercitus erat, tam rebellium quam qui Rebelles coërceret, uterque Regi addictus; sed alter quidem abominandum auxilium, nec alter sine invidiâ adhiberi poterat: Opus enim ad hoc esset induciis vel pace cum rebellibus; Cui Rex & Ordines solenni decreto renuntiaverant *anno* 1642. quo decretum, *Illud bellum adversus Hibernos rebelles processurum, donec à Parlamento declaratum foret, Hiberniam omnino esse reductam. Nec ullam prorsus vel pacem vel armorum cessationem cum rebellibus illis faciendam, sine utriusque Domus Par-*

lamenti consensu. Sed hoc decreto, Rex armis indutis, se non teneri existimans, ita præ se tulit, *Anglos & Protestantes, qui superessent in Hibernia, per inducias videri sublevandos*. Ac ita exercitus *Anglicanus* ex *Hiberniâ*, post rem feliciter & strenuè gestam Regi in auxilium adductus est, malis avibus. Nihil enim pro Rege bonæ rei gerendæ nacti facultatem, brevi post appulsum suum prope *Nantvicum* à *Fairfaxio* deprehensi, fusi & *mille septingenti* ex illis cum præcipuis Ducibus capti sunt.

CAP. VII.

De bello civili rebusque Anglicanis per annum 1644 *& initio* 1645.

Mense *Januario* sequentis anni, per insitatæ altitudinis nives, Scoti *Tweda* flumine trajecto, *Angliæ* fines ingressi sunt, quibus se *novi Castelli* Comes cum suo exercitu opponebat, habens adhuc à tergo *Fairfaxium* Patrem & filium, cum *Meldramo* selectarum cohortium præfectis, ut ibi quidem *Parlamentarii* Scotis juncti viribus essent superiores. Sed in occidente Principes *Rupertus* & *Mauritius* oppositi *Essexio* Comiti, cum præcipuis *Parlamenti* copiis per omnem hujus anni expeditionem, prævaluerunt; *Essexio* non eo successu amplius arma tractante, quo juvenes impigros acerrimosque sustinere posset. In Walliâ quoque & in mediterraneis regionibus *Parlamentarii* inferiores visi sunt.

Re-

Regiis sub *Gerardo* & *Ashlejo* ducibus res egregie administrantibus. Etiam sub *Hoptono* & *Goringio*, quibus oppositus fuit *Manchestrius* Comes adjunctum habens *Olivarium Cromwellium* hominem impigrum & felicem; qui *Parlamenti* membrum juxta *Fairfaxios* cum esset, decreto facto, si qui è *Parlamenti* Adsessoribus operam armis dare vellent, id salvo jure *Parlamentario* facere possent, proprio sumptu turmam equitum conscripserat. Comes etiam *Denbejus* cum agminibus suis circa *Straffordiam* Regiorum conatibus invigilabat.

2. Primæ æstivæ expeditionis inceptum fuit *Obsidio Oxoniensis*, in quâ civitate Rex ipse præsens si includi posset, *compendium belli* futurum videbatur. *Essexius* & *Wallerus* junctis exercitibus id efficere conati præcipuo intentionis scopo, quæ Regis erat inclusio, exciderunt; Illo, cum expeditioribus equitum turmis ex urbe elapso & majori exercitui aggregato; *Wallerus* eum frustra insequebatur & *Essexius* in Occidentem progressus nihil ibi prosperi gessit, Regiis ubique fere potioribus; donec omnis belli moles in *Septentrionem* concederet; postquam *Scoti* minoribus aliquot oppidis & arcibus captis, *novi Castri Comitem* frigoribus magis inopiâque rerum quam pugnando labefactassent; *Salbejam* à Regiis infessam *Thomas Fairfaxius* mirabili audacia & dexteritate ceperat, ac inde se cum *Scotis* conjunxerat, quod etiam factum à Comite *Manchestrio* cum Legato *Cromwelio*; Qui pariter *Eboracum*,

Arcem Regiorum præcipuam obſidione cinxerunt. Quam Rex minimè negligendam ratus Principes *Rupertum* , *Mauritium* & reliquos in Occidente partibuſque regni auſtralibus Duces, rebus omnes bene geſtis animoſos, ad ſolvendam obſidionem excivit; nec aliter, cùm obſidiones ibi caſtris foris non munitis haberentur, quam ſtatario in campis prælio res tranſigi poterat, quod decretum in planitie *Marſtonmorâ* nominata, cum *Novicaſtri Comes* ſe cum ſuis copiis Regio exercitui adjunxiſſet. Nuſquam majoribus adhuc viribus animiſque concurſum neque plus ſanguinis unquam effuſum fuerat. Victoria in principio, ut alias evenerat, ad *Regios inclinare viſa* , quorum ſiniſtrum cornu hoſtile dextrum, cui *Fairfaxius* præerat, impetu validiſſimo & iniquitate locorum perruperat ac oppreſſerat: Sed in altero cornu, Parlamentarii, *Cromwellio* imprimis adnitente, validiſſimas & victrices *Ruperti* Legiones alaſque acerrimo & ſibi conſtante impetu diſſipatas egerunt in fugam, caventeſque ſibi ab errore, quem Regii ad *Kenſtonum* commiſeradt, flexis in gyrum equitibus, una cum *Davide Leſleo* Equitum *Scotorum* præfecto, laborantibus in ſiniſtro cornu amicis opportune ſubvenerunt neque prius deſiſtere, *quam Regios in fugam egiſſent*; ſarcinis eorum belliciſque tormentis in poteſtatem redactis, *Ruperto* in Auſtrales Provincias, ad reparandas copias fugiente. Comes Novi caſtri ab illis partibus intercluſus alium non vidit exitum , quam ut fugâ transmarinâ

pete-

peteret *Germaniam*. Victores *Eboracum*, cui *Thomas Glenhamus* Eques præerat, brevi post victoriam ad deditionem compulerunt, & *Levinius* cum *Scotis* suis opulentâ *Novi Castelli* urbe potiti, multa prædâ locupletati sunt. Ast eodem tempore, Comes *Essexius*, usque per *Occidentem* infelix, multum attenuato exercitu, amissis quoque bellicis tormentis inglorius *Londinum* rediit. Hoc etiam tempore, Regina non habens, ubi decore satis consisteret, sub exitum hujus anni in *Galliam* à marito, jam præsaga malorum imminentium discessit, operam datura, quo auxiliis è *Gallia* missis partibus subveniretur: sed præter epistolas plerumque interceptas, quarum argumento *Parlamentarii* plebis animos in sinistra de Rege opinione fovebant, inde nihil prodiit.

3. Inter hosce belli motus consilia pacis non omnino conticuerunt; è *Belgio* Legatis eâ gratiâ missis, sponte Principis *Arausionensis* potissimum; *Unde Parlamento suspecta fui eorum interpositio.* In principio *hujus anni* primum appulerant *Londinum* honeste recepti à *Parlamento*; inde primo *Oxfordium*, quo Rex jampridem reversus erat, profecti, operam suam pacificatoriam obtulere; quam *Rex animo grato admisit*, prædicens, se non existimare, *Londinenses* idem facturos, qui jam Gallici Legati intercessionem repudiaverant. Inter suos tamen de hoc *Ordinum* interventu melius ominari & pacem sperare visus est, verùm Prædictio Legatis facta melior & veracior depre-

deprehensa est. *Parlamentū* enim *Londinense* ferens indigne, quod Rex in literis suis Concilium *Procerum & Communiū* penes se existens ut *Parlamentū* laudabat, omnem de pace tractatum recusavit, nisi Rex ad *Westmonasteriense Parlamentum* se adjungeret idque pro legitimo agnosceret. Postremo tamen, *Julio* mense rem eo deduxere Legati, ut solenniter in utraque Domo *Westmonasterii* sint auditi, offerentes, *mediationem* quam vocant animosque ad pacem exstimulantes. Cum satis attente auditi atque digressi essent, foribus clausis, unus è *Parlamenti* membris surrexit & fidenti ore palam declaravit, esse nuntium certissimum; *ubi primum Galli cepissent Gravelingam tunc obsessam, triginta militum millia, Gallos & Belgas* trajectum iri in *Angliam*, pro *Rege* contra *Parlamentum* militaturos & *Trompium Thalassiarcham exercitus* cum sua classe transmissurum. Hæc enuntiatio temere & absque idoneo auctore præsumpta, quam prudentium erat virorum contemnere, suffecit ad orationem Legatorum inutilem reddendam, ut *Domus Communium* nullo eam responso dignata sit, Proceres, *se rem consideraturos* responderint, nec amplius quicquam elicere potuerint: Etsi Legati, re intellecta, multis rationibus falsitatem & vanitatem ejus nuntii demonstrassent. Unde non est mirum, si res ab illo Concilio tam præcipite contraque se ipsos verso consilio, ut usu venit postea, sint administratæ. Hoc etiam tempore à legatis observatum est, *Independentes* in *Parlamento* invalescere

lescere numero, solertiâ studioque partium, ut adhuc tamen abesset æmulatio cum *Presbyterianis*; Partibus Regiis adhuc validioribus, quam ut se ipsos obliquis oculis intueri & examinare possent.

4. Interim *Parlamentum* pacis Leges, quæ sibi placerent ad Regem perscripsit, addito, *Legatos eam rem ope consilioque suo, si videretur, adjuvare posse.* de cæterò gratias illis, pro interpositione oblatâ egerunt nec eam recipiendam putarunt d. XVI. Decembris 1644. Discessus eorum tamen retardatus est usque ad *mensem Majum anni sequentis*; quo à Rege honorifice & amanter, à *Parlamento* frigide & pene contemptim dimissi sunt. Inter ipsum tamen Regem & Parlamentum habiti sunt tractatus aliqui de pace apud *Uxbridgam* mense *Februario*, diu antea literis ultro citroque missis præparati. Initia statim turbata sunt concione celebris ministri, in hanc sententiam; *Cum impiis, quo numero Regios habebat, nefas esse pacem fieri; Concordiam inter Regem & Parlamentum fore discordiam inter Deum & Parlamentum.* Summa capita tractatus fuere, I. de *Religione, cum Regimine Ecclesiastico.* II. *De militiâ.* III. *de bello Hibernico.* De primo capite *Parlamentum* postulabat, ut *Episcopatus cum omni Clero subordinato abrogaretur, Ecclesia vero per Consistoria, Classes & Synodos regeretur.* Cum Regii hanc rem latius explicari & disceptari vellent, *Londinenses*, nihil aliud in mandatis se habere, nisi ut dicta urgerent, declarare. De Militia sic *Parlamentarii* ferebant; *omnem militiam*

terre-

terrestrem & maritimam, cum Arcibus locisque munitis omnibus in suam tradi potestatem. Rogati ad tempus, an in perpetuum eam facultatem peterent, nihil aliud, quam ut simpliciter ita peterent, sibi mandatum, responderunt: Addito tamen; ut *Major civitatis Londinensis independenter à Rege & à Parlamento haberet imperium in militiam urbis civicam atque in Turrim sive Arcem Londinensem.* Si de his rebus convenisset, de *Hiberniâ* nihil fuisset difficultatis. Sed Rex jurejurando in actu Inaugurationis præstito se teneri ad tuendos Episcopos adfirmabat; Legatis tamen *Belgis* adhuc ibi commorantibus dedit hoc, ut res ad *Synodum Nationalem* deferretur, eoque ex aliis *Reformatorum* Ecclesiis Legati convocarentur, ex quorum consilio, quod in *Episcoporum* functione fuisset improbatum, tolleretur. Sed cum idem *Parlamento Londinensi die* III. *Martii mensis* proponerent, nihil responsi acceperunt. In capite de *Militia* Rex hujusmodi medium proposuit; ut *viginti viri Conservatores pacis eligerentur, à se & à Parlamento deni, in quorum manibus esset omnis militia & facultas eam lustrandi, cum Arcibus oppidisque munitis ad custodiam portuum necessariis*, reliquis omnibus demoliendis munitionibus. Sed *Parlamento* alia mens erat & consilium, ut è postulatis *supra* expositis evidenter colligi potest, *Rempubl. aut Belgicæ, aut Venetæ instar, vel Polonicæ* constituendi, salva forte Regis personâ, vel absque eâ, sicuti possent. *Londinum* sibi seorsim dignationem poten-

tentiamque Venetæ nō diſſimilem machinabatur. *Independentes* interim in *Parlamento* creſcere & augeri, non ſine gravi Scotorum, qui *Presbyteriani* erant & cum illis ſentientium ſollicitudine.

5. In odio tamen adverſus Regios & *Epiſcopales* adhuc erant concordes. *Hothamus* Pater & filius qui *Hullam* Regi præcluſerant, deinde non ſatis, ut videtur pro meritis honorati, ad Regias partes reſpicere cœperant: Reginæ, ex *Hollandiâ* cum armis & commeatu bellico *Burlingtonum* illic viciniæ appulſæ non impediverant iter ad Regem; ſub prætextu permutandi captivos cum *novi Caſtri Comite* res alias communicaſſe dicebantur. Capti ambo ab ſenatu militari capitis damnati ipſiſque *kalendis Januar.* ſecuris ſupplicio adfecti ſunt, gratiam à Parlamento fruſtra implorantes. Pater ad mortem ab *Hagone Petri* Paſtore præparabatur. Is inter alia populo narrabat, audiente *Hothamo*, quod prius ex illo acceperat; cum is juvenis ad bella Germanica proficiſceretur; nam & *Pragenſi* prælio interfuerat; Patrem ſuum ei dixiſſe; *Quando Angliæ Corona, mi fili, in certamine verſabitur, ſatis erit quod heic depugnes.* Eodem menſe eundem calicem exhauſit *Wilhelmus Laudus Archiepiſcopus Cantuarienſis* primo quidem accuſatus ab universâ domo *Communium*, apud Proceres; ſed condemnatus, ut etiam *Straffordius* antea, decreto utriuſque domus: Etſi domus *communium* antea nunquam res judicandi facultatem habuiſſe dicebatur. Quæ crimini ipſi dabantur hæc fuere. *Regi per-*

ſuaſe-

*f aserat, illum arbitrariam habere potestatem in omnes cives eorumque bona: ut sine Parlamenti Consensu pecunias imperare atque exigere posset, quasi id sacris literis & Legibus esset consentaneum. Suasisse Regi venditionem functionum judicialium ac ita corrupisse justitiam. Novum librum publicasse Ca*nonum *multa continentem Legibus Regni contraria. Id egisse, ut omnis Ecclesiastica jurisdictio Regi subduceretur & ipse Papalem atque tyrannicam in Subditos regni potestatem haberet. In hoc fuisse, ut Papales superstitiones ac idololatriam in Angliam introduceret, variis in eum finem cærimoniis & doctrinis Papalibus Ecclesiæ obtrusis, non sine vexatione & adflictione multiplici omnium, qui hac parte illi dicto audientes esse nollent. Regis amicitiâ abusum ad promovendos in sacris homines aut Pontificios aut doctrinæ suspectos & heterodoxos. Molitum esse Unionem Ecclesiæ Romanæ & Anglicanæ, atque contra divisionem & separationem inter Anglos & reliquos Reformatos. Regi fuisse auctorem dissidii inter Anglicam & Scoticam Ecclesias fovendi, deinde belli Scotis inferendi. Conatum esse jura viasque Parlamenti legitimas subvertere, Regemque adversus Parlamentum* incitasse. Etiam dixisse, *Canones Ecclesiæ & Regis prærogativam brevi majoris momenti fore quam Acta Parlamenti, seque contriturum eos, qui Regi parere nollent.* Fabricatum esse novum jusjurandum, quo promitterent homines, *se restituros Papatui & regimini Ecclesiæ presbyterico, quod juri & libertati Anglorum adversaretur.* Quibus aliisque paulo minoris momenti

rebus

rebus perduellionis *crimen incurriſſe judicatus eſt*, & condemnatus erat ad *ſuſpendium*, more quem habent Angli, ignominioſiſſimo; *vixque* nec niſi multis precibus & interceſſione Domus ſuperioris, *ſecuris ſupplicium impetravit*, poſtquam toto quadriennio captus & *octuagies* è Turri in *Parlamentum* examinandi causâ deductus fuiſſet, paucisque ante obitum diebus *Liturgiam* vidiſſet abolitam novumque à novâ Synodo *Directorium* Eccleſiæ propoſitum & injunctum. In concione quam habuit ex *ferali theatro*, graviſſimis verbis, ſe Regemque ab omni crimine, imprimis ſuſpicione Papiſmi eumque introducendi conſilio purgavit. Reprehendit in *Londinenſibus* acriter morem populariter inclamandi *Parlamento & Regem* urgendi ad res captu ſuo majores & innocentium ſupplicia, ſubjungens, ut quidam tradunt, hujuſmodi verba; *Hæc eſt hora vobis data & poteſtas tenebrarum*.

CAP. VII.

De bello civili & rebus Anglicanis per annum 1645. *&* 1646. *uſque ad ultimam Regis cladem.*

CUm de pace ſpes omnis decollaſſet & Rex nil ſe, niſi ferro victorem, impetraturum videret, exercitus ſuos diligentiſſime paravit ſub *Ruperto & Mauritio* in Aquilone; ſub *Comite Derbiceno & Langdalio* prope Scotiæ fines, ſub *Byrono & Gerardo* in *Cambria* viciniſque regionibus. In *Occidente* ſub *Hogtono*, *Grenvillio &*

Goringio. Qui omnes majora auspicia *Walliæ* Principis ut summi Ducis agnoscebant. Inferior Parlamenti domus *Essexii* pertæsa de mutandis exercituum Imperiis hominesque sui ordinis probatæ virtutis eligendo deliberavit, dissentiente primum *Domo superiore:* Sed dein *Essexius*, *Warvicensis*, *Manchestrius*, & *Denbighensis*, cum viderent se nolentes volentes abdicatum iri; necessitatem voluntariâ renuntiatione prævenerunt eorumque loco Dux supremus electus est *Thomas Fairfaxius* Baronis *Fairfaxii*, qui tam fervidus partium fuerat, filius; eique legatus suffectus est *Olivarius Cromwellius* eques *Huntingtonius*, & *Philippus Scipponus* peditatui præpositus. Tribuni ex acerrimis centurionum electi; Copiæ novis delectibus auctæ constitere *quatuordecim millibus peditum*, *sex equitum millibus* & mille *Draconibus* quos vocant. In hoc exercitu à novis ducibus, qui sacræ Scripturæ ac inde concionandi plerique peritissimi erant, mirifica stabilita est disciplina, *modestia & religione in altitudinem condita*, quæ tanto facilius recepta fuit, quanto plures è militibus erant *Independentes* ac *Anabaptistæ* fervidi professionis suæ, qui Regnum *Christi*, sublatis *impiis*, quâ voce *Regios* demonstrabant, hoc bello constitutum iri existimabant. In eàque sententia magis confirmati sunt, eo, quod ex Regis, Reginæ aliorumque literis interceptis hoc tempore palam factum est, non modo è Galliis auxilia sollicitari; sed etiam egisse Regem cum Duce *Lotharingiæ*, ut is *decem millia* suorum in *Angliam*

gliam tranſmitteret, genus hominum rapinis & improbitate præ cæteris famoſum. Præter quos intellectum eſt, Regem quovis id egiſſe modò per Comitem *Glamorganum*, ut rebelles *Hiberni*, Latrones potius quam milites, pace religioniſque libertate reconciliati in *Angliam* trajicerent ſuiſque ſe copiis, utcunque abominabiles, adjungerent. Miſit etiam *Montroſſium*, Marchionem à ſe creatum in *Scotiam*, cui *Antrimius* Comes ex Hibernia *mille ducentos* (ſpem fecerat decem millium) feroces latrones miſerat, cum quibus & *Hyglandis*, *Scotis*, à genio *Hibernico* non alienis, *Scotiam* per biennium adeo infeſtam habuit, ut ingenti opus eſſet exercitu ad vim ejus propulſandam. *Argathelia* Comitem inde à principio cæſis captiſque mille quingentis ſuorum profligavit; ipſe poſtmodum ab *Hurrejo* viciſſim bis aliquâ clade adfectus celeriter tamen ſe ſuoſque in tutas recepit latebras; Unde ſubito emergens è contempto terribilis effectus, *Scotiam* miſerrimis belli malis adflixit. Quorum dolore mota *Synodus Nationalis* acerrimas ad Regem literas dedit, in quibus iram ipſi divinam & pœnam tot impietatum, quarum ſe reum faceret, acerbiſſimè interminabatur.

2. Sed novus *Parlamenti* exercitus, tum quidem ob genus hominum à militari ſpecie alienum, tam parvi habitum, quam deinde præ cæteris *Europæ* exercitibus admirationem gloriæ meruit, apud *Vindeſorem* colligebatur. Unde *Fairfaxius* Ordinum juſſu *Veldenum* tribunum

cum VII. millibus novorum militum misit *Tantonum* ad obsidionem, quam *Blacus* præfectus, diu pertinacissime sustinuerat, solvendam, & soluta est, sed rursus obsessa, digressis in diversa *Parlamentariis*. Postea *Cromvellius* cum firma equitum manu, Regem *Oxonio* profectum impediturus à *Fairfaxio* missus est: Ipse jussus à *Parlamento*, *Oxoniam* obsidione cinxit, quo *Cromvellius* etiam, solus Regiis impar evocatus est, postquam hostiles aliquot cohortes apud *Islipam* fudisset, eademque felicitate *Vaughamum & Littletonum* regios Duces, in saltu *Bramptonensi*, fusis eorum copiis, vivos cepisset. Dum apud *Oxoniam* desident *Parlamentarii*, Rex *Ely* insula, proditione quorundam occupatâ, junctis sibi *Ruperto* & *Mauritio* cæterisque in *Aquilone* Ducibus, *Leicestriam* urbem magni momenti habitam redegit in potestatem copiasque suas notabiliter auxit atque firmavit. Qua re admoniti erroris sui *Parlamentarii*, Oxoniensi obsidione denuo soluta, Regem totis viribus insequuti sunt; nisi quod *Cromwellius* ad sustinendas orientales provincias, *Parlamento* valde addictas, cum firma equitum manu illuc profectus erat. *Quarto decimo Junii mensis* MDCXLV. Regius & *Parlamentaris* exercitus concurrerunt in planitie *Nazebiensi* haud procul *Northamptonia*, ubi fatali partibus prælio est decertatum. Exercituum numeri fere pares; nisi quod Regii equitatu, splendore certe armorum apparatuque potiores visi; nobiles enim & illustres ab ea parte steterant o-

mnes,

mnes, ipſo Rege præſente, quemadmodum prælijs majoribus interfuit ſemper. Quâ de re *Cromwellium*, qui ex oriente revocatus, ea nocte, quæ pugnam præceſſit, cum ſuis accurrerat, utramque aciem contemplatum riſiſſe ferunt; Rogatumque de cauſa, *Nonne vobis*, inquit, *riſu dignum videtur; quod nos homines ſimplices, ſine ornatu, ſine plumis & ſine bullis habitu modeſto, nihil præter arma & parva biblia portantes* (haud temere enim quiſquam ſine ſacro inſtrumento in illo exercitu repertus eſt) *congredi audemus cum exercitu fulgente pretioſo ornatu & auro argentoque exculto?* Nec tamen ſolo riſu defunctus eſt. Antequam acies concurrerent, ipſe textu ad heroicos ſpiritus excitandos è verbo Dei ſelecto, ſuis illum facunde ac ardenti voce geſtuque applicuit & inculcavit; nec facile Tribunus aut Centurio quiſquam fuit, qui non Concionatorem æque ac Ducem agere didiciſſet.

3. Ordinem aciei fuiſſe accepimus hunc; ut Regii *in fronte ſuum Equitatum*, quo maxime fidebant, haberent, pedites in ſecunda acie ſtarent; dextrum cornu *Ruperto* & *Mauritio* curantibus, ſiniſtrum *Ashlejo* aliiſque Ducibus egregiis. *Fairfaxius* more conſueto pedites in medio, Equitum alas cornibus adfuſas habebat, dextram curante *Cromwellio*, ſiniſtram *Ibretono* ejus genero; peditatui *Scipponus* erat præpoſitus. Teſſera *Fairfaxii*, *Deus nobiſcum*; Regis, *Deus & Maria Regina*. Rurſus autem in hoc prælio,

quod & alias, uſu venit, ut Regiis *fortuna ab initio blandiretur*, Palatinis Principibus tam indomito impetu *Ibretono* incumbentibus, ut alam ejus diſſipaverint ipſumque duobus vulneribus debilitatum ceperint. Victores nę quidem priore moniti errore ſibi temperavere, quin profligatos longius quam par fuit inſequerentur. Sed in altero cornu Regii ſuccubuerunt, impulſi à *Cromwellio*, ut adæquatâ fortunâ prælium ancipiti marte aliquandiu ſit continuatum. Sed tandem Regius equitatus primum ceſſit, *Leiceſtriam* fugâ ſe proripiens & peditatum deſerens, qui undique cinctus à *Fairfaxianis*, abjectis armis deditionem fecit. Quæ res in cauſa fuit, ut cum hoc prælium Regiis partibus *peremptorium* fuerit, ſanguine tamen non multo conſtiterit victoria; *deſideratis è victis duntaxat quadringentis*, *e victoribus centum* paucioribus, paucitate pro momento prælii ſatis notabili. Sed ingens fuit agmen captivorum & præda locupletiſſima, cum magno Regis labaro *vexilliſque centum*, *tormentis* omnibus & quicquid apparatus ſarcinarum inſtrumentive in caſtris fuit; cum ſecretioribus Regis literis, quarum pleræque mox à victoribus publicatæ plebis odium erga ipſum Regem intenderunt. Conſilia enim de auxiliis *Gallicis*, *Lotharingicis*, *Danicis*, *Hyberniciſque* inita continebant, plures à Regina & ad illam ſcriptæ, è quibus uxorium Regis animum ſuggeſtionibus ejus ac cenſuris obnoxium erat animadvertere. Simul vitio vertebant, quod ea quæ *Uxbridgæ*
&

& aliàs semper detestatus erat, nominatim quod de *Hybernicis* externisque auxiliis jactabatur, de his tamen in literis non modo seriò deliberabat, sed etiam hoc ipsum cupere præ se ferebat. In unâ ex epistolis observatum fuit, eum Reginæ rationem reddere, quur *cœtum Westmonasteriensem* vocasset *Parlamentum*, aliud esse dicens, *appellare*, & aliud, *agnoscere Parlamentum*. Suos vero Proceres & plebejorum notabiles, quos penes se *Oxoniæ* habuerat *Parlamenti* loco ipsemet irridens *Mungrel*, *spurium Parlamentum* vocabat.

4. Post res *Nazebiensi* prælio perditas, Rex fugâ, cum equitatu, cujus magna pars erat salva, se in *Cambriam* & *Cornubiam* usque recepit; inde rursus in Aquilonem variis locis ad reparandas vires movebat. *Fairfaxius* & *Cromwellius* eum insequuti primo quidem *Tantonum* denuo obsessum & ad extrema redactum liberaverunt. Quanquam autem Regii se pluribus locis iterum instruxerant copiasque instauraverant, nusquam tamen subsistere: quin eadem æstate & *anni Vere sequentis*, ad ultimum usque *Cornubiæ* angulum Regia præsidia excussa sunt, dum interim alii Duces æquè felicem in aliis regni partibus operam *Parlamento* navabant. Regiis nusquam amplius subsistentibus, non Ruperto Principe, non Goringio neque Hoptono, idque in annum XLVI. continuatum; *Hoptono* cum suis copiis mense *Martio* ad deditionem redacto, expugnato mense Aprili *Exonio*, aliisque in occidente reliquis locis, quæ præsidiis suis Regii omnia occupaverant,

adeò ut *Carolus Walliæ* Princeps in *Scyllinas* insulas fugere sit compulsus; Rege in septentrionem profecto, ut se jungeret *Montrossio*. Nam soli Scoti diverso fato confligebantur, habentes adhuc in Anglia exercitum suum, prædis agendis quam bello magis intentum, etsi *Carleolam* urbem à *Glengamo* ipsis deditam præsidio suo insederant, quod fœderi adversum *Angli* querebantur eâque de causâ *Legatos* Edimburgum *residentes* miserunt. Constitutum erat inter Regem & *Montrossium* felicissime atque acerbissimè contra *Scotos* agentem, ut copias suas in finibus *Scotiæ* jungerent pariterque majore cum efficacia & dignitate bellum gererent; sed Regi quominus perrumpere posset, iter à *Parlamentariis* interclusum fuit. Montrossius in Australem *Scotiam* audacissime perrupit, vix *quatuor millibus Hybernorum & Higlandorum stipatus*. Cui se obviam tulit universus *Scotorum* fœderatorum exercitus apud *Kilsitham*, locum arctis montium faucibus & rupium præruptis contra multos, paucis idoneum. Insidias peritissimè disposuerat *Montrossius*, in quas *Scoti* numero fisi præcipites dati, à *Montrossio* circumventi & prope internecione deleti sunt, pluribus *quinque millibus* in loco trucidatis, clamante *Montrossio*, *nihil opus esse captivis*, *Expeditis pergendum*. Hac una victoriâ omnis Scotia *Montrossio* patebat, cui se *Pontificii* & *Regii* magnis numeris adjungebant; etsi Rex ingenti suo incommodo & dolore ad eum, *qui solus partes ejus prostratas heroico ausu erecturus videbatur*,

pene-

penetrare non poterat. In *Angliâ* pro fratribus *Scotis* supplicationes & jejunia habebantur; Dum pleraque jam oppida *Montrossio* dederentur; sed effusius & atrocius quam ut duraret, cum suis grassabatur. Ergo David *Leslæus* collecto exercitu deprehensos ad *Selkirkam* Montrossianos tanta strage perculit, ut *Kilsithanæ* cladi par esset compensandæ; quod accidit eodem die, quo Regina *Maria Lutetiæ Parisiorum*, de victoria *Kilsithana* publicas Deo laudes reddi & cantari curaverat. Nec *Montrossius* exinde vires reparare vel quicquam notabile tentare potuit.

5. Rex tamen ne sic quidem omisit conatum se jungendi *Montrossio*, vel saltem liberandi obsidione *Chestriam*, portum ad auxilia *Hibernica* arcessenda necessarium. Sed ad *Routenheatam* haud procul *Cestria*, *Poinzius* Dux *Parlamentarius*, copias ejus non spernendas, prælio victas cæsis *Octingentis* dissipavit. Supererat *Digbejus*, qui cum mille expeditis equitibus ad *Montrossium* equitatu maxime indigentem pergebat; sed & hic una cum *Langdalio* apud *Sherburnam* in agro *Eboracensi* à *Ponzio* & *Couplejo* fusus primo fugatusque, dein apud *Carleolam* à *Brounio* & *Leslejo* copiis omnibus exutus, in *Monam* insulam à *Derbiensi* Comite infestam ac inde in *Hiberniam* ciendis auxiliis perrexit. *Digbejo*, qui & Regi à secretis erat, multa arcana literaria quæ temere secum habebat, adempta sunt, quæ rursus publici juris facta, præter non pauca de spe matrimoniali ex *Hollandia* studioque Principis &

Procerum erga Regem, palam fecerunt, illum ex *Hibernia* Daniaque adhuc auxilia ſolicitare; promptiori ad odium inde acuendum plebe, quam adflicti Regis fortunam ad deſperata conſilia redactam juſta miſeratione proſequendam. Fuitque ea res acceſſio malorum, quibus *Carolus* Rex cumulatus fuit, quod arcanæ cogitationes ejus & deliberationes, *quas cuncti mortales à dictis ſuis habent diverſas*, identidem in manus oculoſque ſuorum hoſtium, nulla æquitate neceſſitatem miſeri Principis ſublevantium incidebant.

6. Quominus ex *Hibernia*, *Digbejus* auxilia præſtare potuerit, ut tria millia *Ceſtriam* mittenda deſtinaverat, hæc ratio fuit: Rex Comiti *Glamorgano*, clam *Digbejo* & *Ormondio* Comitibus, qui pro Rege tenebat *Hiberniam*, mandaverat, ut cum *Hibernis* rebellibus tranſigeret *iiſque religionis libertatem omniaque civium jura promitteret*, paratis illis in *Angliam* trajicere, ſed non prius quam Rex pacta ſolenniter rata habuiſſet. Re interim divulgata, *Digbejus* & *Ormondius* omneſque Regis in *Hibernia* ſtudioſi Proteſtantes, rem indigniſſime ferebant; nec aliud potius illis duobus viſum; etſi de mandato Regis in *Glamorganum* non dubitabant, quam hunc proditionis reum facere & cuſtodiæ mancipare. Quæ res *Dublinenſes* in fide Regis nutantes continuit, etſi *Glamorganus* palam jactabat, *ſe Londini & coram ipſo Parlamento rationes redditurum, eorum quæ Regis juſſu feciſſet.*

In-

Interim *Ormondius* & *Digbejus*, *Muskerium* rebellium Ducem clam certiorem fecere, se *Glamorganum* dicis gratiâ reum fecisse, Pacta rata fore; modo se illi accingerent, dum *Cestria* adhuc salva foret. Sed hæc interim *mense Februario* 1646, à *Parlamentariis* ad deditionem coarctata est; Consiliis Regiorum obliquis & pudendis, sine ullo fructu, palam factis.

7. Pro Rege tenebant adhuc, è multis toto regno diffusis, *Oxonia*, *Neuvarkum*, *Bamburia*, *Wallingfordia*, *Raglandia & Pendennis.* Nam quia *Poliorcetica*, peritiæ ac instrumentorum defectu, minus valide à partibus exercebatur, singulæ urbes & Nobilium arces, etsi nulla arte munitæ, obsidionibus erant subigendæ. E ducibus Regiis adhuc campos tenebat *Asslejus* potissimum in *Walliâ*, qui postrema commissione statariâ victus est à *Morgano*, mense *Martio*; fassus, *actum esse de Regia causa, nisi intestina victorum dissidia res collapsas restituerent.* In quibus deinceps omnis Regiorum spes vertebatur & res ipsa pluris fuit, quam omnes adhuc bellici motus fuerant, etsi initia minus prospera & exitus infelicior fuit.

CAP. VIII.

De fugâ Regis ad Scotos & rebus ad ejus captivitatem usque gestis anno 1646 & initio 1647.

Rex interim *Oxoniæ* agebat, cum illud oppidum à *Fleetwodo & Ibretono* cinctum est

ob-

obſidione propediemque *Fairfaxius* expectabatur; cujus adventum Rex abitu ſuo præveniendum putavit. Cum autem quo pergeret, ambigeretur, nihil potius ei quam ad *Scotos* in obſidione *Neuvarkiæ* hærentes ſe conferre viſum eſt; etſi nonnulli, ut ſe *Weſtmonaſterienſibus* dederet, acriter hortabantur. Sed averſo ab illis animo Regis & notâ jam *Scotorum* ab *Anglis* diſſenſione, ſuo adventu illam in rem ſuam magis incenſum iri ſperabat. In quâ ſententiâ fuit etiam in *Belgio Princeps Arauſionenſis*, nihil dudum à Rege *melius conſultum* arbitratus. Ergo mutato habitu, famulum ſe gerens *Ashburnami*, quem cum ſarcinis ſequebatur, *Oxoniâ*, *Neuvarkam*, præmiſſo in Scotorum caſtra *Monſtreulio* Galliæ Regis legato, cunctis ignoratus evaſit. *Oxonia* poſt diſceſſum Regis & adventum *Fairfaxii* vim non diu ſuſtinuit; Etſi *quinque millium veteranorum* militum præſidio munita commeatuque victus & belli in longum tempus inſtructa. Sed Proceres, qui multi oppido inerant, *Rege Scotis dedito*, non habentes, cui navarent operam, feſtinatâ *menſe Majo* deditione ſibi conſulendum putarunt, honeſtasque conditiones pro ſe militibusque & oppidanis ſtipulati ſunt. *Rupertus* tamen & *Mauritius* Palatini regno excedere juſſi; Dux *Eboracenſis* ſecundus Regis filius *Londinum* ad reliquos Regis liberos deductus eſt. *Carolus* primogenitus è Scyliinis inſulis *Jerſæam* trajecit, inde navigaturus in *Galliam*, quâ de re ab utriuſque regni Le-

gatis rogatus Rex, ut filium intra regni fines agere vellet, brevem epistolam ad eum scripsit, interceptam à *Parlamento*; cujus hæc erant verba;
,, Carole, *Scribo* ut intelligas, ubisim & ut valeam, non ut hoc tempore te consiliis regam.
,, Quid enim te agere velim, matri tuæ jam
,, pridem significavi; Cui in omnibus, exceptâ
,, religione; de quâ te non solicitabit, scio;
,, volo ut obtemperes, nec sine illius aut meo
,, jussu quoquam abeas. Benedicat tibi Deus.
,, Pater tuus amantissimus C. R.

2. In hospitio *Monstreulii* Galliæ Legati, deposito servili habitu Rex *Soutwellam* in castra *Scotorum* se contulit; quod *Newarkienses* obsessi intelligentes moram deditioni nullam amplius faciendam putarunt, uti nec reliquæ urbes adhuc Regiæ causæ addictæ pauloque superius enumeratæ. Rex à Scotis *Kelhamum* ad majora ipsorum castra deductus est, spreto *Parlamenti* Anglicani postulato, ut *Soutwelliæ* subsisterent, neque multo postea *NovumCastrum* versus, cum Rege profecti sunt, intellecto, *Cromwellium* illis imminere cum equitatu, ad Regem forte sibi extorquendum. Jampridem Scotis fœderatis cum *Anglicano* Parlamento non bene convenerat, cum ob non soluta stipendia, tum imprimis quod *Religio & Ecclesia*, secundum *fœdus Nationale* non stabiliretur, *Scotis* plane *Presbyterianis*, Anglis magnâ parte *Independentibus*; quas inter partes, cessante metu communi, indies crescebat æmulatio. De stipendiis

An-

Angli facile demonſtrarunt, *Scotos amplius quam promiſſum erat, accepiſſe*, præter exactiones è populis ſeptentrionalibus factas, enormes & crudeles. Contra fœdus illos tenere præſidiis ſuis, *NovumCaſtrum*, *Tinmuthum* & *Carleolas*; de Religione, rem non eſſe præcipitandam; In eâ conſtituendâ *Parlamentum* his diebus occupatum eſſe, nec ideo cauſam illis dari hac parte querendi. Sed abductio Regis hanc litem immane quantum augebat, nec minus indignationem adverſus Regem, *quod Scotos Anglis prætuliſſet*, rebuſque perditis, novo incendio ruinam ſuam reſtinguere vellet. Hoc anceps negotium, quorſum evaderet, incertum, adhuc *Presbyterianorum* ac *Independentium* factiones in *Parlamento* & in Urbe, ne palam in diſſidia erumperent, continebat. Imperator autem *Fairfaxius* medio *Novembri* 1646. *Londinum* profligatis bellis, redux, invidendis Laudibus, honoribus & prœmiis ab utrâque Domo & Civitate *Londinenſi* exceptus eſt, cum paulo ante *bis mille quingentos equites*, qui ſub *Maſſæi* ductu res luculentas geſſerant, *Presbyterianorum* ac *Independentium* ſtudio partium, tumultuantes, juſſu Parlamenti dans operam cum Maſſejo ſine ſtrepitu exauctoraſſet.

3. Major fuit difficultas in *Scotis*, qui decreto *Parlamenti Anglicani*, *quo ſuum eſſe*, *de perſonâ Regis diſponere* judicaverant, opponebant, *ſibi tantundem eſſe juris ac Anglis, cum ipſorum æquè Rex eſſet & in pari cauſa*, *potiorem*

eſſe

esse possidentis rationem. Anglis replicantibus, has rationes, *dum essent in Angliâ & Anglorum stipendiis addicti*, *nullas* esse, surdas aures opposuerunt. Tandem in hoc convenerunt, ut Regi pacis conditiones, fere quales *Uxbridgæ* postulaverant, proponerentur; quod factum more solito formâque supplicationis, ut accedente Regis adsensu fierent Leges *Parlamentariæ*, tam in *Angliâ* quam in *Scotiâ.* Sed Rex nullo modo ad subscribendum adduci potuit, etsi *Loudenus* Scotiæ *Cancellarius* ei demonstraret, ita rem se habere; *Multos è potentioribus in hoc esse, uti Regiam Potestatem abolerent*; *sed in populi gratiam, Cui regium nomen cordi esset, hanc propositionem Regi esse factam*; *qua rejecta, futurum, ut populus in Imperio ipsi abrogando acquiesceret.* Mansit tamen pervicax juris sui, vel sperans *Independentes* & *Presbyterianos* in apertum certamen erupturos, Qua gratiâ tractatum hunc multis mensibus in hyemem usque protraxit. Sed cum per hanc tergiversationem nihil ageretur, pertæsi tandem, *qui Regem hac via servatum sibique obnoxium cuperent*, cum infestioribus ipsi inimicis consenserunt, *ut res utriusque regni sine Regis adsensu* constituerent. Cum *Scotis* alia componendi ratio non fuit, quam argentaria. Promiserunt *Angli* illis *quadringenta millia librarum Sterlinicarum*, dimidiâ parte repræsentanda; pro quâ pecuniâ renuntiarent postulatis stipendiorum & præsidia ex omnibus Anglicæ locis deducerent. Ut autem Regis perso-

ſonam *Anglis* traderent, hoc pecuniario tractatu, licet vulgo ſic proditum, non fuit comprehenſum; Sed *Angli* verè an ex compoſito, declaravere, ſe pati poſſe, uti Regem Scoti *Edimburgum* deducerent: Hoc vero jam *Scoti* recuſare; *nihil inde ſibi quam turbas, rebus adhuc inter ipſos incompoſitis, metuendum.* Mallejam, ut *Angli* cuſtodiam Regis in ſe reciperent; quod hi, ſcilicet, rogati admiſerunt. Denique, menſe *Januario* 1647. pecuniæ pars dimidia *Novum Caſtrum* delata Scotiſque adnumerata eſt, qui deductis ex Angliâ copiis & præſidiis ſuis, & *Rege Delegatis Angliæ tradito*, cum nummis domum redierunt. Rex in arcem *Holmbyenſem*, quæ eſt in Comitatu *Northamptoniæ*, ſatellitio in ſpeciem honorifico ſtipatus à Legatis *Parlamenti* Anglicani deductus eſt, menſe *Februario* 1647.

CAP. IX.

De primâ Parlamentariorum commiſſione, dum Rex in Cuſtodia fuit, anno 1647.

PRincipio diſſenſionum civilium vis & auctoritas præcipua in *Parlamento*, fuerat penes eos, qui *Eccleſiam* per cœtus Paſtorum & Seniorum ex plebe eligendorum, quæ *Presbyteria* dicuntur, Claſſesque & *Synodos* regi volebant, *Presbyteriani* dicti. *Independentes* quidem, ita appellati, quod ſingulas Eccleſias more popularis Congregationis, *ſine dependentia* à Claſſibus & Sy-

Synodis haberi vellent, complures erant in Parlamento, sed dignitate numeroque cum *Presbyterianis* minimè comparandi, cæterum, *ardente religionis cultu & pietatis disciplina*, *denique fervore contra Regias partes omnium primi.* Per discessionem è Parlamento, suprà commemoratam, cum primum ad arma ventum esset, plures è *Presbyterianis* desiderati sunt, ex *Independenbus* vix quisquam. Ita numerus horum notabilior factus, etsi *Presbyteriani* adhuc multum superabant. Sed in novo exercitu, post abdicatum *Essexium*, sub *Fairfaxio* & *Cromwellio* plerique erant *Independentes*; qui cum rebus præclare gestis, magnam suæ factioni adderent auctoritatem, *Presbyteriani* seriò, at sero sibi metuere cœperunt. Etenim de regimine *Ecclesiastico* disceptationem, tesseræ duntaxat inter eos fuisse loco, de summâ rerum inprimis esse laboratum, nemo rerum haud plane imperitus dubitabit.

2. *Presbyteriani* quid sibi eventurum esset, exercitu illo consistente, facile præsumentes, optabant, ut bello jam confecto, dimitteretur, idque libellis *Parlamento* è variis regni Comitatibus oblatis enixè petebatur in eamque sententiam multi in ipso *Parlamento* disserebant. Quod militum Duces ad animum revocantes libellum Imperatori suo, *mense Majo* 1647. obtulerunt, in quo non tantum de meritis & stipendiis suis, sed etiam de Republ. tanquam cives ordinanda copiose disserebant; quod *Presbyterianis*

indignum neque ferendum videbatur. Sed milites, hoc eſt, *Cromwellius*, *Ibretonus* aliique *Fairfaxio* ipſo ſatis per ſe modeſto prævalentes, vim dictis ſuis addidere, ſubducto *Rege* Cuſtodibus à *Parlamento* ei adjunctis & ſecum in Exercitum abducto, *ut in oppido aliquo vel palatio Caſtris proximo commoraretur.* Quod iterum indignè ferentes utraque Domus *Parlamenti*, *die* xv. *Junii* decreverunt & *Fairfaxio* mandarunt, ut *Rex maneret Richmondiæ*, *ut ab iiſdem qui Holmbyæ ſervierant ipſi*, *obſervaretur*; *Ut à Legione Roſſiteri ſtiparetur.* Sed *Fairfaxius* ex conſilio Senatus militaris *Independentium*, illas juſſiones detrectavit. Regemque primo deduxere *Roiſtonam*; Inde *Hatfieldam*, poſtea *Cauſamum*, tandem apud *Onsburnam* in ædes *Bedfordiæ* Comitis. At poſtridiè quam mandata *Parlamenti* ad Exercitum delata fuerant, miſſus eſt libellus Accuſationis ad *Parlamentum*, in quo *undecim* ſolertiſſimi è *Presbyterianis* variorum criminum poſtulati ſunt, quod *Hiberniæ* (nihil erat ſpecioſius) *levamenta retardaſſent*, *quod contra leges populique libertates & exercitus commoda egiſſent*, denique *juſtitiæ curſum obſtruxiſſent.* Accuſati, *principes eorum*, *qui Regi antehac adverſati fuerant*, paratos ſe ad reſpondendum exhibuere. Sed quia exercitus flagitabat, ut interim, dum eorum cauſa cognoſceretur, *Parlamenti* ſeſſionibus abſtinerent, parendum fuit precibus, queis contradici non poterat. Eliminati ſunt igitur *Denzillus Holles*, Philippus *Stapletonus*, Guilielmus *Wal-*

Waller, Johannes *Mainardi*, Wilhelmus *Levis*, Joh. *Clotworth*; *Maſſejus* militia clarus, *Longus*, *Glimius*, *Harlejus* & *Nicholius*.

3. Dici non poteſt, quantam hæc audacia militum in animis *Londinenſium*, qui maxime erant *Presbyteriani*, excitaverit indignationem, ut ſtatim de facultate reſiſtendi Exercitui cogitationes ſuſceperint. Quas ut impediret *Parlamentum*, militiam civitatis *Londinenſis* die quarto Maji conſtitutam mutavit, imperiis in alios *Independentibus* faventes ex ſententiâ Ducum exercitus collatis *die* 22 *Julii*. Qua re ſupra modum turbata civitas libellum verbis liberioribus conceptum obtulere *Parlamento* die xxvi Julii, cum aliquot millibus civium tumultuoſe, juxta morem ſuum & minaciter clamantes; *ni facerent quod in libello complexi fuerant*, ac ita non difficulter extorſere decretum priori contrarium, *de militia civitatis in eundem ſtatum, qui fuerat die* 4. *Maji*, reſtituenda. Nec eo contenti Oratorem Domus inferioris jam cœtu dimiſſo, in ſedem ſuam repulerunt & ipſum reliquosque Adſeſſores compulerunt ad decretum, *de Rege Londinum, ut cum Parlamento ageret, adducendo* concipiendum. Jam enim res ſtudio contentionis eo pervenerat, ut *Presbyteriani* ſe Regiis adjungerent, Regemque reſtitui, quam rerum potiri *Independentes*, mallent: Incerto relicto, an ipſi, ut in Regem ſemper acerbiſſimi fuerant, ſi rerum ſumma penes ipſos manſiſſet, *Independentibus* æquiores in Regem fu-

turi fuissent. Uti res fuit, honorem Regii patrocinii ab hoc tempore magno animorum motu amplexi sunt.

4. Post hunc tumultum, Conventus Ordínum prorogatus est in *tricesimam Julii*: quo intervallo Senatores *Independentes* cum utriusque domus Oratoribus ad Exercitum se contulere. Cumque die condicto non adessent, novi Oratores *Hunsdonus* pro Domo Procerum, *Pelhamus* pro Inferiore domo à *Presbyterianis* electi sunt; A quibus eodem die xxx. Julii decretum est, I. *Ut Rex Londinum veniret*, II. *Ut militia Londinensis ad defensionem civitatis instrueretur.* III. *Ut eadem militia Ducem eligendi potestatem haberet, qui* Massejus *erat futurus.* IV. *Ut undecim accusati, nullo juris ordine remoti, in loca sua Parlamentaria restituerentur.* Quibus decretis animati *Londinenses* summâ diligentiâ copias & arma parabant, abundante multitudine dandis nominibus, cum è *Presbyterianis*, tum maxime ex iis, qui cum prius Regi militassent, à *Fairfaxio* exarmati & dissoluti fuerant; qui se cupide jam alteri parti maximoque numero *Londinum* confluentes adjungebant. Sed meliores erant copiæ & arma veterani exercitus, *Londinensium* cervicibus incumbentis, cujus Duces, profugos *Parlamenti* Senatores armata manu reducendos statuerunt. Qua re *Londinenses* intellecta, imparati & discordes in Legatis tamen de pace mittendis ad Exercitum consenserunt. Data pax est his legibus; *Ut desererent Parlamentum, ita ut nunc*

nunc erat, compositum & undecim Senatores remotos; ut militiam Urbis in priorem statum, qui fuerat die XXII *Julii restituerent; ut præsidia sua* turrimque *Londinensem* Fairfaxio *traderent; copias noviter contractas è vestigio dimitterent.* Parendumque fuit attonitis & flagitiose imparatis.

5. Sexto die *mensis Augusti* exercitus cum Ducibus venit *Westmonasterium*, ubi veteres domuum Oratores, *Manchestrius & Lenthalius* cum cæteris, qui ad Exercitum confugerant, restituti sunt: Gratiæ *Fairfaxio*, Ducibus reliquis & Exercitui actæ, addito menstrui stipendii donativo: Posteraque die Duces cum toto exercitu, per civitatem *Londinensem* ab occidua ejus parte usque ad turrim militari ordine, *quasi triumphantes urbe captâ*, progressi sunt. Militia civitatis ex eorundem arbitrio Ducum constituta divisaque in *Urbanam*, *Westmonasteriensem*, *Soutwarkensem* & *Paganam*; quo divisa minus terribilis esset. *Parlamentum* deinde redintegratum *Independentibus*, territisque *Presbyterianis* aut dissipatis, omnia decreta quæque die XXVI. Julii & deinceps acta fuerant, abolevit & nullius momenti pronuntiavit. Ita *Presbyterianis* subactis, omnia in manibus *Independentium* esse videbantur; quos inter erat propria factio *Levellorum*, qui ut Regiæ potestati erant infestissimi, ita suspectam & invisam habentes *Cromwellii*, *Ihretoni* aliorumque suæ factionis Ducum potentiam, urgebant *æqualitatem democraticam*, juxta peculiarem *Independentis* Ecclesiæ

genium. Unde *Levelleri*, quasi diceres, *Æquatores* appellati sunt. Hi vero à *Cromwelliana* factione, cum ipsi numero potius quam consilio valerent, contentè repressi & contumaciores ex illis summo supplicio adfecti sunt.

CAP. X.

De statu rerum inter primam & secundam Parlamentariorum commissionem, usque ad decretum, de Rege amplius non adeundo, à die VI *Aug.* 1647 *ad* 17 *Jan.* 1648.

PResbyterianis, qui Regiarum partium studium induerant subactis & *Parlamento* Independitibus iterum referto, tamen ita numero adhuc vincebant *Presbyteriani*, sed militibus obnoxii. Exercitus Duces Regem ad *Hamptonis* aulam *Londino* proximam deduxerunt, ibique non captivi sed *Regali specie ac honore*, stipatus saltem militibus non suis agebat, permisso ad eum aditu quorumvis ordinum libero, ad visendum, salutandum, adorandum, idque non solum à *Londinensibus* sed ex omni regno veteribus ejus clientibus & fautoribus *Hamptonam* confluentibus; Etiam è transmarinis regionibus, aderant amici Consiliarii quidam, antehac à Parlamento pro hostibus habiti, ut *Asburnhamus* & *Barclajus*, etiam *Oxoniensis* Comes, *Richmondiæ* Dux, *Ormondus*, *Hartfordius*, *Dorsetius*, *Southamptonius* aliique Comites, evocati, ut videtur, à Rege, ut in Tractatu cum *Parlamento* co-

eorum consiliis uteretur. Sed horum quidem præsentiam sibi displicere testati milites & *Parlamentum*, post bidui moram, illis præsentiâ Regis interdixerunt. Sed quæ res *Independentes*, Regi antea & deinceps hostiliter infestos, ad tam inexpectatam moverit indulgentiam, nemo divinare potuit. Mihi ex his quæ dicentur, id probabile videtur, *Primo quidem visum illis esse, gratiâ populari, quæ jam erat pro Rege, Presbyterianos aliquantisper ipsos, qui nunquam hoc modo Regem tractassent, antevenire; cæterum, in exitium Regis easdem vertere blanditias, ut spe restitutionis ex hominum applausu & discordiâ inimicorum, qui jam certatim ejus favorem ambirent, blandiente, conditiones à Parlamento proponendas majore contumaciâ recusaret, seque ipsum, dolis ipsorum delusus, præsenti specie libertatis & honoris evolveret; quo dein meliore prætextu extrema adversus eum consilia exsequerentur.*

2. Die VII. *Septembris* consensu utriusque domus, adstipulantibus *Scotorum* Deputatis, missæ sunt ad Regem *HamtonCourti agentem* conditiones pacis, ejusdem argumenti in summâ, *de Regimine Ecclesiastico & de militiâ*, quales antea sæpius erant propositæ, per utriusque Domus & regni Legatos. Sed Regi in negativâ persistere visum; *nisi quod Presbyteria ad triennium admitteret, non tamen sublatis penitus Episcopis & de Militia, quemadmodum ipsus antea proposuerat.* Quia vero Exercitus nomine, quædam aliquanto molliores editæ fuerant condi-

tiones, adjecit Rex, ut militibus placeret, *se potius inclinare ad articulos ab exercitu propositos & proponendos.* Sicut tamen in *Parlamento* numerus adhuc major erat *Presbyterianorum*, qui Regem, ut tum res erant, restitui cupiebant, data est opera, *ut tractatus de pace cum Rege* continuaretur. Et quia *Scoti* æquè *Presbyteriani* nunc in eadem erant sententiâ, postquam eorum primores *Loudenius* & *Lanericus* cum Rege collocuti erant, hi literas ad *Parlamentum*, conſciis hauddubie *Presbyterianis* in *Parlamento*, dedere, quibus postulabant, ut *Regi Londinum*, *coram de Pace* cum *Parlamento* acturo *venire* liceret, haud ita pridem in alia omnia proni. Sed rationem reddebant, quod Rex per vim Legatis *Parlamenti* à militibus esset ereptus: *Vel si placeret, ut HamptonCourti maneret, æquum censebant, ne sub Exercitus potestate haberetur, sed eâ conditione, quâ legati utriusque Domus tuto libereque ad eum commeare possent*, frueretur. Dum hoc agebatur & pars major in hoc erat, ut quovis meliore modo cum Rege tractatus instauraretur; ipse nec opinato & præcipiti consilio, fugâ XII. *Novembris* die, *Hamptoncourtio* arreptâ, rationes illas conturbavit. Inventæ sunt in ejus cubiculo juxta pallium literæ, quibus rationem fugæ suæ reddebat, *libertatis dulcedinem & vitæ servandæ, cui structas audivisset insidias, studium. Testabatur animum ad pacem paratum.* Offerebat *decretum Amnestiæ, libertatem conscientiarum, nominatim pro Exercitu, ejus-*

dem.

demque satisfactionem plenissimam. Adductus enim erat in eam sententiam, Duces exercitus æquiores ipsi esse quam *Parlamentarios.* Hi verò fugâ Regis gravissime perturbati, apud omnes portus præcipi curavere, ne Rex foras evaderet, & cum suspicio esset, eum in ipsa urbe *Londinensi* latitare, publicatum est Edictum; *Si quis personam Regis clam detineret, nec Ordinibus indicaret, is vitæ bonorumque jacturâ mulctaretur.* Sed brevi compertum est è literis *Hammondi* Tribuni, *Vectis insulæ præfecti*, Regem in eam insulam profectum sese in *Hammondi* tutelam custodiamque tradidisse. Porro se non defuturum mandatis *Parlamenti* exacte servandis. Laudatus à *Parlamento Hammondus* & jussus Regem diligenter custodire, *salva honoris specie Regalis*, seque curaturos, ne quid sumptibus faciendis deesset, promiserunt.

3. Quid Regem ad tam deformem impulerit fugam, nullis ad veram libertatem, id est, *evadendum è regno* mediis provisis, nusquam explicitum reperi, nec ipse in *Memoriali Regio*, quod sub ejus nomine publicatum est, exposuit. Sed est verisimile, quod pro certo ab hominibus eorum temporum peritis accepi; *Cromwellium*, qui tunc erat *Hamptoncourti* & qui literis ad *Lenthalum* Domus inferioris Oratorem scriptis, primus *Parlamento* Regis fugam significavit; *secreto ad Regem adiisse eumque flexis genubus veneratum, de affectu studioque suo erga personam ejus & salutem Pathetice*

facundeque, nec sine lacrymis, ut erat hac facultate praeditus eximiâ, disseruisse. Compertum sibi, vitae Regis insidias strui à militibus Levelleris, *quas in suâ potestate non esset, propulsare. Sed Unicam salutis viam se videre, si Rex se quantocyus militum manibus eriperet, nec esse recessum meliorem quam in Vectim insulam, cujus Praefectus ipsi ex amicis erat intimus. Se curaturum, ut abitus facilis, tutus & salutaris foret.* His anxio & omnia timenti consilioque amicorum destituto Principi facile persuasum, ut fraudulento consilio se committeret. Eo pertinet, quod de insidiis vitae suae structis adfirmat in literis apud pallium suum relictis; Quod sine conscientiâ *Cromwellii* in loco praesidentis, diligentissimam militum Custodiam prima vigiliâ; *nam ante coenam effugit*; frustrari nequivisset, nec adjumenta fugae comparare; vel si illa sine *Cromwellio* parare potuerit, nihil est dubii, quin etiam è regno fugam fuerit adornaturus. Accedunt alia commoda *Cromwellio* adfectata; Cum *Parlamentum* ad transactionem, quam ipse cum suis nollet, festinaret, eam manu militari indentidem impedire nimis incivile erat; hac viâ Rex eam ipse abrumpebat & viam ad id quod parabat *Cromwellius*, pronam facilemque sternebat. Ipse apud alios ita solitus est adfirmare; Sibi verè fuisse animum, *Regem in suâ dignitate conservandi.* Ac ideo in precibus ad Deum id egisse crebro & fervide, ut hoc propositum sibi divinâ voluntate bene cederet. Verum quoties in eo fuisset,

iden-

identidem sibi vocem quasi præclusam & spiritum fuisse constrictum, ut vota nullo modo in eam rem concipere posset. Idque sibi toties evenisse, ut id responsi loco cœlestis accipere cogeretur, hujus sententiæ; *Regem à Deo esse reprobatum, nec esse deprecationi locum.*

4. Non cessabant tamen *Presbyteriani* urgere tractatum apud *Vectin* cum Rege continuandum, quando prolixa ab ipso Epistola *Procerum Oratori* inscripta, cum *inferiore Domo* communicanda, adfertur, in quâ de conscientiæ suæ vinculo, respectu *Episcoporum*, deque *Militia* cæterisque rebus controversis ita differebat, *ut non dubitare se diceret, quin plene inter ipsos conveniret*, modo sibi liberè *Londinum* accedere coramque rationes commutare liceret, quod enixè petebat, nec minus vehementer id urgebant *Scotorum* Legati. Cum vero nec *Presbyteriani* plures inde essent alieni, *Independentes* tamen mediam obtinuere viam, quæ hæc fuit; *Regem sine ulla satisfactione populo suo præstita libertati restituere bellique & victoriæ juri penitus renuntiare, id esse absurdum & proditorium erga Rempub. Posse tamen Regi quam peteret, veniam dari, si consentiret in hæc quatuor decreta, more Parlamentario ipsius consensu in Leges convertenda.*

I. *Militiam Regni secundum Parlamenti solius voluntatem constituendam & regendam.*

II. *Declarationes, juramenta, proclamationes Regis adversus Parlamentum revocandas.*

III. *Comites & Barones post deportatum Londino sigil-*

sigillum magnum creatos, Pares Regni non futuros, nec locum in Parlamento habituros.

IV. *Utrique domui PARLAMENTI jus fore, Sessiones suas pro lubitu continuandi, comperendinandi.*

Non placebant hæ positiones *Scotorum* Legatis, qui prolixo libello eas improbarunt & contra missionem illarum protestati sunt. Placuit tamen eas per legatos utriusque Domus Regi offerre & oblatæ sunt *die* 24 *Decembris* 1647. in Castello *Carisbrooko.* Sed Rex protestationis animique *Scotorum*, & factionum *Londinensium* gnarus, adsensum his *articulis* præparatoriis, quæ rem ipsam principalem involuerent, impertiri noluit, ideoque Legati re infecta redierunt, cum à Rege, sub fide *non præjudicandi* lectionem responsi impetrassent. Quâ tamen perceptâ, Regem longe rigidius & arctius incluserunt, amotis omnibus ei fidis hominibus additisque novis & insidiosis.

5. Non paucis ex ipsis *Presbyterianis* æquum fuerat visum, pro statu rerum præsenti, Regem in illas leges concedere eoque moleste hanc ejus negationem ferebant, duritiem & pervicaciam vocantes. *Independentes* autem utendum hac occasione rati, operam dederunt, ut amplius quadraginta *Presbyteriani* in varias regni partes, ad expediendam rem pecuniariam pro stipendiis militum aliaque negotia abessent. Cumque è reliquis non pauci in Regem [illegible]rosi essent, *fatale decretum* fabricati sunt, etsi ne sic quidem sine magna

magna contentione, quæ à matutinâ decimâ uſque ad ſeptimam veſpertinam ſuper *articulo primo* duraverat, in hanc ſententiam; I. *Nullam impoſterum propoſitionem aut communicationem cum Rege faciendam.* II. *Nulli homini fas fore quicquam Regi proponere vel cum eo communicare, ſine utriuſque Domus conſenſu.* III. *Qui hoc decretum violaverit, eum perduellionis reum fore ac ita puniendum.* IV. *Nullum poſthac à Rege nuntium admittendum; vetitumque omnibus in univerſum quicquam nuntii vel literarum à Rege accipere, quod deferendum ſit ad alterutram domum, vel ullum alium mortalem.* Primo capite, ut dictum, tanta cum difficultate perrogato, in tria reliqua, membris diſſentientibus ad ſpiritum recipiendum pauliſper digreſſis, intra dimidiæ ſpatium horæ pedibus itum eſt. Domus autem Procerum nonniſi minis & vi militari adhibitis, aliquandiu poſtea conſenſum præbuit.

CAP. XI.

De novo civili bello, ſive ſecundâ Presbyterianorum & Regiorum contra Independentes commiſſione, de an. 1648.

DEcretis hiſce divulgatis, mirifici animorum motus paſſim excitati ſunt. Exercitus Duces *Windeſoræ* congregati *Parlamento* gratias egerunt & hoc viciſſim illis; in eo conſentientes, quod *Regi tot maleficiorum convicto & ad recuſandam populo ſatisfactionem & protectionem obdurato,* contra juſtos metus, nullum aliud remedium con-

conveniret, in eoque vindicando fidelem operam suam *Parlamento* non defuturam prædicabant. Hoc autem, adducendis in sententiam suam populis, Edictum initio Februarii publicavit, in quo Regis accusatio ab ovo, inde à suspicione Patris *Jacobi* veneno extincti, proditione *Rupellensium* cæterisque veris, fictis criminationibus, more libellorum famosorum potius, quam pro gravitate concilii alicujus spectati recensebatur, nulla re ad odium inflammandum, quod toties illis bene cesserat, omissâ; imprimis, quod septies cum illo de pacis conditionibus egissent æquissimis, quibus semper ab illo contumaciter rejectis, decretum *de non adeundo* Rege, non modo justissimum, sed etiam fuisse necessarium; siquidem nihil aliud, quam ut ejusmodi Rector repudiaretur, superesset, populique juri & libertati, sine Rege, prospiceretur. Eodem tempore conciliandis sibi *Concionatoribus* decimas illis restituendas & Decanorum commoda distribui curaverunt. Sed in contrarium Regii nec minus vehementer *Presbyteriani* nitebantur; editis libris pro defensione vel excusatione Regis, Parlamenti Edicta refutantes; inprimis ambitiosa, Ducum *Independentium* Consilia detegentes. Quin toto regno *calamitosæ Majestatis miseratio* diffusa, populos ad auxilium personæ Regis periclitantis excitabat; præter omnium ordinum indignationem, quod ferreum sibi jugum ab Exercitu & *Independentibus*, Rege sublato, paratum videbant.

2. Cum

2. Cum igitur *Parlamentarii* Edictis suis & declarationibus parum profici viderent, consilium & vires adhibendas censuere. Consilii causâ ex utraque domo *Cœtum* formarunt *extraordinarium*, *Viginti Virorum*, septem Procerum & tredecim *Communium*, quos inter *Olivarius Cromwel*, qui & partem exercitus circa *Westmonasterium* in stationibus dispositam gubernabat. Conventus in domo *Derbiensi* habebantur, ad præveniendos, qui undique imminere videbantur, motus; plenâ seditionibus urbe Londinensi, divisis in factiones & ardentibus Provinciis, minace foris *Scotiâ*, cum perpetuis rumoribus conjurationum & moliminum clandestinorum; Regiis palam exsultantibus & victoriam victis ominantibus. Presbyteriani opibus numeroque validi Regem quem prostraverant, sibi restitutionem debere, quam *Independentibus* æmulis succumbere malebant & Regiis juncti habebant nomen tesseramque factionis & vires partium fractas quidem, sed numerosas ac atrociter loquentes. Hoc ancipite rerum statu *Carolus Walliæ Princeps* exilio favorabilis & à Patre mandatum habens infinitum, missis clam declarationibus & diplomatibus juris speciem res novas molientibus addebat. Hi vero à tumultibus ad bella progressi sunt.

3. Primus tumultus *Londini* inchoatus est à *tyronibus mechanicis die* IX. *Aprilis*, qui à nonnullis incitati, factâ seditione, contemptis magistratuum Imperiis, per urbem *Westmonasterium* pergebant, *vivat Rex* vociferantes & malum inimicis

micis ejus imprecantes: Ut quidem Major five Prætor Urbis fibi metuens in *Turrim* Londinensem fe reciperet. Tota nocte continuatum tumultum mane primo pars exercitus urbi immiffa facile fedavit, abductis aliquot è feditiofis in carcerem. *Fairfaxio* & *Cromwellio* gratiæ à *Parlamento* actæ & militum animi donativo pignorati. Tumultibus non diffimiles fuere petitiones è diverfis Provinciis oblatæ. Die XXVI. Maji è *Surria* Comitatu *trecenti* cum libello adfuere fupplices, at minacibus verbis poftulantes, ut *Rex dignitati priftinæ reftitueretur & Weftmonafterium debito cum honore, libertate & fecuritate veniret, acturus cum Parlamento de controverfiis; atque ut dimiffo exercitu, Angli vetuftis Legibus & inftitutis regerentur.* Cum autem verbis adderent aut redderent verbera militibus, uno quoque interfecto, celeriter à majore militum numero, nonnullis interfectis, fuperati & diffipati funt. Fuerunt alii tumultus in *Suffolcia*, *Stamfordia*, *Cornubiâ* & alibi, à *Waitono* Walleroque tribunis oppreffi.

4. At in *Boreali* parte regni & in *Walliâ* bellum apertum denuo contractum eft. *Glenhamus* regiarum vetus partium Dux, *Carleolas* occupavit, *Langdalus*, *Berwicum*. Alii munitiffimam *Ponfracti* arcem per infidias, occifo Præfecto, ceperunt. In Walliâ *Poyerus*, *Pouvellus & Langhornus* celebres *Parlamentarii* duces, fed *Presbyteriani*; Primus *Pembrochiam* cui præerat, pro Rege fe tenere profeffus eft. *Langhornio* jam exercitum octo millium habenti & à Wallis dilecto

Po-

Powellus se, Tribunus adjunxit. In *Cantiâ* collectus est exercitus à Nobilitate Provinciæ, quibus se *Góringius* Baro conjunxit & huic *Capellus* Baro cum copiis ex *Herfordiâ* adductis, cui aderat cum equitatu aliquo *Carolus Lucas*, auctus passim veteribus regiarum partium militibus. In *Scotia* duæ factiones erant, *Politici* & *Ecclesiastici*. Illorum caput erat *Hamiltonius* dux, horum *Argathelius*. Prævaluerunt in *Scotiæ* Parlamento *Politici*, ut Regi manifesto periclitanti succurreretur. *Ecclesiastici* omnes presbyteriani, quia tamen non habebant oppositos sibi *Independentes*, in hos minus erant animati; Politicis soliti erant tanquam profanis adversari. Improbantibus igitur *Ecclesiasticis*, decretum est, *Exercitum in Angliam Regis auxilio esse mittendum*. Et missus est, *Hamiltono* duce, numerosus, quem concionatores præcipui diris & devotionibus è cathedrâ publicè prosequuti sunt. Tot bellis Terrestribus accessit è mari periculum; Classe navium bellicarum XVII. à *Parlamento* ad Regem deficiente, *Reinsborougo* præfecto suo in littus exposito, atque in Belgicos se recipiente portus; ubi cupide à Principe *Carolo* & *Jacobo* Eboracensi Duce, qui jussu patris clam *Londino* in *Hollandiam* femineâ veste textus se subduxerat, excepti sunt. Quibus rebus spe regiarum partium mirifice accensâ, *Comes etiam Hollandiæ*, *Parlamento* antehac fidus, quingentis equitibus collectis, subito ut hostis apud *Kingstonam* apparuit.

5. Nunquam in majore periculo causa *Par-*

menti verſata fuerat, ne quidem cum Regii exercitus *Angliâ* tota victores florerent; idque per confuſionem rerum inter ſe, & tot ſimul hoſtibus, unà cum *Scotis*, quos ſemper amicos habuerant, inſurgentibus, nomine jam & Majeſtate *Regis* favorábili, cum prius omnes ut hoſtem abominati fuiſſent. Mirum tamen & memorabile dictu, quam brevi & quam feliciter hæ difficultates à *Fairfaxio & Cromwellio* cum ſuis Zelotis ſuperatæ fuerint. Primo quidem *Langhornius*, Rebus *Parlamenti* auſpiciis antea præclare geſtis, nunc ab *Hotono* tribuno cum *trium agmine millium*, ipſemet *octo millia* ducens, inter oppida *Fagam & Peterſton* fuſus & fugatus eſt, captis pluribus quam victores erant numero, cum ſarcinis omnibus, tormentis & vexillis, VIII. *die Maji*. Ipſe *Langhornius* & *Powellius Pembrochiam* ad *Poyerum* è fugâ ſe contulerunt. Quam urbem *Cromwellius* obſeſſum venit *die* XX. *Maji*, adjutus maritimis rerum ſubvehendarum auxiliis à *Georgio Ayſcougio*, parti claſſis illic præfecto. Pertinaciſſime tamen Regii loco egregiè munito, ſe tutati ſunt, uſque ad *initium Julii menſis*, quo ad extrema redacti ſe nullas pacti conditiones ad libitum victoris dedere compulſi ſunt. Interim *Cantianis*, quos ut urbi ad defectionem paratæ vicinos, maxime timebant *Weſtmonaſterienſes*, compeſcendis, ipſe miſſus eſt *Fairfaxius*, cujus adventum novi bellatores non expectantes, in varia loca ſe diffuderunt; *Maidſtonam* pars conceſſerat, In quam ut parum munitam urbem

Fair-

faxius cum ſuis perrupit quidem; at in ſingulis vicis, bellum & aciem invenere, tormentis ubique diſpoſitis & cunctis angulis pugnabatur; Quo genere pugnæ meliores erant Regii, novus fere miles, quam ſtatariis in campo præliis. Sed præcipuus *Cantianorum* exercitus aliquot *millium* numero *Fairfaxianis* ſuperior, qui ad auxilium ſociorum è *Roffenſi* agro vocatus venerat, non auſus eſt ingredi urbem, captam forte ratus ab hoſte, neque à tergo *Fairfaxium* aggredi. Flagitium belli; ex quo minuere licet admirationem, qui factum ſit, ut Regii tanto apparatu tam parum præſtiterint. *Maidſtonam quadraginta* ſuorum jacturâ cepit *Fairfaxius*, *ducentis* hoſtium cæſis, captis *mille quadringentis*, cum equis *quadringentis*, armiſque pro bis *millibus*. Inde *Goringium* Baronem, qui adſumptis *bis mille Cantianis*, *Londinenſes* ſollicitatum ibat, diſſipavit, *Goringio* in *Eſſexiam*, trajecto lembis *Tameſi*, ad *Capellum* & *Lucam* ſe conferente, quos *Fairfaxius* in urbem *Colcheſtriam* tumultuario munitam compulſos obſidione cinxit, numero & contumaciâ incluſorum ſatis notabili. Quo tempore Comes *Hollandiæ* cum ſuis à *Leveſayo* profligatus eſt, cæſo *Franciſco*, *Buckingamii* ducis, qui ipſe aufugit, fratre; nam hi ſe *Hollandio* adjunxerant; paucis poſt diebus apud oppidum *Wecby* denuo victus & ipſe captus eſt *Hollandiæ* Comes.

6. In Septentrione, *Fairfaxio* Colcheſtriam, *Cromvellio Pembrochiam* obſidentibus, Regii a-

diu potentiores habiti sunt, *Lamberto*, cum modicis copiis, *Glenhamo & Langdalio* se opponente. Sed *Pontefractenses* gravi clade adflicti sunt à *Rossitero*, amissis mille equitibus in campo *Willougbejo*, captis omnibus eorum ducibus, numis & impedimentis. Sed jam *Scotorum* exercitus *Langdalio* junctus, xxv. millibus utriusque militiæ non minor, ferrum & flammam late per *Angliam* portabat, quando *Cromwellius* hoc ipso tempore *Pembrochiâ* potitus, *Lamberto* se junxit & Scotis *Lancastriæ* fines ingressis òbviam se tulit *die* xx. *Augusti*; postquam in *Parlamento Westmonasteriensi* ægrè pervicerant *Independentes*, ut *Scoti hostes* & *Angli* illis juncti *perduelles* judicarentur; multis & quidem Proceribus inprimis, in id consentire nolentibus, & cum civitate *Londinensi*, quæ ipsa compedibus vincta nihil poterat, *Scotis* fausta precantibus: Sed eventus respondit melius Pastorum *Scoticorum* diris, qui licet æquè ac *Londinenses*, *Presbyteriani*, in alia tamen omnia studiis & votis ibant. Concurrerunt *Angli* & *Scoti* apud *Præstonam* Lancastriæ sub finem *Augusti*; quo prælio virtus indurata *Cromwellianorum* Religionis animata stûdio superior evasit, ut hoste fuso fugatoque *tria quidem millia* perculerint ferro, *novem millia* ceperint, ipsos quoque paucis interjectis diebus *Hamiltonium* & Langdalium Ducem, cum tribus adhuc aliis *equitum millibus*. Cujus præclaræ victoriæ fama *Colchestrienses* auxiliorum spe, post trimestrem pervicaciam destitutos ad deditionem, sine ullis con-

conditionibus, coarctavit; *Luca & Leslejo* statim militari supplicio adfectis, *Goringo*, *Capello* & *Hastingo* Parlamenti arbitrio reservatis.

7. Supererat Classis, quæ defecerat, *Carolumque Walliæ Principem* vehebat, *navium bellicarum* xx. Ne reliquæ naves exemplum sequerentur, fecit *Warvicensis* Comitis, qui denuo *Thalassiarcha* munus nautico populo gratus, antea licet à *Parlamento* repudiatus suscepit, & *Georgii Aiscongi*, *Portsmoutensis* classis præfecti solertia; qui remotis ductoribus suspectis, vulgus in fide *Parlamenti* facile continuerunt; etiam in ea parte Classis quæ defecerat, satis constitit, longe maximam vulgi nautici partem à Regiis fuisse alienam. Comparuit ad ostium *Thamesis* fluvii sub finem *Augusti* mensis *Carolus* Princeps, cum classe xx. navium, diplomate Patris, Summus *Angliæ Thalassiarcha*; quo jure *Warvicensi*, ut vexillum submitteret, sibique fidem & obedientiam præstaret, sine fructu scilicet, imperavit. Viribus impar *Warvicensis* loco ad navale prælium inidoneo se tuebatur, donec quid de Classe *Portsmoutensi* factum esset, rescisceret: Nam & hanc descivisse fama non temere; nec enim procul abfuit; adfirmaverat. *Aiscongus* tandem cum Regiam classem nocturno tempore præternavigasset ad *Warvicensem* accessit. Inde profecti in hostem, in *Hollandiam* illum, commeatus causa digressum insequuti sunt usque *Goeream*; quo loco si statim Regios aggressi fuissent, certa erat victoria, nullo qui impediret; Eventuque absoluti fuis-

sent, ut Belgæ in victoriâ apud *Dunas* Anglicam stationem, absoluti fuerant. Sed mora *Warvicensis* in causâ fuit, ut *Ordines Belgarum* Princepsque *Orangius* utrique parti, ne quid hostile committerent, denuntiaverint, brevique temporis spatio tot naves Belgicæ *Goeræam* defluxerint, ut jam *Warvicensi* tutum non esset, pugnare contra interdictum; Etsi quædam naves è Regiis hoc ipso tempore ad eum regressæ fuerint & *Trompius* Belgici maris præfectus scriberet ad *Ordines*, ne decimam quidem classiariorum partem pro Rege bene esse animatam. *Walliæ* Princeps interim *Hagæ* cultu regio, sumptibus Ordinum primo, dein Principis *Arausionensis* excipiebatur. Quod cum nimio esset oneri Principis ærario, pecuniis Regi mutuo dandis, ultra *duos milliones*, pridem exhausto, *Dux Eboracensis Jacobus* in Galliam ad Reginam matrem profectus est, à *qua institutionem Pontificiæ religionis*, *anno ætatis decimo quarto* accepit & per omnem vitam retinuit. Classis Regia, *Warvicensi* in *Angliam* reverso, mansit apud Belgas, usque ad fatalem rerum in *Angliâ* commissionem.

CAP. XII.

De ultimo Presbyterianorum adversus Independentes, pro Rege, conatu.

Cromwellianorum victoriâ sicut Angli Presbyteriani summopere dejecti erant, ita ejusdem professionis *Scoti* lætabantur; non tam de fra-

trum

trum suorum in *Angliâ* fato & Regimine Ecclesiæ solliciti, quam interitu Politicæ factionis sibi in *Scotia* adversæ exsultantes. Ergo *Cromwellium* in *Scotiam* usque progressum, postquam *Carleolas* & *Berwicum* recuperasset, summis gratulationibus & benedictionibus exceperunt; Ecclesiastici imprimis, summoperè delectati, quod ex ore *Cromwelli* reliquorumque Ducum nihil fere quam de studio gloriæ divinæ regnoque Christi propagando, dictis plerumque scripturariis, audiebant. A Proceribus, ut *Argathelio*, *Levinio* & aliis magnificè, à Synodi Legatis religiose excipiebantur; *Sospitator Ecclesiæ* dictus *Cromwellius*, idque suum judicium literis publicis ad *Parlamentum Westmonasteriense* perscripserunt, beatam prædicantes *Angliam* tales habentem *Gideones*, Dei altissimi servos, quales *Cromvellium* imprimis & *Lambertum* cognovissent: Etsi pridem illorum exercitum, ut colluviem sectariorum; quemadmodum illi duo, alter *Independens*, alter *Anabaptista* erat, abominati fuissent. *Adeò propius adficit homines, quod ad ipsorum utilitatem, quam quod ad communis causæ rationes pertinet.* Adversæ factionis domesticæ oppressio per hunc exercitum commissa reliquas considerationes deleverat aut seposuerat; adeo, ut erroris se ipsos, gratantius, quam ne ex animi sententiâ id facere viderentur, quasi de pientissimis hominibus antea secus judicassent, insimulaverint. *Cromwellius* dissipatis Regiorum & Politicorum reliquiis, omnes alios milites,

exceptis *mille quingentis* exauctorari curavit; ac ita securus hac parte reversus in Angliam, *Pontefractum* castellum firmius, quam ut rapi posset, obsidioni longinquæ reliquit; & *Londinum*, ubi res novæ præsentiam ejus enixe requirebant Fairfaxio soli non plane fidens, properavit.

2. Dum enim ipse Ducesque reliqui adversus *Regios* & *Presbyterianos* illis junctos in diversis regni Partibus erant distracti, Adsessores *Parlamenti presbyterianæ* factionis, qui vel non adfuerant decreto de *Rege non adeundo*, causâ quam indicavimus, aut qui rejectione quatuor *conditionum*, de quibus *antea*, per Regem abscissè facta, offensi vel aliter abrepti fuerant, Deinde rem aliâ reputantes viâ, *Decreto illo jugulum factionis suæ peti animadvertebant*. Quare in alia omnia se vertere cœperunt & primo quidem collegas suos & consortes *undecim* primicerios, ab exercitu pridem accusatos & è *Parlamento* remotos in integrum restituerunt inque cœtum suum receperunt die VIII. *Junii*. Postea Domus utraque decrevit *die* XXX. *Junii*, Legem, quâ placuerat, Regem *non amplius esse adeundum*, paci & *saluti regni esse contrariam*, quam proinde revocarunt atque aboleverunt. Cum deinde multi flagitarent, ut Regi libere atque decorè *Londinum* venire liceret ad tractatum pacis cum *Parlamento* perficiendum, prævaluit tamen eorum sententia, qui ne Militares, ut videtur, nimis irritarent, resumendos in *Vecti insulâ* tractatus, Legatosque in eam rem ad Regem esse mitten-

dos

dos ſtatuerent *die* XXI *Julii* ampliatumque decretum *die* 2 *Augusti*, ut non modo tractarent ſuper conditionibus Regi à Parlamento propoſitis, quæ ſatis adhuc erant duræ, ſed etiam *ſuper articulis*, quós Regi *Commiſſariis Parlamenti* proponere viſum fuiſſet. Locus agendi Regis arbitrio permiſſus, qui *Neoportum* ejuſdem inſulæ oppidum adſignavit, quo *Proceres quinque*, *Decem Communes* ablegati ſunt. Permiſſum Regi quos vellet è ſuis, miniſtros & conſiliarios arceſſere; Cultu & comitatu Regio utebatur. In tractatu utrimque ſumma facilitas partium apparebat; Conſenſerant in hæc, *Reſtituendas eſſe Regi ſuas res Dominicas reditusque Regales, quibus ſi quid hac conventione deceſſiſſet, id alia ratione ſuppleretur. Amneſtiam generalem publicandam. Rex in Parlamento votum retineret Negativum*; *Epiſcopatus non abolitus ſed ſuſpenſus*, terris eorum, etſi jam venditis, denuo locandis, ita ut veteres earum reditus ipſis alendis exhibendisque cederent. *De Militiâ Rex etiam fere conſecerat*, & de revocatione creationum, quas fecerat, poſt diſceſſum à *Parlamento.* Sed in poſtulatum, quo præcipui illius miniſtri, quos inter *Rupertus & Mauritius* ſororis ejus filii perduellionis rei pœnæ captis ſubjicerentur, non conſenſit, ne ſuos prodidiſſe diceretur; In exilia mulctasque pecuniarias conſentiebat. Plane ita conſtat, Regem, qui ſolus cum legatis *Parlamenti*, hominibus doctis & verſutis ageret & diſceptaret; nec enim aderant quos adhiberet,

ſingulari uſum eſſe prudentiâ & promptitudine, animoſque ipſorum Legatorum humanitate decorâ ſibi plane conciliaſſe; Refutatis evidenti ſpecimine calumniis, illum parvi fuiſſe judicii & pene ſtupidum; quod & in ultimâ vitæ ſcenâ clarius demonſtravit.

3. Sed Fairfaxio, *Cromwellio* Ducibusque laureatis omnibus *Londinum* reverſis alia rurſus ſe prodidit facies rerum. Intellecto enim quousque *Tractatus* cum Rege perductus eſſet, omnemque victoriarum fructum, quem in manibus haberent, ſibi à *Presbyterianis Togatis & Regiis*, quos vicerant, ſuffragiis *Parlamentariis* ademptum iri, ſerio & efficaciter his conſiliis ſe oppoſuerunt; Initio à *petitionibus* ſive libellis ſupplicibus facto, quorum primus à militibus Imperatori Conſilioque militari oblatus eſt, hujus ſententiæ; *Ut quicunque adverſus Rempubl. peccaſſent, nullius perſonâ excepta*, quod erat ſecurim radici adhibere, *cuncti in jus vocarentur.* Conceptus erat ab *Ibretono Cromwellii* genero, qui à *Fairfaxio*, ut præ ſe ferebat, diſſentiens, in Palatium *Vindeſorienſe* digreſſus ibi libellum compoſuerat, qui Laudatus à Conſilio militari, traditus eſt *Oratori* Domus inferioris, ut ipſi *Parlamento* proponeretur. Dein ſimilis petitio ſive libellus *Parlamento* oblatus eſt *die* XI. *Sept.* nomine multorum millium, *bene*, ut ajebant, *animatorum hominum* in Civitatibus *Londini*, *Weſtmonaſterii*, *Southwarke* pagiſque adjacentibus. Quod exemplum ſequuta ſunt alia diverſis

versis è Provinciis tam à *legionibus*, quam ab aliis ejusdem sententiæ hominibus; in quibus jam velo aperto postulabatur, ut *Rex omnium auctor malorum & reus omnium scelerum, quæ Synodus Scotica anno* 1646. Illi per literas exprobraverat, Judicio sisteretur. Erant *Independentes*, qui hæc peterent, è rigidissimis *Reformatis*, imbuti pridem hac opinione, *Regem nihil esse quam ministrum & procuratorem populi, a quo ad rationes reddendas pœnasque dandas* adigi posset, *idque jam vivo exemplo demonstrare & orbi terrarum inculcare gestiebant*; Præter singulorum fines ambitiosos, quos ut tum præsumere licebat, ita eventus postea detexit.

4. Quamvis autem *Presbyteriani* in *Parlamento* adhuc numero prævalentes sed inermes, quis eventus esset futurus, exercitu undique devictis hostibus reverso & ipsorum partibus infesto, ignorare non poterant, *extremâ tamen juris linea* procedendum putarunt. Ideo cum plerosque captivos, *Hollandium* Comitem, *Geringium* Baronem, *Capellum*, *Hastingium*, exiliis irrogatis & *Hamiltonium* decem librarum millibus *mulctatum* supplicio capitis exemissent; Postremò, die *quinto Decembris*, sessione per integram noctem continuata, propter plurium contradictiones, *Parlamentario* modo conclusum & decretum est, *Responsiones & Concessiones Regis in Vecti insula Commissariis utriusque Domus factas esse fundamenta solida & sufficientia pacis in regno constituendæ*, legatosque nominarunt, qui super hu-

hujus decreti executione cum militari Consilio deliberarent.

5. Tum verò Duces vim diutius haud differendam rati, postridiè legionem equestrem *Richi* cum pedestri legione *Padii Parlamento* custodiam addiderunt, dimissis *Londinensium* cohortibus civium armatis, qui stationem adhuc apud ædes *Parlamentarias* habuerant. Additi sunt observatores, qui senatores Presbyterianos adeuntes Parlamentum comprehensos in custodiam dederunt. Domus tamen juris sui tenax illos repetiit & sedibus suis restitui imperavit; donec *Wallaus* tribunus in Senatum ingressus Consilii militaris voluntatem pressioribus verbis exposuit, brevique factum, ut non modo qui capti erant, sed etiam ex reliquis plurimi, metu majoris mali, conventibus *Parlamenti* abstinerent, seque *Londino* quoque subducerent. Ita soli *Independentes* relicti à diè XI. *Decembris*, revocatis abolitisque novissimis *Parlamenti* Actis, Legem *de Rege non amplius adeundo* renovarunt atque deinceps ad extrema, *quæ cum stupore totius Orbis terrarum* patrata vidimus, ex sententia Ducum exercitus & acerbissimorum Regiæ potestatis hostium progressi sunt; quarum rerum expositio *ad librum sequentem* pertinet.

6. *Presbyteriani* ab hoc tempore, sicut jam pridem, protestati sunt, nunquam aliud sibi fuisse consilium, quam quod solenni fœdere Convenerat inter *Anglos* & *Scotos*, inter utramque Domum omnesque cives, ut juxta purita-

tem

tem Religionis & Regni populique jura, personæ Regis ejusque Legitimæ auctoritati consuleretur; A qua fœderis conditione præcipuâ, cum *Independentes* recederent, illos perfidiæ ruptique *Convenanti* esse reos; eademque *Scotorum* fuit sententia, illorum etiam qui *Cromwellium* & *Lambertum* cæterosque Duces Anglos in cœlum laudibus extulerant; sese videlicet, *Regium munus & personam, quicquid antehac monendi & dehortandi causa protulissent ipsique Regi insinuassent, salvum salvamque voluisse, velle:* In quam sententiam infiniti libelli, declarationes & Protestationes editæ sunt à *Presbyterianis*.

7. *Independentes* adversus hæc Edictum publicarunt nomine *Parlamenti* die XII *Decembris*, in quâ denuo Regis vitia & peccata recensent, quæ Deus victoriis sibi procuratis ita redarguerat, ut Regem ad confessionem maleficiorum & satisfactionem populis suis præstandam adducere debuisset. A quâ non modo ipsum fuisse alienissimum; sed etiam repertos esse in ipso *Parlamento*, qui id agendum putarent, ut *Regem cum omnibus suis vitiis*, & sine agnitione peccatorum suorum adversus Deum & cives, pristinæ potestati restituerent. Quò ut perveniretur, nihil antiquius illis fuisse, quam ut *Exercitum, per quem Deus mirabilia fecerat*, dissolverent; mittendo partem ejus in *Hiberniam*, eodem tempore, quo Scoti quatuor Provincias septentrionales cum *Barvico*, *NovoCastro* & *Car-*

leolis

leolis urbibus tenebant. Cum hoc non succederet, regressis *Scotis*, eosdem ursisse vehementer omnium copiarum exauctorationem. Inde tumultus excitasse in urbe totoque regno, quibus etiam oppressis, cum Rex interim per integrum septennium humillime requisitus nullum animi reconciliati vel pacis desideratæ signum edidisset, *Parlamentum* ita existimasse; *Unius hominis, utcumque magni, pervicaciam non debere causam esse neglectæ salutis tot millionum populi fidelissimi:* Cumque spes omnis cum illo reconciliandi decollasset, factum esse decretum *de Rege amplius non adeundo.* Narrant dein invidiosissimè quæ *supra* commemorata sunt, adduntque, falsos illos *Parlamentarios* etiam post reditum exercitus victoriosi, tanquam *Dei ipsius ingratiis, & invitis Cælo* terrâque in consilio restituendi Regis nullis exuti vitiis, perseverasse. Quod cum omnibus bonis displiceret, fuisse prævertendum; idque *primo* idcirco, quod *conditiones, de quibus jam convenerat, erant perniciosæ semperque tales ab integro PARLAMENTO* judicatæ. II. *Quod Rex conditionibus qualescunque forent, se nullo modo obligatum censeret, quia se non putaret liberum, sed tam captivum quam unquam alias*; in qua sententiâ illum fuisse probant ex ipsius & *Caroli* filii literis: *Proinde Leges captivo impositas eum nullius momenti fuisse reputaturum.* III. *Quia nullum dari posset exemplum Regis aut Principis ullius in magna Britannia vel alibi terrarum, qui semel cum civibus suis bello*

bello congressus, conditiones pacis initæ servasset diutius, quam suarum rerum necessitas illum coarctaret: idque probant exemplo recenti Regis *Hispaniæ* cum populo, quod tunc evenerat, *Neapolitano.* Hactenus eorum *Declaratio*, in quâ *Fœderis nationalis* sive *Convenanti* nulla mentio; quod vel ab ipso Rege, scilicet pace toties præfracte recusata, subversum tacite significabant, vel, quod propius vero, quia *totum improbabant, nec in animo habebant, illo uti*, quod eventus approbavit.

8. Regii, quibus perinde erat, cum utris vincerent aut succumberent, in hac erant sententia, *Presbyterianos*, secundum ea quæ prius instituerant, si rerum arbitrium retinuissent, nihilo melius cum Rege, quam factum ab *Independentibus*, fuisse consulturos: Quia de rigore & acerbitate in Regem nihil, quam postquam ab *Independentibus* se victum iri crediderant, remisissent: Quia *non minus diffisi fuissent Regi*, si restitutus esset, quam qui Prævaluerunt; *gnari hoc ipso, quod Rex erat, eum paulatim omnia recuperaturum*: Quia non minus, inde ab initio Reipubl. amore liberæ flagraverant: Quia de jure non minus erant persuasi, *Regem tantum esse Ministrum & Mandatarium populi*, quomodo reipsa pridem eum tractaverant, *quam qui ad extremam lineam usi sunt hac sententia. Ita denique Regii loquebantur*, *à Presbyterianis* Regem in theatrum ferale deductum, ab *Independentibus* caput illi esse præcisum, vel, ut *Salmasius*

non

non abſurdè, Presbyterianos fuiſſe prædonum inſtar qui viatorem rebus ſuis exutum arbori alligaverint, *Independentes* fuiſſe beſtias, quæ ligatum devoraverint. Ex his omnibus conſtat, in duobus maxime Regem impegiſſe; in Principio, quod *Parlamento jus perpetuitatis dedit*, & deinde, quod *victus & captus non quaſvis admiſerit conditiones*, unâ ſalvâ, *ſi Rex maneret*, quæ amiſſa jura paulatim reduxiſſet: Nam factio contraria ſub Rege durare non potuiſſet, quæ ſola rerum potita non duravit. Vel ſaltem evadendi facultatem inde nactus fuiſſet.

SECTIO VII.

De rebus Belgicis.

CAP. I.

Ab exitu anni 1632 *ad annum* 1636.

BElgicæ res, etſi bello implicitæ perpetuo graviſſimoque non paulo tamen *Anglicanis* æquabiliores, hoc intervallo fluxerunt. *Anno* hujus ſeculi XXXIII. Legati Provinciarum *Hiſpanis* parentium *Hagæ Batavorum*, pacis vel induciarum cauſâ adhuc agebant, primo quidem *ſuo nomine duntaxat*, permiſſu Regis *Hiſpaniarum* & *Infantis Iſabellæ* quietis ſuprà modum cupidæ; Sed dein, cum res loqueretur, pacta conventa, *ſi Rex ipſe non eſſet obligatus*, vim juſtam habe-

habere non posse, *nomine Regis & Provinciarum* simul tractari cœperat. In quam mutationem *Hollandia* cum tribus aliis Provinciis, tribus licet dissentientibus, consenserat. Quæ causa fuit, ut hæc res, per se difficilis & modo agendi & cautione præstandi conventa, *ante finem hujus anni* penitus abrumperetur, omniaque ad bellum reparandum instruerentur; *Belgarum fœderatorum* animis *Hispanicæ* gentis odio diffidentiâque adhuc ita occupatis, ut nullas pacis conditiones satis tutas cum illis iniri posse crederent. Tametsi plures *Hollandiæ* Rectores aliarumque non pauci nationum, sine præjudicio, statum *Hispaniæ* Regis *Austriacæque* domus præsentem & res fœderatorum considerantes, in hac erant sententia non immerito; jam tum *pace bellum tuto, utiliter, honorificeque* permutari posse; maximè cum impensæ belli, viribus, etsi rebus domi florentibus, longe majores essent, ac æs alienum, *Hollandiæ nominatim*, suprà modum quotannis augeretur; cujus Rectores ideo & hoc anno & aliis pene cunctis modum sumptibus fieri postulabant; inter alia, ut cohortes post *annum* XXVIII *seculi* conscriptæ dimitterentur. Quod tamen Princeps *Arausionensis* è re bellicâ non esse judicans & tunc & postea semper impediri curavit. Accedebat Galliæ Regis Legati perpetua oppositio, qui & Pacis cum hoste Tractatui assiduo interstrepebat, ostentatione majorum commodorum, quæ ex belli continuatione suique Regis amicitia atque societate sperari possent.

 2. Non

2. Non cessaverat, ipso durante tractatu, expeditio æstiva Principis *Arausionensis*, qui dum *Hagæ* de pace vel induciis agitur, *Rhenobercam*, Coloniensis oppidum ditionis, sed ab *Hispanis* primo, dein à *fœderatis*, nunc iterum *Hispanico* præsidio insessam, trium spatio Septimanarum compulit ad deditionem *initio mensis Junii* factam. Proinde cum æstas nondum adulta magnam præberet agendi facultatem, accidit, ut Legatus Galliæ *Charnassæus* cum Principe communicaret arcanum Regis sui consilium, invadendi & occupandi è vestigio *Lotharingiam*; cujus Ducem *Hispanis* fœderatum cum hi derelinquere non possent, verum cunctis suis viribus sine dubio adjuturi essent, pulchram *Arausionensi* aliquid hac ipsa æstate memorabile exequendi occasionem dari. Sedit hoc ita Principi, ac ideo, cum fœderatorum copiæ ad aliquid magni & audaciæ notabilis non sufficerent, opera data est, ut *Suecorum* & *Hessorum* equitatus è propinquâ *Westphalia* mercede conductus se cum Principe, *Milandro* & *Stalhansio* Ducibus conjungeret. Ac ita *Brabantiam* ingressi primo quidem obvium habuerunt Hispanorum exercitum sub *Marchione Aitonæ* & *Johanne* Nassavio. Qui numeris impares brevi ad *Demeram* fluvium recedentes, viam fœderatis apertam ad *Trajectum Mosæ* reliquerunt; Quo illi progressi, cum aliquandiu substitissent nec ulla se rei utiliter gerendæ facultas aperiret, transmisso *Mosâ* redierunt *Neomagum*: Unde *Sueci*

& *Hes-*

& *Hessi* mercede sua ablata, trans-*Rhenum* ad sua se receperunt. Eventus docuit, Gallos operam suam fœderatis expeditione *Lotharingicâ* venditantes, in hoc fuisse callidissimè, ut sibi ipsis consulerent, *Hispanis* extraordinariâ & terribili fœderatorum expeditione distractis & impeditis, ne *Lotharingo*, quod summopere eorum intererat, subvenire possent: Quemadmodum Galli *Nancyum* urbem & pleramque *Lotharingiam*, hac imprimis opportunitate subjugarunt. Exiit annus MDCXXXIII. quem clausit mors *Isabellæ Claræ Eugeniæ* Belgii Hispaniensis olim *Dominæ*, modò *Gubernatricis*, hac vitâ defunctæ noctu inter primam & secundam *Decembris* diem; cujus elogium habuimus in *Hispanicis*.

3. Rupto interim Pacis cum *Hispaniensibus* tractatu, quo Galli omnem operam, renitentibus in cassum aliquot *Hollandiæ* Proceribus, contulerant, Fœderatisque necessitate belli denuo circumventis, haud levis beneficii loco fuit accipiendum, quod Galli *mense Aprili* MDCXXXIV. promisere, se per septennium daturos quotannis decies *centena millia librarum francicarum*, præter alium *millionem* promissum *mense Junio* MDCXXX; quibus adhuc addituros se constituerunt *trecenta millia* ad sustentandam legionem pedestrem; Quæ præstatio pecuniaria cessaret, ubi Rex in bellum adversus *Hispanos* erupisset; quo casu commisso, *Fœderatis Ordinibus non liceret tractare cum hoste, nisi cum Rege conjunctim & ipsius consensu*; quemadmodum neque Regi

fas esset, *nisi conjunctim cum Ordinibus & ipsorum consensu* tractare cum hostibus. Si quis autem instituere tur tractatus, is *intra fines Unitarum* provinciarum fieri deberet; alioqui vox *conjunctim* abolita censeretur & maneret tantum, *Consensu.* Hoc inito fœdere, placuit, Legatos in *Galliam* mitti, quibus mandatum, ut quovis modo Regem ad *bellum Hispanis inferendum* excitarent. Et quo faciliorem illum haberent, jussi sunt amplissimis verbis extollere *beneficia Regis & Parentis ejus in Rempubl. suam collata, cum multa obtestatione gratitudinis, venerationis & promptitudinis ad qualibet officia & obsequia, quæ Rex à Republ. jure suo expectare posset. Adderet beneficiis suis continuationem & arma contra hostem suum inreconciliabilem jungeret, in communem utilitatem.* Plane ita locuti sunt; quasi una salus Belgarum fœderatorum, in eo consisteret, ut *Hispanis* è Belgio pulsis atque ejectis, *Galli essent ipsorum vicini.* Quo fine Legatis jam in Gallia agentibus missa fuit propositio; ut Francis quidem, pulso *Hispano*, cederent provinciæ *Hispanienses*, quæ *Gallicismo* utebantur; Fœderatis cæteræ, quibus *communis* linguæ usus esset. Etsi in partitione postmodum facta Galli satis indicarunt, se agros & urbes hominesque velle neque discernere linguas. Princeps etiam *Arausiensis* sua manu scriptam adhortationem Legatis impertitus est, quâ Regem ad bellum excitabat; & *Dunkerkam* proponebat, magnis cum promissionibus à se præ-

stan-

ſtandis, obſidendam. In quibus omnibus *Principem & Ordines* non niſi profunda uſos ſimulatione, quâ Regem ad arma capienda excitatum poſtea deſtituerent, ut *Nanius* adfirmat, nimis à veri ſpecie remotum eſt, quemadmodum alibi demonſtravimus. Hoc etiam tempore, quo res graviores majore ſecreti fide haberentur, additi ſunt Principi è ſingulis Provinciis, ſinguli Adſeſſores, cum poteſtate res ſecreti indigas ſeorſim expediendi. Quo inſtituto dum rebus agendis conſuleretur, libertas corrumpebatur. Sed nuper acciderat, ut arcanæ Principis ipſius literæ ad *Ordines Generales* datæ, confeſtim in manus Gallici Legati delatæ ab ipſo verſæ *Lutetiam Pariſiorum* mitterentur, gravi cum Principis querelâ: Unde hujus, ut videtur, inſtituti occaſio in ſingularis potentiæ inſtrumentum, non minore poſt experimentum invidiâ quam ſolertiâ converſa fuit.

4. Res bellicæ hujus anni ſic ſe habuerunt. Hiſpani ſub Marchione *Aytonæ* primi in campos prodierunt *menſe Junio*, cum XXIII. *peditum & ſeptem equitum millibus*, exercitu validiſſimo; quem Moſam verſus duxerunt, ubi caſtellum *Argentellum* in rupe quidem ſitum, ſed nulla arte munitum, vi ſumma adorti tertio die compulerunt ad deditionem. Inde *Luytium* caſtellum ſponte deditum occupavit *Aytona*, *Limburgum* fruſtra tentatum omiſit. Inde *Trajectum Moſæ* non tam oppugnavit, quam è longinquo obſedit. Interim Princeps *Arauſionenſis* initio

mensis *Julii* copias suas, *Neomagum* contraxit; Sed tardioribus ad sumptus faciendos Provinciis, cum putaret, hostem serio *Mosæ Trajectum* aggressurum nec ipse viribus opibusque par esset, *die* XIX *Julii* rediit Hagam, ut Batavos imprimis ad consensum in majores sumptus impelleret. Impetravit, ut sex millia *mercenariorum trimestrium* conducerentur, in præsidiis collocandi, ut veterani in campos educi possent. A *Galliæ Rege* tria millia equitum, item à Suecis ac Hassis è propinqua Westphaliâ, pro mercede *centum viginti millium florenorum*, auxilia rogabantur; Sed è *Galliâ* nihil venit & *Sueci Hessique* ad suas in *Germaniâ* res avocati sunt, ut Principi nusquam, nisi in se suisque præsidium superesset. Pridie *Kalend. Augusti*, *Hagâ* rursus excessit; *octavo Augusti*, *Vesaliam* venit, ad *Bercam* visitavit, in quam *Geldrienses* nuper insidias struxerant evanidas. Initio demum *Septembris Bredam* statuit obsidere, in exercitu habens XII millia peditum & equitum tria millia. serius in anno & longe minoribus copiis aggressus oppugnationem urbis, quam Spinola Marchio, poliorcetes & bellator acerrimus nonnisi munitionibus operibusque clausam per totam hyemem in *æstatem* usque *sequentem* obsederat. Sed non erat animus Principi ulterius obsidionem urgere, quam ut hostes à *Mosæ Trajectu* averteret; Quod cum factum intelligeret, ipse non cunctatus est suum quoque exercitum hostili minime parem abducere &

Octa-

Octobri mense in hiberna dimittere. Sub exitum anni magnâ cum pompâ receptus est Bruxellæ *Ferdinandus Infans Hispaniæ, Cardinalis & Archiepiscopus Toletanus*, qui Provincias Hispanienses, *Isabellæ* superiori anno defunctæ loco esset administraturus. Iter fecerat per *Italiam & Germaniam*, ubi victoriâ *Nortlinganâ* *inclaruerat* & *Bruxellam* venit die *quarto Novembris* CIↃ IↃC XXXIV.

5. Sequens annus fœdere & conjunctione Gallorum, *de qua in Gallicis egimus*, est memorabilis; Fœderis sententiam *illic* habuimus, imprimis, *conditionem derogatoriam libertatis ineundi pacem aut inducias aliter quam conjunctim & mutuo consensu*; cujusmodi pactionum utilitas semper est penes potentiorem. De rebus autem gestis communia cum Gallicis jam dicta omittentes, indicta si qua sint, cum cæteris, hoc loco persequemur; ubi primo collocatum fuerit, mense *Februario* allatum fuisse nuntium de captâ per Societatis Indiæ Occidentalis Duces *Paribâ* in *Brasiliâ*, quam *Antonius Albuquerquius mense Decembri* præcedentis anni *Schoppio & Artischovio* cum bis mille trecentis militibus, dedere compulsus erat & res Societatis satis feliciter progrediebantur. Non æquè copiosa ferebatur res domestica Principis *Arausionensis*; qui splendidam & pene Regalem habens Aulam, ut erat magni Princeps animi, ab ærarii sui præfectis edoctus, *impensas excedere Proventus licet amplissimos*, in tempore modum sumptibus statuendum judica-

vit, abolitis aliquot menſis & miniſteriis. Tametſi autem Reſpubl. non minus hoc indigeret remedio, quominus tamen idem illi ſit adhibitum, *novo fœdere Gallico & glorioſis ejuſdem Principis expeditionibus*, impeditum atque in deterius provectum eſt: Quemadmodum & ipſius patrimonium dein Anglicano matrimonio pecuniisque Regi adfini ſubminiſtratis magis magisque gravari & coarctari cœpit.

6. Menſe *Majo*, Hiſpani munimentum à *Philippo* Rege dictum, ſed Fœderatis inſeſſum nocturnis inſidiis occupare conati fuerant. Verum detecti à Nauta, qui natando præveniens hoſtem, præſidiarios excitaverat, repulſi, dein ſubmiſſis *Fliſſingâ* auxiliis, quibus loci opportunitas patebat, re infectâ diſcedere coacti ſunt: Minus fauſto *Cardinalis Infantis*, cujus hoc primum ſpecimen fuit, initio & omine, quod homines ab auſpiciis libenter colligunt! Sed quam fallaces ſint ejuſmodi conjecturæ è ſucceſſu hujus æſtivæ expeditionis patuit; quæ nunquam majore potentiâ & terrore nec unquam minore damno *Belgis Hiſpanienſibus* incubuit, exercitu *ſexaginta millium* fines eorum ingreſſo. Illum enim numerum junctæ *Gallorum & Batavorum* vires facile conficiebant. Quam vero tam immani apparatu nihil actum ſit, in *Gallicis* demonſtratum eſt. Mala captivitatis armatæ, quibus adflicta eſt *Teena* civitas, inutilia reddiderunt *Edicta* blanditiis & promiſſionibus impleta, quibus *Brabanti* & *Flandri* ad defectionem à Rege *Hiſpaniæ* & ample-

plectendam libertatem incitabantur. Irrita *Lovanii* obsidio terrorem duplicis exercitus, qui rerum necessariarum & utile quicquam efficiendi inopiâ, numeris & alacritate plurimum imminuti ad fœderatorum *Belgarum* fines recedere coarctati sunt, in contemptum verterat. Cùm autem Princeps *Arausionensis* in animo haberet, longinquâ victoriarum deficiente materiâ, finitimam & mansuram acquirere, *Geldriæ* civitati intentus, nuntio repentino fides adhuc semel est facta vetustæ observationi à majoribus ad nos transmissæ; *magnos & terribiles apparatus Belgarum fœderatorum*, in irritum cedere, *Deum benedictiones suas parvis & diligenter administratis* impertiri *conatibus*. Nuntiatum est, munimentum *Schenkianum*, quod est in extremâ insulæ *Batavorum* ripâ, nocturnis insidiis *die* XXVI. *Julii* ab *Hispanis* esse captum; quo tum quidem nulla majoris momenti civitas aut arx à fœderatis tenebatur; unde *Gelria*, *Transisulania*, pars *Hollandiæ Frisiaque* & *Groningensis* agri ad contributiones, quibus accipiendis non solvendis adhuc erant adsueti fœderatorum populi, compelli aut igne ferroque infestari poterant. Administraverat has insidias *Eenhovius* Embdani Comitis Legatus apud *Geldram* urbem; Adeo ut cui loco fœderati inhiabant, inde bolus ipsis, quem tenebant, optimus, è faucibus sit ereptus. Malè prospectum erat loco præsidiariis, qui *centum quinquaginta* numerum non excedebant, & *Amiralitas Amstelodamensis* navem bel-

 licam

licam in divergio *Rheni* & *Vahalis* excubantem, nuper ut supervacui sumptus, abduci jusserat. Quod rimatus *Eenhoutius* & à quibusdam loci peritis manuductus, cum militibus *quingentis* duobus locis vallum superavit arcemque repugnantibus acerrime præsidiariis in potestatem redegit, præfecto *Weldereno* gratiam ab hostibus oblatam adspernato & cum plerisquè suis interfecto.

7. Arausionensis procul habitâ *Geldræ* capiendæ, ne dum *Brabantiam* & *Flandriam* omnem, pulsis *Hispanis*, acquirendi, spe, confestim ad *Schenkianam* arcem recuperandam se contulit. Neglexerat equidem vel non potuerat *Eenhoutius* in tempore *Tolhusium* munimentum occupare, seque in adversa Rheni ripâ munire, neque vero Princeps ita hostes circumvenire potuit, ut auxilia obsessis intercluderet. Opus ad hoc fuisset inter *Cliviam* & *Rhenum* castra facere; at hæc muniri non poterant, *Cardinali Infante* cum exercitu XXVIII. millium approperante & Principe copias suas juxta Rheni ripam diffundere coacto; Galli vero jam tum fame omniumque rerum defectu per stipendiorum inopiam, redacti erant in statum miserabilem. Cum igitur dextrum latus apertum esset, *Hispani* obsessis auxilia quoties & quanta vellent, submisere, difficilemque eâ re loci expugnationem fecere, murmurantibus fœderatorum populis, dum, quod à rebus erat incommodum, Ducibus imputabant: nec enim curiosis & malignis hominibus, quo genere *Bel-*

garum

garum plebes abundant, parum materiæ insectandi dederat, hujus quàm magnificè inchoata tam miserè finita æstatis expeditio: Insignita postremo *Limburgi* jacturâ, quam civitatem Marchio *Ledanus* à XVI. *Octobris die usque ad* XXX. obsessam, vi armatâ cepit; arce præfectus *Ferentius* honestis conditionibus cessit. Schenkiana obsidio ad initium usque *Novembris* continuata est; Principe aut Ordinibus, aliter quam arce captâ, inde recedere nolentibus. Vis autem, qua sola capi poterat, auxiliorum viâ semper à parte Cliviæ apertâ, ob situm loci tarde procedebat. Ac ideo Legionibus abductis, in munimentis veteribus & novis, quibus denuo locum cinxerant, tot cohortes reliquere, quot ad urgendam è longinquo obsidionem requirerentur, *Principe* per hyemem *Arnhemii*, ut è propinquo rebus invigilaret, commorante, quin etiam *Ordinum Generalium Consessu* illuc translato.

8. Hoc tempus adversum molestumque fœderatis Hispani opportunum rati sunt, quo de pace vel induciis, tractatus renovaretur; quâ de re *Cranenburgi* & *Turnhouti* colloquia quædam inter duos utrimque delegatos, inde *Martinum Axpium*, hinc *Muschium* Graphiarium, prætextibus aliis, habita sunt. Verum re, sicut erat, cum *Gallis* communicatâ, *Brezæus* & *Charnassæus* Legati, rationes admodum prolixas, non sine exprobatione beneficiorum à *Gallis* in *Belgas* fœderatos collatorum, deduxere, quur salvâ fide, dignitate, salute tractatum illum continuari non opor-

oporteret, quemadmodum brevi deinceps abruptus est; sponte suâ magis quam per auctoritatem Gallorum, quæ per hæc infausta initia defectumque rei pecuniariæ manifestum, apud Belgarum populos erat exigua. Qui tamen sic etiam satis ex re ipsa, quantum pacto de non facienda Pace, *nisi conjunctim & cum Galliæ Regis consensu*, de libertate suâ decessisset, intellexerunt. Arx Schenkiana tandem *sub finem Aprilis* MDCXXXVI. ad deditionem coarctata fuit; maxime, postquam *Clivia* & Castellum à *Ferdinando* dictum in adversa Rheni ripa, è quo *Schenkiana* tormentis lædi & auxilia impediri poterant, à *Wilhelmo Nassovio*, missu *Arausionensis* in potestatem Ordinum redacta fuerant; *Hispanis* cum XII millibus peditum & IV millibus equitum frustrà, quia serò, in auxilium accurrentibus.

CAP. II.

De rebus Belgicis per annos 1636 & 1637.

REx *Galliæ* quanquam per legatos ita præ se ferebat, in *bellum* se adversus *Austriacos* erupisse, non tam suâ quam fœderatorum suorum causa, totus in hoc fuit, ut omnes à pace cum *Hispanis* averteret, quâ re confectâ, metuens ne ad idem consilium relaberentur nec ignarus quam malè *Belgis* de belli socialis auspiciis Gallorumque operâ superiori æstate navata satisfactum esset, tantum abest, ut quod *Itali* inter-

interprete *Nanio*, credidere, Belgarum fraude ſuum exercitum periiſſe putaverint, uti potius errores ſuos excuſando, pactionem fecerint initio anni MDCXXXV, præſtituros ſe *mille quingenta librarum millia*, pro ſolvendis impenſis, quas *Belgæ* hoſpitiis *Gallicorum* militum curandis erogaverant & pro ſupplementis militum ſuorum procurandis, alendiſque duabus legionibus Gallicanis, quas re & Rege ita poſtulante in Galliam terram mitterent fœderati, neque eis annum de ſuis copiis ullas dimitterent.

2. Hæc quidem pacta convenerunt: At non ideo ad æſtivas belli actiones feſtinabant *Ordines* & *Arauſionenſis*; ſed legiones ſuas expeditione præcedenti, quæ ad ver uſque adultum duraverat, fatigatas quiete refovere ſtudebant. Quâ de re ſemel iterumque Gallis inſtanter queſtis, eo quod *Hiſpani*, duriter ipſis incumbebant, reſponſum eſt die XXX Julii, multo cum honore verborum & excuſatione neceſſitatis, daturos operam *Ordines*, *ut quamprimum exercitus ſuus in hoſtem educeretur*; quam rem blanditiis & liberalitate potius quam aſperioribus querelis Galli promovere ſatagentes, literas Regis gratias agentis exhibuerunt & ſaccos *piſtolarum* plenos Proceribus, *quaſi in præmium navatæ fœderibus operæ*, diſtribuerunt, quos etiam decreto publico ut honorarium acceptare viſum eſt; Idque è continenti ſequuta eſt obteſtatio *Gallorum*, ne copiarum quicquam, ut *Hollandiæ Ordines* imprimis enixe flagitabant, dimitteretur, quâ in

re

re Cöoperantem habentes *Arausionensem Principem*, facile quod voluerunt, adsequuti sunt; facilius quam *Oosterwijckius*, *Belga* Legatus *Lutetiæ Parisiorum* obtinuit solutionem pro navibus *Belgarum*, quas Galli ad obstruendum *Rupellæ* portum olim demerserant, & stipendia sumptusque Classis, quæ sub *Hautainio*, contra *Reformatos* malis auspiciis dimicaverat; quos sumptus adhuc quidem Galli nullo modo reddere voluerant, ratione licet nullâ, nisi occultâ Nemesis divinæ: nec unquam partem dimidiam ejus quod debebant, solvere precibus licet præmiisque solicitati in animum induxerunt.

3. Sed domi interim, præcipiti jam æstate, *Mense Augusto*, castra libera & æstiva juxta *Graviam* publicata sunt, quo *Princeps* sub *finem prædicti mensis* accessit. Quia tamen nihil agi posse manifestum erat, nec aliud quam Gallicarum querelarum erat *complementum*, expeditio tota, Nationes sumptus necessarios tarde subministrabant, non modo extraordinarios Castrenses, sed etiam ordinarios stipendiorum: Audita *Bouliquæi Ducis*, cum ad præsidium ipsi commissum, quod erat *Trajecti ad Mosam*, se conferre juberetur, querelâ, *militibus suis quatuordecim mensium DOMINICORUM, qui dicuntur, stipendia deberi.* Quin usu venit, ut centuriones quidam hac causa ad hostem (res in Ordinum militiâ inaudita) transfugerent; denique, ut Princeps insolens inopiæ, per Legatos Ordinum Castrenses, acriter ac impatienter, nervum belli

flagi-

flagitaret, exceptâ ejus voce; *Si pecunia non datur ad bellum, nihil potius est quam ut ensem ego deponam.* Imo *Deponat*; ita, fuerat è Proceribus qui hoc dicto relato, subjecerat; *non deerit, qui depositum tollat ipsoque amantius utatur & cum res feret, libentius ponat.* Neque cessabat rumor malignus designare, *quis ille foret*; Sed *Princeps* inquisitione leviter factâ, cum auctor dicti ad infitias iret, prudenti silentio vocem utramque suam & adversam temere prolatam involvi passus est. *Novembris* initio reversus *Hagam* Princeps omnium primò exceptus est querelis Ordinum *Hollandiæ*, de numeris copiarum abundantibus, nominatim *quæ post annum sæculi* XXVIII. *continuatæ fuerant*, quas omnino dimitti flagitabant; etiam ut serio, si reliquæ Nationes cunctarentur, se cohortes sibi injunctas, seorsim dimissuros, minarentur. Quod *Princeps* & cæteri contra fœdus *Ultrajectinum* esse; Batavi id negare, quin *idem fœdus* excludere *pluralitatem* suffragiorum in rebus ad onera pecuniaria spectantibus, queis nemo, nisi ex Consensu teneretur. Sed moles negotii & solitudo *Hollandiæ*, reliquis acquiescentibus & Gallici Tractatus Castrensis, quo id erat prohibitum, *ratihabitio*, quam adhuc desideratam *Charnaçæus* hac occasione protulit, *Hollandos* ab exauctoratione separata retardavit.

4. Quod autem hanc terrestris militiæ diminutionem illi imprimis sed inrito successu urgebant, id in rem suam vertere satagerunt. Etenim

enim peiratæ *Dunkerkani* infinita mercatoribus & nautis, quorum longe major pars erant ex Hollandiâ, inferebant damna, quæ nulla vi aut induſtriâ prohiberi poterant; ſiquidem piratæ, portu licet obſeſſo, navibus expeditis & deterſis uſi, ventis tenebriſque ſuo commodo captatis, excubantes naves *Belgicas*, quæ ad expediendas ſe, temporis indigebant, eludere altumque priuſquam illæ ad inſequendum ſe compararent, petere conſueverant. Plebs tamen detrimentorum impatiens navium præfectis & Rectoribus culpæ noxam imputabant; quorum ſane etiam, ut fit, negligentiâ vel ambitio non immerito arguebatur. Quare ut popularibus querelis aliquo modo ſatisfieret, placuit à *mutatione remedium quæri*, quod fuit, hujuſmodi; ut Claſſis, quæ perpetuo *Flandriæ* portus obſideret & mercatorias naves tueretur, conſiſteret è viginti duabus navibus, inſtructis *viginti octo machinis bellicis* & aliquot lapideis, *cum nonaginta ſociis navalibus* & *viginti militibus*, comprehenſis eo numero ductoribus. Sic tamen ut Prætoria navis eſſet major, habens CXLVIII. nautas & *quadraginta* milites; ſcilicet, nautis in præliis quoque navalibus operam pugnæ dare ſolitis: *Sub-Prætoria* haberet *centum* nautas & *triginta* milites. Hæ naves primo quidem per *Amiralitatum* Collegia inſtruerentur; at ſemel inſtructæ, ſingulis nationibus pro ratâ ſuarum contributionum adſignarentur: A quibus ad earum ſuſtentationem adhiberentur aliquot pri-

privati, *Directores* appellati, qui non ſubjecti *Amiralitatibus*, ſub idoneâ cautione, pro certâ pecuniæ ſummâ à ſingulis Provinciis accipiendâ naves ex præſcripto inſtruerent & ſuſtentarent; *reſervatâ Amiralitatibus juriſdictione ſuper Commiſſis & prædis*; delicta ſecundum leges militares à Conſilio *thalaſſiarchæ* naviumque præfectorum judicarentur. *Imperium in hos & in ipſas naves deferebatur Arauſionenſi*, ut ſupremo maris Præfecto, & Proceribus, quos ipſe ex *Ordinum Generalium* Collegio *adſumeret*. Eo quippe rem Princeps adduxerat, ut non modo prætextu arcanorum, quod ipſe cum ſingulis è ſeptem nationibus ſibi adjunctis ſtatuiſſet, haberet vim decreti publici, *ſed ut etiam ipſe quos vellet, eâ gratiâ in Conſiſtorium ſuum vocaret*; quo pertinet adſumendi vocabulum in hoc decreto XXX. *Decembris* MDCXXXVI, quemadmodum de facto pridem fuerat, uſurpatum. Fuere qui mutationem hujus dicti flagitarent, evanido conatu, Principe non modo in poſſeſſione, ſed etiam in legali auctoritate, *quos vellet adſumendi* remanente, per hoc ipſum decretum. At inſtitutum illud *Directorum*, ſive incommodis inde reſultantibus, ut accidit extraordinariis Collegiis; ſive quod *Amiralitates* juri ſuo hac ratione derogari ferre non poterant, dein minutum & tandem abrogatum eſt; manente tamen onere *Provinciis* impoſito ad navium ſuſtentationem: ut appareret *oneris* introductionem eſſe quæſitam ab *Hollandis*, *Directorium*, plebis gratia fuiſ-

ſe conſtitutum & Procerum cauſa in tempore deſtructum.

5. Menſe Septembri, fuerat *Hagæ Batavorum Gulielmus* Haſſiæ *Caſſellenſis* Lantgravius, è ſua ditione pulſus è Cæſareanis, ſed exercitum alens ex *Epiſcopatu Monaſterienſi & Archiepiſcopatu Colonienſi*, quarum regionum Domini tùnc erant inermes *Epiſcopi*. In his regionibus ſubſiſtere non poterat, *niſi indultu & ſub alis Ordinum fœderatorum*, qui non libenter alioqui tales hospites in vicinia ſuâ videbant; haud injuriâ metuentes, ne *Cæſareanis* huc etiam defluentibus, periculum pro ipſis crebreſceret: *Lantgravio* tamen pro partibus fœderatis exſilium paſſo, habenti commendationem Regis *Galliæ* & favorem Principis *Arauſionenſis*, non modo nihil impedimenti objectum; ſed etiam auctus eſt *octuaginta millibus Imperialium*, quæ Ordinibus tributi nomine à *Ducatu Juliacenſi* debebantur. Ipſe deinde à *Gotzio* Duce Cæſareano, à quo ex Haſſia pulſus erat, magis coarctatus, quædam loca prius inſeſſa deſeruit & receſſum propiùs Belgicis finibus inſtituit; donec anno ſequente, Friſiam Orientalem occupavit, poſtquam rumor ortus & auctus fuerat ipſis *Fœderatorum* Ordinum literis, Cæſareanos illic hiberna ſibi deſtinare; quo placabilius, ut videtur, *Haſſorum* hoſpitium acciperetur. *Sed Lantgravius* tantum quod ingreſſus Provinciam, *Lehræ* morbo correptus deceſſit. Cujus vidua *Elizabeth* Hanovienſis cordata & ſtrenua Princeps cum funere

nere Groningam digressa, illic, dum exercitus suus *Frisiorum* sumptu se refoveret, commorandum putavit.

6. Hoc etiam anno Societas *Indiæ Occidentalis*, quo res suas majori auctoritate propagaret, *Johannem Mauritium*, *Nassaviæ Comitem* adscivit Gubernatorem & militiæ Præfectum in *Brasilia*; quod munus *Augusto mense* in Consessu Ordinum Generalium ei confirmatum est; *eâ conditione per Ordines ei concessa*, ut Tribunatum & Centurionatum, quo heic fungebatur, interim retineret & commodis eorum stipendiisque frueretur. A Societate accipiebat, ad instruendum se, inde ab initio *sex millia*, pro stipendio *mille quingentos florenos menstruos*, præter liberam mensam, & de prædis duo de *centum*, *Concionatorem*, *Medicum*, *Scribam* sumptu *Societatis*; Famuli reliqui stipendiis militaribus, adscripti cohortibus fruerentur. Quem hæc res successum habuerit, *infrà* intelligemus.

7. Primus *anni sequentis* actus fuit, honos Principi *Arausionensi* delatus à *Galliæ* Rege, quo Principi antea nonnisi *Excellentiæ* titulo cognito, imposterum *Celsitudo* adscriberetur, idque eodem tempore, quo ipsos *Ordines Generales*, tralatitiâ *Dominorum* & *Dominationum* appellatione volebat esse contentos, Legatis autem Ordinum negabatur à Gallis *Excellentiæ* titulus aliique honores Legatis summarum Potestatum soliti. Quasi prædictis *Ordinibus* inculcare voluisset, omnem illorum dignationem à Princi-

pali *Arausionensi* splendore petendam eoque referendam esse. Cujusmodi blanditiis id consecutos fuisse Gallos, ut Princeps ab hoc tempore se illorum consiliis arctius adjungeret Ordinesque illis æquè intricaret, ut bellum adhuc ultra decennium immenso Reipubl. gravamine sit continuatum, æmuli Principis cavillabantur. Sane eodem tempore potentia Principis notabili accessione corroborata est, eo quod ab *Equestri Hollandiæ West-frisiæque* Ordine primus Nobilis declaratus est; habens ea ratione primum in Hollandiâ suffragium & Prærogativam notabilem.

8. Porro, cum *mense Aprili* insidiæ adversus *Hulstam Flandriæ* jussu Principis structæ in irritum cessissent., Princeps nonnisi *Junio mense* ad æstivam expeditionem sese molitus est; retentus aliquandiu tarditate consensus, quem *Hollandia* conducendis trimestribus mercenariis adferebat. Sparsus erat rumor studiose, Fœderatos in *Flandriam* cogitare; quando Princeps classe trium *fere millium* onerariarum, subito ab arce *Zeeburgo* in *Brabantiam* se contulit, obsessurus *Bredam*; quo ipse tamen non venit ante diem XXIII *Julii* mensis & *Cardinalis Infans* initio *Augusti* suo cum exercitu adfuit in viciniâ. Sed *Arausionensis* Castra foris tam validè muniverat, ut *Cardinalis* eâ parte desperans, *aversionis* viam tentaverit, insidiis adversus arcem & insulam *Voernam*, juxta urbem *Thielam*, instructis, quibus detectis & abortientibus *Venloam* ad properam deditionem, Gubernatore civium

pre-

precibus mulierumque fletu emollito, poſt tridui oppugnationem adegit, die xxv *Auguſti*, Præfecto *Brederodio* fugâ ſubducente ſe capitiſque damnato. Inde Cardinalis *die tertio Septembris Ruremundam* iiſdem conditionibus occupavit. Interim ad *Bredam* res acerrime gerebatur, ubi *Kalendis Septembris*, *Charnaſſaus* Galliæ Regis Legatus & novo exemplo *Tribunus* in exercitu fœderatorum occubuit. Continuata eſt oppugnatio potius quam obſidio vi induſtriâque ſummâ, uſque ad *ſeptimum Octobris* diem, quo *Hiſpani* fecere deditionem. Auctus eſt hac meritâ laude Princeps *Arauſionenſis*, quod urbem munitiſſimam *ſex hebdomadarum* ſpatio cepiſſet, quam celeberrimus & excitatiſſimus Dux *Spinola* totius ferme anni ſpatio, non vi, ſed fame in poteſtatem redegiſſet. Quantam Princeps operam parcendis hominibus dare ſolitus ſit, inde colligi poteſt, quod in hac acerrima oppugnatione *ſesquimeſtri* & amplius, non occubuerint *octingentis & quinquaginta* plures, vulneratis *mille trecentis*. Cum quo ſi hodiernæ ſimilium expugnationes urbium comparentur, quantopere belli rationes mutatæ ſint, animadverti poteſt. Sub finem hujus anni *Dorpius* Thalaſſiarcha vir nobilis nec populo neque Proceribus ſatisfaciens munus ſuum abdicavit, quod collatum eſt in *Martinum Trompium* Brielanum ab ineunte ætate mari innutritum, cujus induſtria & fortuna longe fuit illuſtrior. Subjunctus ei eſt *Vitus Viti de Wit*, æquè Brielanus &

ejusdem ferè sortis, quorum res gestæ melius impleturas hominum aures, quam à *Dorpio* factum fuerat, auguramur.

C A P. III.

De rebus actis in Frisiâ & terminatis anno 1637.

IN *Frisiâ*, cujus post *Hollandiam*, præcipua Fœderatorum gens est, hac tempestate res actæ sunt, quæ non solummodo, quod nostra sit Patria, sed etiam *Historiæ causa* omitti non debent. Opes populi in Agricultura maxime consistunt: Unde & Respubl. ab omni antiquitate penes agrestes, distinctos in tractum *Orientalem*, *Occidentalem* & *Sylvestrem* fuit, Urbibus XI numero, *ægre ad quartam regiminis partem hoc novissimò tempore admissis.* Agrestes distinguuntur in *Nobiles* & *Prædiarios*, qui possident Prædia ab antiquo habentia jus suffragii in publicis causis. Horum cum infinitus sit numerus, ita receptum est, ut è singulis Præturis, in quas Ager est discretus & è singulis Civitatibus bini mittantur Legati ad obeunda *Comitia*, in quibus de summâ Republ. agitur, *annuâ cum potestate:* quotannis enim novi delegantur. Hi Legati vocantur *Procuratores*, quia tales inde ab initio fuere, quemadmodum adhuc sunt Legati *Comitiorum* in *Hollandiâ*. Sed in *Frisia* Procurationes inde ab anno hujus seculi XXIX, ut Ordines in Edicto apud Snecam nostro tempore co-

re coacti, scripserunt, ita concipiuntur, idque dudum invaluit, ut *independenter* à suis delegantibus de pacis bellique negotiis libere statuant, quod ipsis è Republ. videtur, *salvis legibus*, duntaxat, *fundamentalibus*. Administratio civilis & criminalis justitiæ est penes *Curiam Supremam*, quæ tempore Principatus una cum *Præfecto Supremo*, non modo juridicam sed etiam Politicam nomine Principis absentis habebat potestatem. Sed libertate constituta, juris publici administratio *Legatis Ordinum* commissa fuit, manente juridica potestate tam criminali quam civili penes solam Curiam, *privativè*, ut Ordines ipsi sæpe loquuti sunt. Quod Curia sic interpretata est, ut Ordines etiam se ipsos, omni jure & dispositione circa civilis & criminalis Justitiæ administrationem *privaverint*; his aliter eam rem, scilicet, explicantibus. Sed est certum, in nullâ gente fœderatorum, *Curiam* esse liberiorem & minus quam hæc est, obnoxiam imperiis regnantium. Quod à majoribus ita constitutum, optimo *Justitiæ* publico adhuc observatum est. Sed ex Veteri sub Principibus statu manserat apud eam *electio Magistratuum oppidanorum* per omnem Frisiam, exceptâ *Leovardiâ* & *Franekerâ*, quæ suos ipsæ Rectores eligebant; de cæteris *Gubernator* & *Curia* disponebant. Per hanc autem eligendi facultatem, *Magistratus* Urbium & legati illorum ad Comitia, penitus à Præfecto Curiâque dependebant, ac ita pars quarta Regiminis satis erat in illorum manibus.

 Cum-

Cumque in cæteris tribus partibus frequentes orirentur dissensiones, non erat difficile viris prudentibus & amplissimâ juris dicundi potestate præditis in universum prævalere; quemadmodum se res fere habebat & pridem habuerat *anno hujus sæculi* XXXV. continuatis per multos annos in *Collegio Novemvirali*, in quo sunt Ordinum Legati quotidianam Reipubl. administrationem habentes, Viris à Curiâ dependentibus.

2. Tam notabilis Togatorum potestas multis è Proceribus displicebat, æquum censentibus, *ut Curia juridicis contenta* publicis regimentis abstineret, eaque ab Ordinibus solis eorumque Delegatis curarentur. Atque ut eo rem deducerent, primo studium boni publici præ se tulerunt; *Ærarium Publicum male administrari, Quæstorem* nonnullis è Curiæ Senatoribus propinquum vel adfinem *immanis pecuniæ esse reliquatorem.* Illo excusso aliisque rationibus, quas ipsi Reipubl. admoti stabilirent, introductis, præveniri posse, *ne plebs amplius oneraretur.* Hujusmodi suggestionibus effectum est, ut *prædicto anno* XXXV. ad *Comitia* delegati sint, qui Curiæ adversarentur, quod sine alia novitate fieri non poterat. Nam penes Legatos Novemviros ex antiquo more jus est examinandi Mandata Procuratorum ad Comitia, qui in dubiis pro suâ factione judicare præsumuntur, ac ita influxum in Reipublicæ constitutionem validissimum possident. Cum id inique fieri plures quererentur,
Ordi-

Ordines Revisionem examinis illius injunxerunt *quinque Senioribus Curiæ Senatoribus*, è quibus aliqui se jam novis Proceribus aggregaverant. Ab his tot Legati à Novemviris rejecti, sunt admissi, ut Prærogativa sine dubio penes Novos esset in Ordinum Consessu, verúm quia multi, maximè Sylvestres aderant infrequentes & Ordines Urbani erant pro Gubernatore Curiaque, opus esse viderunt, ut operam darent, quo Procuratores è Civitatibus, sibi haberent addictos. Quod aliter adsequi non poterant, quam si eligendi Magistratus facultas, *Præfecto & Curiæ* adimeretur. Quo ut via sterneretur, illa potestas supra liberas Civitates, tanquam *Regia* traducebatur: *Exercitam fuisse olim jussu & nomine Regis absentis, quo remoto, potestatem ab illo delegatam æque cessare oportere.* Hanc rationem, quæ & ipsum *Præfecti* officium feriebat, omnium primo *Dockumani* quidam amplexi, auctore *Marco Aitsema* Consule, cujus Pater *Meinardus, Amiralitati* à Secretis, præcipuus novatorum erat Consiliarius. Ab his igitur oblato libello, Rescriptum impetratum est, quo *potestas illis fiebat, imposterum suos eligendi Magistratus, secundum libertatem*, ut habet Rescriptum, *armis partam*; *auctoritate Curiæ*, quæ hac *parte tolerata fuisset, nunc penitus sublata ac interdictâ.* Ad impediendam hanc novitatem Comes Gubernator in Frisiam è Castris *Schenkianis* profectus, cum prius per literas, etiam ad *Consistoria* quædam, *exemplo notabili*, scriptas, novæ rei actores deterrere conatus fuisset,

impedire tamen non potuit, quominus Civitates novum jus amplecterentur; plerisque etiam non sine motu populari, veteres magistratus à Præfecto Curiâque constitutos abrogantibus & novos è continenti eligentibus. Ita Ordines cum Octo civitatibus, *exceptis tribus è minimis*, denuo statuerunt, *Præfecto* & *Curiæ* posthac Electione Magistratuum penitus abstinendum *die* v. *Nov.* 1635. postridie ipsi *Comiti Præfecto* & *Senatoribus* in solenni Ordinum Consessu, ad hoc nominatim vocatis novâ lege prælecta & insinuata.

3. Sed *Henricus Casimirus* animo nimis generoso præditus, quam ut tam facile se jure suo privari pateretur, rationes suas exposuit, quibus illud decretum illegitimum nec obligatorium censeret. Cum ea de re quidam Proceres minus è decoro illum & acrius reprehenderent, cujusmodi censuram toti Ordinum Consessui relictam oportuit, res desiit in rixam. Et *Gubernator*, qui sic existimaret, *Decretum non esse majoris Ordinum partis Consensu factum*, *eo quod* nec Sylvestrium pars major adfuisset & *Magistratus Urbium tempore non justo per tumultum creati essent*, fretus *Ordinum Generalium Legatis*, qui tunc aderant in *Frisiâ*, manu militari, novis Magistratibus abdicare potestatem veteresque restituere statuit; in quo conatu ab Ordinibus & Civitate *Leovardiensi*, tum quidem impeditus fuit. Curia satis quiete pro gravitate Senatus se continebat, & die *Novembris* IX. vocati in Ordinum Consessum singuli Senatores rogatique

an

an acquieſcerent *Decreto de Magiſtratibus* eligendis, acquieſcere ſe reſpondərunt. Unde negotium exinde totum ad *Comitem Præfectum*, qui rem inde fecit, ſpectare cœpit.

4. Satis conſtabat, *Ordinibus Generalibus* nihil eſſe juris in hoc negotio merè Provinciali; Sed quia *Friſii* contributiones, in quas conſenſerant, non præſtabant, jus illas exigendi, & ſi non ſatisfieret, ex fœdere ſcil., *cogendi* Ordines comparatum erat: eâque occaſione manu armatâ inſtructi poteſtatem arbitratu ſuo, ad alia quælibet extendere poterant; ſed tum quidem Manus adhuc deficiebat, ideoque nihil actum adverſus prævalentem Procerum partem, etſi in literis mandati ſui ab *Ordinibus Generalibus* acceperant promiſſionem, fore ut ſufficientibus copiis ad executionē inſtruerentur; ſed obſidio Schenkiana tum non patiebatur. Interea Proceres, quos non fugiebat, quantū in *Hagâ & in Principe* ſitum eſſet momentum, operam dabant, ut Aulæ approbationem impetrarent. Sed *Principis* intererat, Gubernatores Provinciarum non exui ſuis juribus; hoc potius agendum, ut augerentur, nec cauſa videbatur, cur is Agnatum florentem ætate militarique virtute juvenem, quibuſdam in Friſia *Dominationibus* ignotis poſtponeret. Majus operæ pretium feciſſent, ſi rem pecuniariam expedire bellique oneribus, ut Legatos Ordinum Generalium manumque militarem amolirentur, ſatisfacere potuiſſent. Poſtulabatur immanis ſumma *ſex millionum* & amplius. Sed Friſii conten-

de-

debant, summâ id injuriâ fieri; si rationes omnium Provinciarum excuterentur & conferrentur, inde ab *anno* 1586, quod à se factum demonstrabant, ita constiturum, plerasque Nationes majoris summæ reliquatores esse quam Frisios. Interea Quæstorem suum in carcerem conjectum vehementer urgebant; Cohortes militares è vicinis locis ad præsidium suum evocabant: sed harum ductores & præfecti locorum, in quibus agebant, à *Comite Gubernatore* loco se movere vetiti, præsto non fuerunt.

5. Interea cum prudentiores aut timidiores, partium vires magis quam jura comparantes, eam partem, quæ *Curiam, Gubernatorem, Ordines Generales* & Principem *Arausionensem* haberet adversos, aliquando succubituram crederent, sensim ab eâ se diviserunt; inter quos fuit *Anchises Andla Medicus* è Tractu Occidentali procurator Comitiorum, qui dolens ex illo tractu electum esse Novemviralis Collegii Adsessorem *Johannem Klingbylium* æque Doctorem Medicum, tribus septimanis postea, per alios ex eodem tractu, sese ad eum locum tempore modoque valde inexpectato & extraordinario eligi curavit, sedemque dignitatis intrepidè occupavit, cum *Klingbylius*, etsi plus juris habens, præ metu cunctaretur. Sed hujus Auctores juris sui fiduciâ legatos minus anxios in Collegium *Novemvirale* miserunt, qui prælecta Protestatione contra sessionem *Andlæ*, jusserunt hunc surgere & evacuare locum alii debitum; quod cum facere nol-

nollet, duo ex illis eum è ſella Novemvirali detractum ac interim ſeu vi ſeu ſponte prolapſum & rurſus erectum ex Aulâ per gradus ſatis imperioſè eduxerunt. Quâ de re *Andla* conqueſtus apud Curiam, Adverſarios in jus vocari petiit ac impetravit. Ordines, quorum res ab hoc inprimis tempore magis *impetu factioſo*, quam *aquabili gravitate* procedebant, officium Curiæ conati ſunt interrumpere, novo Commento *Inſtructionis*, quâ Senatores ad obſervationem multarum rerum partim haud inutilium, partim dignitati Ordinis minus convenientium obſtrinxerunt, eoſque die XXVIII. *Octobris* MDCXXXVI. jurejurando in novas Leges adegerunt, præeunte reliquis *Johanne à Sande*. *D. Saekma* primus in ordine, qui pro novis partibus erat, per morbum aberat, ut *Aitzema* ſcribit; Mihi ex uno è Senatoribus, qui tunc aderant, relatum eſt, interfuiſſe *D. Saekma*, qui cum ſolus apud Ordines; quippe ſinguli interrogati ſunt; placita reſpondiſſet, reverſus ad ſuos collegas ſilentio uſus, quid eſſet actum, non referebat. Sandium poſt eum reverſum, ad collegas ſuos placido vultu dixiſſe; *Nulla eſt cauſa Domini, cur quod vobis proponetur, jusjurandum recuſetis*; ſiquidem nihil quod ſaluti publicæ vel juſtitiæ adverſaretur in novà *inſtructione* continebatur; quæ vero dignitatem lædebant, hæc ut *tranſitoria* conſiderabant, ſicut non diu poſtea Senatus hac *inſtructione*, rebus hominibuſque mutatis, eſt liberatus &

hac

hac parte quidem, non de jure Magiſtratuum, in integrum reſtitutus. Nam quia prævalens Ordinum pars Ærarii confuſionem tollere non poterat, nec æs alienum nec uſuras ſolvi curabat, neque *Petitiones Ordinum Generalium* ad defenſionem rei communis implebat, reliqui Fœderati & Princeps hanc occaſionem pro arbitrio res *Friſicas* conſtituendi, arripuerunt & longe plura majoraque innovarunt, quam deinde petitum fuit ab his, qui noſtro tempore propter officium ab *Ordinibus Generalibus* in rebus Provinciæ domeſticis imploratum, rei læſæ majeſtatis Edicto publico declarati ſunt; ut Jura ſcilicet temporibus hominibuſque ſerviunt.

6. Cum igitur priores Legati infecta re, propter manus militaris defectum rediiſſent, *Henricus* Comes, Gubernator Friſiæ cum illis Hagam reverſus eo rem deduxit, ut nova in Friſiam Legatio decerneretur; cujus loco deinde majoris auctoritatis ergo placuit univerſum *Status Conſilium*, quod dicitur, in Friſiam transferri, ut res ſecundum intentionem *Ordinum Generalium* Principiſque *Arauſionenſis*, rebus cum *Henrico Comite Præfecto* communicatis, diſponerent, idque ſine certis mandatis & ſine relatione ad Ordines Generales facienda, ſuo ſimplici & infinito arbitratu: Memoriali tantum commentario illis tradito; in quo, ſi militum non ſatis eſſet in *Friſia*, ad exequenda eorum decreta, major copia promittebatur; negotium autem de *Magiſtratibus* urbium ultimo loco

loco reservabatur. Secundum hæc, Consilium Status initio anni MDCXXXVII. appulit in *Frisiam*, Egitque tam efficaciter armis contra inermes instructum, ut vectigalia nova, de quibus adhuc quotannis spissus liber in populum editur, stabiliverit, quæstiones alias etiã privatas aut mere Provinciales peremptoriè deciderit, & postremò dimissis per urbes cohortibus armatis Veteres ubique Magistratus, ubi dejecti fuerant, restituerit. Ordinibus, qui tamen deinceps *Ordines*, id est, pars major esse desierunt, solenniter & gratis suoque commodo *protestantibus*, à victoribus, ut fit, inrisis. Omnibus in integrum restitutis, *Curia* tamen non recuperavit jus Electionum Urbanarum; Sed hoc in *Illustrem Comitem Præfectum*, qui hoc modo quartam Reipubl. partem à se dependentem habuit tenuitque, solum est collatum; qui vicissim Principi *Arausionensi* jus conferendi ordines militiæ externæ Frisiorum stipendia merentis, de quibus controversia fuerat, remisit.

7. Ita novo exemplo Proceres & plebes didicerunt, etsi nunquam id satis addiscitur, *tumultus libertatis majoris causa factas, ut plurimum contrà verti.* Si ante decennium stabilita fuissent nova vectigalia, ut quidam Proceres male tunc habiti suadebant, amplissima *Monasteriorum* bona, quæ Vetus Religio sacris, nova Reipubl. addixerat, conservari potuissent: Alternativam enim Viri prudentes proposuerant. Nunc vectigalibus & tributis ultra quam necesse fuerat, si

in tem-

in tempore instituta fuissent, auctis & cumulatis, tamen illud corpus insigne Domanii *Monachalis* æquè distrahendum fuit & distractum est. Sed fuit ac erit semper hæc humani generis infirmitas, quod bene cum illis actum videatur, qui post errorum experimenta, laboribus infinitis in idem *quo laborabant, malum recidant, neque multo deteriorem conditionem boni consulere debeant.* Versis Comitiis, cum novi Procuratores nihilo quam Veteres ad onera nova promptiores essent, Senatores Ordinum in *magisterio* suo perseverantes, præsentes objurgationibus & minis, absentes manu militari ad comparendum & consentiendum adegerunt. Æs alienum Provinciæ Kalendis Majis anni 1638. fuit *quatuor millionum & octingentorum millium florenorum*, pro quibus usuræ septunces solvebantur: Et pro nominibus ad vitam singulorum contractis morte interituris, solvenda erant *ducenta millia florenorum* quotannis. Quibus oneribus, ne quidem distractis omnibus bonis Monachalibus auctisque immaniter vectigalibus, sed crescentibus etiam belli oneribus, ægre nec unquam plane Gens libera liberari potuit. Quieti ac in summâ Saluti publicæ hac viâ, Libertate licet detritâ, consultum fuisse, non potest negari.

CAP. IV.

De rebus Belgicis ab anno 1638 *ad annum* 1641.

Antequam pergamus, oportet obſervemus, annum præcedentem fuiſſe notabilem delirio quodam epidemico, è luxu & protervia, quam pecuniæ, cujus eſt proprium pati ſtultitiam, abundantia peperit in Hollandiâ. Nam inter omnium ordinum homines, brevi, paucorum arte ſine dubio, mediis tamen occultis, invaluit emptio venditio *florum*, maxime *tuliparum*, in quibus negotiati ſunt divites & pauperes, ruſtici & nobiles, viri & mulieres, pueri & ſenes, liberi & ſervi, aurigæ, bajuli, nautæ caupones, ſtabularii, nulli non comparabant tulipas & rurſus diſtrahebant, mirantes pretium, quod ultra quam exigere auderent, accipiebant. Quas in principio pro uno vel duobus florenis tulipas emerant, has pro centum & amplius vendebant; Conſtitit unam tulipam, cui *generaliſſimo* nomen, *nongentis* florenis eſſe venditam. Vigebat imprimis *Amſtelodami* & *Harlemi*, eſtque conſtans opinio, in priori civitate plus *centies centum florenorum* millibus in tulipis eſſe permutatum. Menſe *Octobri*, poſt ultimam plantationem, cœptæ ſunt plantæ vendi, capitibus licet in terrâ defoſſis, primo ſingulæ, dein per *libras*. Coronæ flavæ ſic dictæ, primo conſtabant *viginti* & quod excederet, florenis, intra menſem unum vendi poterat libra pro *mille du-*

centis florenis. Switſeri tulipæ, primo LX florenis in libram, dein *mille octingentis* conſtabant. Albæ coronæ *tribus millibus & ſexcentis in libram* florenis. *Vicereges* dictæ pro *ſex millibus & ſeptingentis* Antehac abjici in ſterquilinium ſolitæ vendebantur *quadraginta*, *quinquaginta*, *centum & quinquaginta florenis*. Atque hæc negotiatio in autumno chirographis, quia plantæ erant defoſſæ, non ſecus ac aliàs pecuniæ in *bancâ*, quam vocant, tractabatur. Ordines *Hollandiæ* tandem per *Edictum*, contractus ſuper tulipis initos non quidem reſciderunt, verum tamen ſuſpenderunt; incerto, valituri eſſent, nec ne; Brevi enim tranſire oportuit hanc inſaniam & data eſt à Magiſtratibus opera, ut controverſiæ ſuper illis, poſt ſubitam pretii labem, quam minimo motu tranſigerentur: Erat enim tantus eorum qui contraxerant numerus, ut mirum ſit, mutationem ſine tumultu potuiſſe committi. Hæc res eodem tempore uſu venit, quo calamitates belli Germanicæ omnium aures animoſque horrore implebant. Unde Concionatoribus egregia invectivæ in mores hominum perditos materia: Etſi nec ipſorum ordo delirii illius expers fuerat. In aliis fœderatorum nationibus, ubi tanta non erat numorum abundantia, minus hac parte pecuniæ illuſum fuit.

2. Res bellicæ hoc anno minus proſperæ Belgis fœderatis & Gallis, de quibus *in loco diximus*, ceſſerunt; felices igitur pro *Hiſpanis*; ſed fuit hic annus felicium pro ipſis ultimus. Princeps

ceps *Araufionenfis* habebat in animo vel *Hulftam* vel *Zaffam Gandavenfem* redigere in poteftatem. Diftrahendis autem Hifpanis, *Wilhelmum Naffovium* multis expeditionibus & prudentiæ & fortunæ probatum, cum magnâ exercitus parte mifit in *Antwerpiæ* viciniam, *Callôum* ad Scaldim Caftellum munitiffimum ut occuparet, occupavit etiam vi fubita. Sed Hifpani urgente *Cardinali Infante*, quod hoftem ibi nullo modo ferendum putaret, *infolita ipfis Celeritate*, quicquid in propinquo erat copiarum educto, majore numero ac vi *fœderatos* nihil tam fubitum expectantes aggreffi, ita perculerunt, ut deferto *Callôo*, in fugam effufam compulfi fint, ingente numero cæfis, quos inter filius *Guilielmi* Comitis & hujus Ducis expeditionis; *bis mille captis, tum tormentis novendecim & vexillis* XLV. *juxta omnem armorum apparatumque militarem & navigia fuprà octuaginta.* Vix ulla clades tam pudenda omni bello Hifpanienfi-Belgico à fœderatis accepta fuerat; & cum *Guilielmus* dux aliique velandæ, ut fit, ignominiæ, *Receffum* à fe factum dicerent, Princeps indignatus, fugam fuiffe dixit, qua turpior à centum annis facta non fuerat. Rem tamen, ut erat, boni confuluit, neque *Wilhelmo Naffavio* deinceps uti ceffavit & cohortes numeris fuis exhauftas in præfidia, fenfim inftaurandas, aliis inde evocatis, dimifit: etfi captos Hifpani loco ad belli commiffiones non expofito & fic minime libero, neque tempore neque pretio inter partes

recepto dimittendos putarunt; sed ægre anno demum *sequente* majore pretio sumptuque redimi permiserunt. Habuit etiam hanc *Wilhelmus* excusationem, quod octiduo antea, Principem monuerat, pro loco tam ardentis periculi non esse vires sibi ad resistendum, si vis major incumberet. Auxilium retardatum erat, eo quod alius Tribunus à *Tienen*, deinde scripto adfirmaverat, nihil esse periculi: Et tamen novendecim cohortes apud Arcem à *Cruce* dictam navibus impositæ ad auxilium paratæ fuerant.

3. Hæc *Junio mense* gesta totam æstatis expeditionem Principi *Arausionensi* inutilem reddiderunt, ut nulla re gestâ, nisi quod *Hispanos* in gratiam *Gallorum* aliâ parte minus etiam feliciter agentium distraxerat, *mense Octobri Hagam* in Palatium suum, dimisso exercitu, redierit. Si quis inter felicia numerare velit detectionem proditionis, quâ Pontificii *Trajectum ad Mosam* Hispanis reddere parabant, & cujus Sacerdotes aliquot *Jesuitæ* per confessiones, facti participes societate pœnæ involuti sunt, is ei opponere potest, improsperam *Mauritii* Comitis in Americâ expeditionem adversus *Portum ab omnibus Sanctis* dictum, à quo cum detrimento rejectus est. Nec universa res Societatis prospere satis procedebat, *actionibus* ejus ad *quinquaginta* pro *centum* redactis, atque ut fieri amat in rebus improsperis, crevit malum dissensione participantium, dum alii causam detrimentorum in eo collocabant, *quod Societas commercia indulgebat*

pro-

promiscua, reservatis sibi vectigalibus, quæ ad tuenda Societatis onera non sufficerent; aliis contra in hac libertate promiscua ponentibus unicam Societatis sustinendæ rationem.

4. Sequens annus MDCXXXIX. initium prosperi ominis habuit pro *Martino Trompio*, qui undecim naves habens, *Hispanicas* tredecim majores & tres minores è portu *Dunkercano* in *Hispaniam* tendentes retro fugavit, duasque earum in potestatem redegit, quæ ipsi *cum sociis* in prædam ab Ordinibus permissæ sunt, Principis *ut Thalassiarchæ Supremi*, jure salvo: Honoratus est *Trompius* insuper aureo torque notabilis pretii, & à Rege *Galliæ*, quo majori cum dignatione res gereret, decus equestre accepit *S. Michaelis*, ut vulgo creditum est & scribit *Aitzema* ad *principium hujus anni*: sed filius ejus *Cornelius* anno MDCLXVI. paulo antequam cingulo privaretur, me coram apud *Flissingam* Scribæ Ordinum Zeelandiæ ipsum consulenti super ordine exequiarum, quæ tunc erant ducendæ *Evertzonio* præfecto maris *Zeelandico*, qui in prælio adversus Anglos occubuerat, adfirmavit, suum Patrem nunquam fuisse Equitem *S. Michaëlis*, sed equestri dignitate simpliciter à Galliæ Rege donatum. Isti honores & omen & incitamentum *Martino Trompio* ad res majores præbuerunt. Etsi prædationes *Dunkercanæ* hoc modico successu, prævalidis eorum viribus, minime cessaverunt, cum in promptu haberent è viciniâ navibus *Belgicis* numero infi-

 nitis,

nitis, tanquam *aureo velleri* insidias struere, facili in propinquum portum suum receptu, qui nunquam satis claudi vel observari potuit: hac imprimis æstate, quâ *Trompius* ingenti, quæ ex *Hispaniâ* instare dicebatur, classi invigilans, myoparonibus opprimendis operam dare non poterat. Verum tres Anglicanas naves Hispano milite, numero MLXXVII. onustas intercepit ac in Patriam transmisit. Apparuit tandem medio *Septembri* Regia Classis *septem & sexaginta* navium, sub Antonio de *Ocquendo* Duce, apud *Bevesierum* Promontorium, quod est in *Canali Britannico*, *Trompio* tum penes se habente non plures XII navibus: Sed brevi auctus ad XXVII. *Hispanos* intrepide aggressus est, *una* hostili nave *demersa* & *alterâ capta*, omnibus in *Dunensem Angliæ* stationem compulsis, ubi à *Belgis* obsessi turpiter sub umbra magis Anglicæ protectionis, quam virium suarum fiduciâ tecti latitarunt. Et *Anglica* classis aderat navium XXXV. minas jaciens, *se fore contra stationis Regiæ violatores*. Verum *Trompius*, incredibili *Ordinum* studio brevi nonaginta fere navibus bellicis fretus & animoso instructus mandato, *perdendi*, ut posset, *Hispanos*, sine *respectu stationis & classis Anglicanæ*, *die* XXI. *Octobris* Dunensem sinum aëre nebuloso ingressus, discussa nebulâ, *Hispanos* vidit dispersos vêlaque in *Occidentem* effusa fugâ facientes, quos *Belgæ* persequuti in universum *quadraginta* naves vel ceperunt vel perdiderunt. Quominus plures consequerentur in-

incerto maris & tempestatum, non hostium fortitudine factum & Fortuita quædam à Belgis accepta detrimenta. Prima commissione *magnus Christophorus*, navigii nomen erat, suo *pulvere* succenso periit. Alia navis, *Muschio* ductore, Prætorianæ *Lusitanorum*, ad occupandam eam arctius intricata, nave sociâ incendiariâ contacta periit, una cum hostili, *Muschio* cum plerisque suis servato. Quid hac Classe missâ propositum *Hispanis* fuerit, cum è successu non constiterit, divinare minus proclive est. Nam *Dunkercani* tanto subsidio non indigebant, per se validi satis, etiam post hanc cladem, *sexaginta* fere prædatoriis navibus mare infestum habentes, unoque die naves *undecim hoc tempore captas* suis exhibuerunt, nec ulla fere dies illis sine prædâ abibat; nunquam alias frequentiore *Batavorum* & *Zeelandorum Frisiorumque* mercaturâ. Quidam transamasianum Comitem suspectum habebant, quasi *Hispanos* recepturus, ut *Belgas* sibi iniquos ulcisceretur. Alii *Danum* tunc *Batavis* iratum collusionis cum *Hispanis* insimulabant, quasi *Baltici* maris Dominium ope externâ adfectantem; Sed res intra divinationes constitit. *Angliæ* Regem de violatâ statione suâ succensentem, Belgæ modo querelis de favore *Hispanis* in *Angliâ* præstito, modo suæ necessitatis excusatione, tàm per Ordinarium suum, quam per Legatos solenniter missos placaverunt, eo facilius, quod is brevi turbis implicitus domesticis externa minoraque

ad animum revocare non potuit: Etsi Consilium Regis *Hispano* addictum, secus ac populus, nihil boni fœderatis Belgis parabat.

5. Omnis animorum ardor in re maritima hoc anno occupatus fuisse videtur, ut terrestris expeditio sine ullo fructu æstatem consumpserit; nisi quod *Hispani* perpetuis *Belgarum* motibus ita distracti sunt, ut *Galli* arma facilius à sua parte movere & urgere potuerint: Domi inter alia minora, quæ non sunt hujus instituti, notabilis contentio fuit inter Ordines *Hollandiæ*, præsertim *Amstelodamenses* & *Generales* qui dicuntur, *Ordines*, Principi fere addictos & ejus sponte agentes. Existimatum est, *Amstelodami* paucos esse, qui vim Aristocraticam prætextu libertatis, *Arausionensi* opponerent. Senatum XXXVI. Virorum ab eorum consiliis separari posse, modo *Principis Ordinumque* nomine *Generalium*, directe cum illis ageretur. Placuit igitur mitti Legatos *Amstelodamum*, tredecim numero, quorum Princeps erat *Cuylenburgi* Comes; qui *inter* alia persuadere conarentur Senatui, ut consentirent in Locationem publicam & generalem vectigalium, quæ ex *conductibus & licentiis* ita dictis, in rem communem colligebantur, *admodiationem* vocant: Ratio, quod sine publicanis illi reditus crebris fraudibus exinanirentur: *Amstelodamenses* autem erant in hac sententiâ; *per locationem istorum vectigalium, rem mercatoriam quæ libertate gaudeat, nimis obnoxiam fore publicanis ac ita diminutum iri.* Quo au-

autem refutarent Socias nationes, vicissim urgebant, ut per omnes Provincias fieret æquabilis locatio quorumvis vectigalium & impositio tributorum, juxta *quintum Unionis Ultrajectinæ articulum:* Qua re credebant, effici posse, ne Hollandia sola de *centum*, octo supra quinquaginta, quod jam fit, solvere cogeretur. Sed reliqui numero & Principe freti, hoc ultimum ut ab usu & facultate alienum rejicere, prius tamen urgere. Quapropter, cum *Ordines Generales* Edictis suis Locationem proscriberent, *Hollandi* non veriti sunt Edicta avellere & impedire locationem manu. Sed cum Legati venissent *Amstelodamum* peterentque à Consulibus audiri in Senatu, responsum est; *ex instituto Reipubl. Amstelodamensis, nemini jus agendi cum Senatu esse quam Consulibus. His si quid vellent, proponendum, ut ab iisdem referretur ad Senatum.* Ut autem Ordinum Generalium nomine agatur cum Senatu, hanc esse *inauditam novitatem.* Cum autem Legatis id quod Consules volebant, faciendum non videretur, re infectâ discessum est, Legatique orationem suam, quâ ad Senatum *Amstelodamensem* usuri fuissent, Ordinibus *Hollandiæ* exhibuerunt, *mense Februario*; questi inter alia, quod Consules *Amstelodamenses* nequidem Orationem suam scripto comprehensam, Audientiâ negatâ, recipere voluissent, verùm in diversorio ut chartam contaminatam, sicut erat in mensâ deposita, indigne reliquissent. Etsi autem hæc res amicis aulicis ad injuriam *Ordinum*

Generalium & Principis ſpectare videretur, hujus tamen ætas & moderatio fecit, ut abſque animadverſione tranſiret; quamvis ubi deinceps anno ſeculi *quinquageſimo*, *Amſtelodamenſes* idem inſtituerunt, haud adeo leviter defuncti ſunt, ut *in loco* videbimus.

6. Præcedentium annorum terreſtri bello res ſegniter geſtæ, non minus quam gloria victoriæ navalis Principem ad recreandam aliquo majore conatu famam excitaverunt. In quem finem cum *Richelio* Cardinali ſecreto pactus eſt, ut Rex *Galliæ* ſibi *decies C. & D. millia* ſolveret florenorum, quatuor æquis penſionibus, è quibus ad aliquot menſes *octo* militum *millia* conduceret aleretque, *Kalendis Majis* omnem exercitum in Caſtris exhiberet paratum ad invadendas *Brugas* cum *Dammâ* viciniſque munimentis uſque *Blankebergam*; vel cum hoſte, ſi is obviam procederet, confligendum. Galli viciſſim ſub *Milliarco* ſuum exercitum in hoſtili ſolo Kalendis *Majis* ſiſterent, nec inde, priusquam prælio congreſſi fuiſſent, recederent, atque etiam victi, non ceſſarent juſto hoſtes exercitu infeſtare, *ſub pœna utrimque perfidiæ*; quod ita perſcriptum *menſe Decembri* 1639. quo etiam à *Conſilio Status* nova in proximum annum *petitio* pecuniaria cum præfatione ſolenni edita eſt ad Provincias, octodecim *millionum*; addito in fine orationis, *Unionem fœderatorum diſſolutam nonniſi extremis remediis redintegrari poſſe*, clauſulâ ſatis inſolente & inexpectata. Non deerant ex adverſo, qui victo-

victorias & fines prolatos, ut ipsa quoque *Petitio* ingeminabat, Reipublicæ oneri tantum esse dicerent, ideoque à novo & majore apparatu alienos se ostenderent bellique rationem, si pax haberi non posset, mutatam cuperent; Sed eò res nondum maturuerant. Hollandi interim immani licet ære alieno gravati, rationes tamen invenerunt, quibus cum usuras adhuc penderent *semisses & semunciarias*, hoc est, *sex & dimidium* annuos pro sorte *centum*, reduxerunt ad quincunces sive *quinque pro centum*: oblatâ cuique sorte suâ, qui contentus non foret: Quâ reductione lucrati sunt Ordines *Hollandiæ* plus quam *decies centena millia* florenorum annuorum. Unde, quousque jam tunc æs eorum alienum adsurgeret, existimari potest.

7. Mense *Majo*, non *kalendis*, ut cum *Richelio* convenerat, sed post *Idus* MDCXL. Fœderatorum exercitus jam notabiliter auctus in *Flandriam* expositus est, & primo quidem *Henricus Nassovius*, Frisiæ Gubernator missus est, ut trajecto *Leya*, sive novâ fossâ, *Plassendalium* occuparet, ibique per cataractas inundatione factâ, *Principi* Brugas & Dammæ opidum aggredienti securitatem ab ea parte præstaret. Sed etsi bis summâ vi per duodenas horas transitus fluvii tentatus fuerit; nihil actum & cum jacturâ non modicâ retrocedere coactus fuit. Non aderant etiam bellicæ naves ad eam expeditionem destinatæ: Quibus rebus factum, ut arcanum illud propositum abortierit; cogitationesque ad secundarium institu-

tum

tum, quod erat adversus *Hulstam*, conversæ sint. Eo se Princeps cum universo exercitu navibus imposito sub finẽ Junii mensis contulit. Ad urbẽ circumveniendam opus erat duobus munimentis, *Moerensi* & *Nassovio* dictis. Prius *Henrico* Nassovio Frisiæ Gubernatori, alterum *Alterivio* tribuno datum est occupandum, eâ nocte, quæ *Julii quartam* diem præcessit. Alterivius Nassovico capto, munitionem quandam in proximo, *Reductum* vocant, invasurus erat, quod omisit, quia non sentiebat *Moerense castellum* oppugnari; Quippe *Henricus* Comes suas partes eo tempore non impleverat, à quibusdam persuasus, hostem validius auctum esse quam res erat; Ideoque reversus, ab Alterivianis inridebatur. Quod non ferens contemptus insolens & nimis acer animus, ultro Principi ductum suum capiendo *Reductui* quem *Alterivius* omiserat, petiit. Impetrata veniâ, cum fratre *Wilhelmo*, Frisiis suis aliisque *Incisiones* quasdam terreas ante *Reductum* ab Hispanis recens munitas securiter invasit; Sed hostes præparati, à tergo illum majore numero invasum oppressere; pugnatam est acerrime; cecidere multi nobiles ordinum ductores, *Vengius*, *Harenius* centuriæ ipsius Prætorianæ ductor, *Alberda*, *Valta*, pluresque alii; *Wilhelmus* Comes duos amisit equos. Ipse *Henricus* circumventus inter costas, numero *tertiam* & *quartam*, sclopeto ictus ex equo decidit, per spatium dimidiæ amplius horæ pro mortuo destitutus & spoliatus; tandem agnitus, hoste digresso, à suis

in

in castra relatus post octiduum decessit, multo sui desiderio & laude relictis.

7. Successionem Provinciarum, quibus Henricus Comes præfuerat, frater *Wilhelmus*, qui adhuc turnæ ductor equestris, *gloriam parendi* pro symbolo præferens, nil nisi mediocria sperabat, ab Ordinibus *Frisiæ & Groningæ Omlandiæque* petiit. A Frisiis impetravit, cùm quod recenti mutatione plerique Procerum à Gubernatore pependerant, tum quod ita sederet Frisiis, invalescentem *Arausionensis* potentiam salubriter attemperari posse, eo, quod existeret, qui decus Gubernatoris æque ac ipse præferret. Sed Princeps, cui longe altius sederat *occupandi præfecturas omnium Provinciarum filioque suo tradendi* propositum, quam ut hoc facile omitteret, *Wilhelmo* Comiti Legationem utriusque fraternæ provinciæ offerebat, quam is fidenter & ingenue recusaverat. Quod tam ægre tulit Princeps, ut quovis modo *Wilhelmum* ad cedendum coarctare instituerit, idque tam validis sategit machinis, ut non modo *Groningæ & Omlandiæ* præfecturam, sub lege, ne *Substitutum crearet*, civitatique *liberum jus eligendi Magistratus* suos relinqueret, impetraverit; sed etiam in Frisiâ excitari curaverit eos, quos nuper in gratiam *Henrici Comitis* à clavo removerat, spe restitutionis facta, quæ post conventionem cum *Wilhelmo* factam spreta scilicet atque delusa est. Quippe & *Wilhelmus* postremo ad eas redactus est angustias, ut locum suum in *Consilio Status*, qui ut *Gu-*

ber-

bernatori Provinciæ debebatur, capere non ausus sit, suosque ministros, qui acriori fide domino serviebant, dimittere cogeretur; denique, alium non videret exitum, morbo etiam ex animi dolore adflictus, quam ut ipse Frisios rogaret, quod fecit, *Guilielmum* Principis *Arausionensis* filium Successorem suum in præfecturâ Reip. militiæque declararent; etsi pridem extabat decretum, *ne unquam vivo Gubernatori successor nominaretur*. Ita pax & aulæ gratia redintegrata est. Facilius inde *Supremæ Curiæ* conatus juridicos ad recuperandum jus suum in Electionibus Magistratuum urbanorũ; ipse manu præditus & jam favore, nec Ordinibus, Curiæ patrocinantibus, elusit; etiã adversus ipsũ Principẽ Fata deinde *Gulielmo* viam ad restitutionem in integrum invenerunt.

9. Sed hoc quidem anno bellicæ res hisce duabus inritis expeditionibus in tertiam æquè frustraneam desierunt. Nam ex *Flandriâ* Princeps, *Hulstâ* desperatâ, se transtulit in *Brabantiam*, inde in *Geldriam*, ut urbem ejusdem nominis obsideret. At hoc etiam consilio pluviâ tempestate præpedito, in *Augusti* mensis initio reditum est *Neomagum*, ut tamen pleræque cohortes in Castris retentæ sint, usque in *Octobrem*; ne Gallis hac inutili sed illis pretiosâ æstate suboffensis conquerendi causa daretur. Ita rursus exemplo patuit, quam sint inanes in bello spes magnæ, certis in proximo non subnixæ rationibus. Nec absurde Rex Angliæ hoc tempore de Principe *Arausionensi* dixit Legato Belgico, *semper* eum *fuisse felicem*, *antè-*

antequam se Gallis conjunxisset. Nec enim profundæ ejus Politicæ, ut *Nanius* Italico acumine usus, eam mutationem, heic locorum quisquam adscribendam putavit. Exitus tamen anni insignitus est clade *Christiani Ulrici* Daniæ Regis filii naturalis, qui sexcentos equites pro *Hispaniæ* Rege conscriptos in *Brabantiam* per agrum *Coloniensem* ducebat. Deprehensus *Meinertshagii* in *Suriâ* à *Diedenio* Vesaliensi præfecto cum suis oppressus & repudiatâ per iram vitæ gratiâ, interfectus est; Patre illum adeò negligente, ut nec cadaver honeste conditum nec impensas funeris curaverit, etsi non æquè incuriosus in pecuniis à defuncto *Hamburgi* depositis; Solatii loco inter suos, ut scribunt, adhuc se parem esse prædicans similibus creandis, etsi vetus imperii, *quinque quadraginta* annorum quibus Rex fuerat.

10. Quanquam autem his irritis expeditionibus nihil agebatur, sumptus earum nihilo minores fuerunt: occasionis autem aliquanto plus datum est optimatibus *Hollandiæ*, urgendi militum post annum seculi XXVIII. conscriptorum dimissionem, sumptuumque belli, dum pax honeste haberi posset, diminutionem: quâ de re hoc autumno inter Proceres & Principem ejusque amicos varie disceptatum est: Batavis libere querentibus; *Antehac spem fuisse factam minoris impensæ, ubi Hispanus*, Sylvâ Ducis, Vesaliâ, Trajecto Mosæ, Bredâ *captis, longius submotus foret: Nunc eorum locorum possessionem à Principe & à Consilio Status, ut necessitatem auctioris militiæ*

litiæ inculcari, eoque modo incrementa externa nihil esse quam intestina decrementa, quæ Reipubl. viscera devorarent. Æs alienum in immensum multiplicari, Usuris solvendis consumi reditus & vectigalia: Rempublicam similem esse monti celso, eminus luculento; sed qui suffossus aliquando, subito corruiturus esset. Denique, *Necessitatem velle, flagitare coarctationem sumptuum, nec admittere contradictiones.* Ita Proceres, tum magis solliciti, quam forte deinde fuerint, cum duplo majora facta sunt onera & æs alienum; ut levibus morbis remedia adhibentur necessaria, desperatis abstinetur. Non defuere Principi rationes gravissimæ, à potentiâ Cæsaris, ab occasione defectionis *Lusitanicæ* & *Catalonicæ*, obligatione fœderis Gallici: Etsi hanc Batavi eludere parabant, dicendo; non teneri Ordines ad exercitum 25 millium in armis exhibendum, nisi anno primo, quemadmodum verba fœderis trahi posse videbantur; sed hanc cavillationem Princeps aversabatur. Denique, reliquorum Consensus fœderatorum, qui Principi contradicere non audebant, hanc rem, cui adjuncta fuit instantia, de *Contributionibus* ex agro hostili, melius in rem *generalem* convertendis, evanidam reddidit, atque moles belli necessitatem ab Hollandis inculcatam majori necessitate involvit.

10. Clausit annum *Nuptialis* publicatio contractus inter *Arausionensis* filium ac heredem *Guilielmum Nassovium*, & filiam *Magnæ Britanniæ Regis*; quam *Ordines* & *Generales* & *Hollandiæ*

landiæ certiores facti, *ut rem à singulari divinâ providentiâ ortam & benedictionem in universam rem Christianam in tempore daturam* acceperunt; Publice quidem. Privatim enim non defuere, qui Regiam adfinitatem regios spiritus additu- ram Principi & magnitudinem Domus impera- tricis Reipublicæ non futuram incremento hariolarentur. Invidia sane cum Potentiâ crevit & favor publicus ab eo tempore vehementius ad partes Regi in *Angliâ Scotiâque* adversas in- clinavit. Etsi divina providentia non cessavit effectus benedictionis *in rem Christianam* nota- biles ex eo matrimonio, serius licet exhibitos producere, quos *in loco* videbimus. Cæterum, dos constituta Sponsæ, nunquam pro tempo- ribus soluta, fuit *quadraginta millium* librarum Sterlinarum. Dotalitium à Sponso illi in casum *viduitatis* promissum fuit, *decem millium ejus- modi librarum*, percipiendum è *Terris*, quarum una foret *Ducatus* aut *Comitatus*, regimine lo- corum dotalitiorum viduæ reservato; Durante matrimonio pro minutis expensis perciperet, li- bras *mille quingentas* Anglici valoris, ut dictum. In Hollandiam transveheretur, ubi duodecim annorum foret, quos nondum attigerat. Nu- ptiæ *Londini* contractæ sunt *anno* 1644. Venit in *Hollandiam* à Matre adducta anno 1642. an- noque sequenti inde recessit Mater, excepta magnificè honorificentissimeque à Principe & Optimatibus cum *Hagæ*, tum *Amstelodami*. Etiam choreis in maximo Hagiensis Aulæ atrio,

 exhi-

exhibitis, non ſine offenſione plebis & Concionatorum, qui Cenſuræ quoddam genus hac cauſa Principi inſinuare non reveriti, ab illo cum ratione dimiſſi ſunt. Matrimonium Principis conſummatum eſt, *anno* 1644. *die* 27 *Februarii.*

CAP. V.

De rebus Belgicis ab anno 1641 *ad annum* 1644.

ANnus MDCXLI. initium cœpit à diminutione numerorum militarium, ut de ſingulis cohortibus vel potius centuriis, *quinquaginta* deducerentur, initio ab Hollandis facto, quos reliquæ nationes imitatæ ſunt; quâ reductione factâ, manebant adhuc in ſingulis cohortibus centum vel 150 milites. Hollandi *quinquaginta* de recentioribus integras cohortes dimittere parabant; Sed *Ordinum Generalium* obteſtationibus victi, in eâ reductione factâ ſubſtiterunt. Galliæ Rex in hujus anni ſubſidium promiſit *duodecies centena librarum Francicarum millia*, ſub hac lege, *ut Ordines educerent* XVIII *aut* XX *peditum, quinque vel paulo minus equitum millia*, tantundem & ipſe Rex in campis exhiberet, *ambo Kalendis Maji*; idque licet multum queſtus eſſet Gallus, *Arauſionenſem* anno ſuperiore non ſatisfeciſſe contractui tam ſeverâ lege inito. Exercitus Belgarum ſub finem menſis Maji *Neomagum* convenit, præmiſſâ, more ſolenni, ſupplicatione publicâ; in cujus formulâ adfectatum eſt, uti Philippus Rex *Caſtiliæ* non *Hiſpa-*

Hispaniæ nuncuparetur, ut pote qui bonam Hispaniæ partem in *Portugallia & Cataloniâ* amisisset: Portugallis se quoque Hispaniæ Reges esse prædicantibus. Sed Princeps adulto *Junio* arcem oppidumque *Gennepense* circumdedit ac obsedit Julioque desinente redegit in potestatem. Inde quidem in *Flandriam*, rogantibus ita Gallis trajecit, verum autumno præcipitante nihil, quam ut Hispanos in gratiam Gallorum distraheret, præstare potuit. Neque multo post, nono die *Novembris* obiit Bruxellæ *Ferdinandus* Infans Hispaniæ, *Cardinalis* & Belgii Hispaniensis Gubernator. Cui successit in armorum officio *Franciscus de Melo*, cum Marchione *Veladensi* & Comite *Fontano*. Quibus adjuncti sunt *Archiepiscopus* Mechliniensis, *Rosa* præses & *Andreas Cantelmus* ad civilem maximè administrationem.

2. Quemadmodum superior, ita hic etiam annus desiit in Sponsalitio contractu, quo *Ennoni Ludovico*, *Ulrici* Comitis Frisiæ Orientalis primogenito desponsata est *Henrica Catharina*, Principis Arausionensis filia tum natu minima: Partibus utrimque adhuc impuberibus usu venit, quod sæpe in ejusmodi Sponsalibus accidit, ut eventu destituantur. Etenim *Ennoni Comiti*, ut hoc, tempore licet posterius occupemus, vitæ dissolutioris postea viso, *Henrietta* Princeps conditionem remisit & Principi *Anhaltino* nupsit; gaudentibus Frisiæ transamasianæ Ordinibus & maxime *Embdanis*, quibus Sponsalia

 non

non immerito mali ominis ad possessionem libertatis suæ tuendam visa fuerant.

3. Sed redeamus ad propositum. Post conjunctionem Gallici fœderis inde ab anno MDCXXXIV. nullum operæ pretium, exceptâ *Bredâ*, à fœderatis Belgis esse factum colligi potest è *superioribus*; etsi Princeps *Arausionensis* nihil quod ad gloriam suam *Gallorumque* satisfactionem pertineret, aut Ordines prorogandis sumptibus omiserint. In eâdem ἀπραξίᾳ continuatum est *anno seculi* XLII; Castris *Arausionensibus apud Rhenum*, *Bercam* inter & *Orsoyum* majori æstatis parte fixis; decreta expeditione *defensiva*, quoniam *Galli* apud *Hispaniam* distracti, in partibus Belgicis prælio superati sunt apud *Inchium*, haud procul *Honecourtio*, ubi *Guichius* Comes & Franciæ *Marescallus*, cum *Francisco de Melo* congressus & fusus *mille ducentos* in loco *mortuos & duo millia captivos* amiserat. Quâ re nuntiatâ, *Princeps & Ordines* hoste victorioso & prævalente, nihil cum fructu agi posse; bene agi, latere tecto si abire liceret, existimarunt: *Galli* tamen subsidia pecuniæ consueta, sicut *anno superiore*, præstiterunt; addito, ut Ordines *tria suorum peditum millia* transderent Comiti *Guebriano* in vicinâ *Germaniâ* pro Rege militanti, quos, intra vel statim post annum vertentem Ordinum signis restituerent. Hæc quoque ratio diminuti exercitus justam excusandi rationem, ne quid majoris momenti aggrederentur, *Ordinibus* suppeditavit.

4. Sed

4. Sed non est prætereunda, pertinens ad hunc *annum* XLII. notabilis disputatio inter *Portugalliæ Regis legatum* & Ordines *fœderatos* ut Patronos *Occidentalis Indicæ Societatis*. Quippe, cum *Induciæ* decennales cum *Lusitanis* pangerentur, placuerat, earum initium à Ratihabitione factâ publicatâque duci; quod secundum climata sub Indicis Societatibus comprehensa longum satis erat futurum. *Occidentales Socii Mauritio Comiti* præceperant, ut quicquid interim armis belli capere posset, id aggredi minimè cunctaretur. Huic obsecutus mandato *Mauritius*, famosum maris præfectum *Jolium*, cui notius à *crure ligneo* cognomen, cum numerosa abundeque instructâ classe misit in *Angolam*, ubi *Lusitani* tenebant tractum terræ, cui nomen à *Fano Pauli de Loandâ*: arcibus aliquot munitum, quas *Houtebeenius* vi armatâ redegit in potestatem; cum *Lusitani* ut hostem Philippum Regem habentes communem, hac parte securi primitus illos ut amicos recepissent. Idem de insula *Divo Thomæ sacra* & regione *Maranhaniæ* cum suis castellis fecerant, nec insolentiâ hostili, quod in talibus usu venit, abstinuerant, incolis in deserta sylvasque fugatis. Hisce de rebus acrem copiosamque orationem Latinam, etsi parum latinam, in *Ordinum Generalium* Consessu habuit *Franciscus Andrada Leitaus Doctor & Professor Juris*; cujus argumentum duplex erat, *Juris & Æquitatis*; De jure duplex erat contentio. Prima vim illam adversus ami-

eos nullo jure belli factam & se amicos ipso jure, sine ullo tractatu, postliminio esse factos, & amicos jam cognitos famâ, adseverationibus invasarum gentium & nuntiis ad ipsos invadentes è patriâ suâ delatis. Altera, si *maxime verba Tractatus induciarum*, *aliquem stricti juris prætextum*, ad defendendam vim transitoriam *darent*, loca tamen occupata post ratihabitionem incontinenti esse restituenda, jure postliminii moribusque Gentium. Hæc de jure, quibus addebat iniquitatem & deformitatem fraudis adversus socios maligne captatæ & crudeliter exercitæ. Sed cum Socii occidentales ea loca non cepissent, ut redderent, Ordines, *etsi inde ab initio, ne quid tale decernerent*, *eos missis legatis monuissent*, re tamen commissa destituendos non putarunt. Ergo responsum *Lusitanis* prolixe, nec quicquam juri Gentium adversum à Sociis admissum fuisse, de jure quidem facile demonstratum. Quia gens Lusitana *sexaginta & amplius annis* Belgarum hostis, Rege mutato, non desierat esse hostilis, cum idem corpus, eadem Respublica maneret; opus fuisse tractatu pactoque ad statum belli commutandum speciali. Nec ullam esse *æquitatem*, quæ à claris tractatuum verbis recedere juberet; Ita vero convenisse, *ne status certandi per vim ante ratihabitionem publicatam cessaret*: Ita in omnibus Pacis tractatibus servari inter Gentes; ita sine contradictione partium hoc ipso tempore in *Indiis Orientalibus* esse servatum: non obstante, quod

Pro-

Prorex *Goanus*, Præfecto *Generali Vandiemenio* missis legatis rem uti se haberet, significasset, ipsique *Belgæ* jam è Patria rerum in *Lusitania* gestarum pactionisque apud *Hagam* initæ certiores, sed privatim, facti essent: Prudenter tamen illos consulere visos, quod statum belli *prius quam Ratihabitio publice ad illos pervenisset*, desinere passi non fuissent. His rationibus additæ Querelæ reciprocæ, de *Lusitanorum in Belgas* maleficiis & prolixæ officiorum reciprocationes deinceps oblatæ. Sed *Portugalli* solertiam illam nimis rigidam *Societatis* neutiquam oblivioni datam, in tempore longe auctiore perfidia ulti sunt, majore cum fructu, quam *Belgæ*, quos omni *Brasilia* expulsos ad incitas redegerunt, *ut infra* dicendum occurret.

5. Finita est etiam hoc anno *Societas Groenlandica*, elapso tempore privilegii illis indulto: nec id renovatum, eo quod omnes fere civitates & nationes fœderatæ, cum prior è paucis constitisset, admitti peterent. Quibus cum negari non posset, visa non fuit ratio, Monopolii constituendi; omnibusque ab eo tempore promiscuè facultas piscandi capiendique balænas permissa fuit.

6. Hoc tempore de rebus externis nihil frequentius aut molestius *Ordines* exercuit, quam res Anglicanæ, Reginâ in Batavis agente, Principe Regi favente, cæteris *Parlamento* addictioribus. Et hujus quidem Legatus *Striklandius* Principis respectu ab *Ordinum Generalium*

Collegio nunquam audientiæ facultatem impetrare potuit; ab Hollandis aliarumque singularum Nationum Ordinibus auditus est benevolè, quando non plebs tantum & Concionatores, sed etiam Proceres ab Aulâ non dependentes studiis animisque *Parlamenti* magis quam Regis partes probabant; idque donec calamitas victum & prostratum redderet favorabilem Anglique modum omnem excederent, continuatum est. Initia Regi adversa ne quidem Regina, ejusque filia vel honos adfinitatis mitigare potuere; quin ostentatione cultus Pontificii, quem palam & pene jactanter exercebat, animos populi Pastorumque exacerbari videbantur. Idque animadvertens, ingratam non minus hac causâ præsentiam sui esse, quam fuerat in *Angliâ*, discessum mediâ quoque brumâ festinavit, *initio anni* 1643. exhausto oneratoque suprà modum Principis ærario impensis, *etsi hac parte à Republ. levaretur*, & mutuas pro facultate prorogando pecunias; quando ipsos *Ordines* ad nullam auxilii partem adducere poterat, ut ipsa literis ad Regem maritum scriptis, à *Parlamento* interceptis publicatisque querebatur; Laudans *Principem* affectus & generositatis causa. Scriptis ejusmodi literis stylo, qui ab *uxorio adfectu* non Scribæ alicujus ingenio profectus, vim præstantis ingenii in feminâ raram demonstraret: Ut vel inde colligi posset, nihil esse mirandum, si quid in Regis præditi bonitate singulari animum valeret; eamque metuerent ac odis-

odiſſent adverſarii. *Arauſionenſis* Princeps invidiam participabat neque fructum ex adfinitate ſperatum quamdiu vixit, *repræſentari* vidit; ſero à divinâ providentia, Patriæ *& imprimis Angliæ* univerſoque *Proteſtantium* Orbi cum fœnore præſtitum & inculcatum.

7. Principio anni MDCXLIII. renovatæ ſunt ab *Hollandiæ* Ordinibus inſtantiæ, de contrahendis ſumptibus, dimittendis recentioribus militum cohortibus adſerendisque Reipublicæ agrorum hoſtilium contributionibus & id genus aliis rebus, cauſis identidem repetitis ſuæ neceſſitatis: Ita enim ferebatur, Reditus *Hollandiæ* è tributis & vectigalibus *undecim eſſe millionum.* Uſuras inde ſolvendas ad *ſeptem milliones*, Belli onera conſtare *duodecim millionibus.* Ergo quotannis *octo milliones* in expenſis eſſe plures quàm in acceptis: quod ſi continuaretur, in ruinam publicam, *etſi privatorum opes augeri viderentur*, eſſe deſiturum. Sed hæ querelæ quotannis repeti ſolitæ ſurdis auribus accipiebantur, etſi reliquæ Provinciæ non minus pro ſua facultate coarctarentur. Verum Principis auctoritas & æmulatio nationum, ne querelas ſuas cum *Hollandis* jungerent, erant impedimento. Quod autem reliquæ nationes in terreſtri militiâ faciliores erant continuandâ, fecit, ut rem maritimam, quæ ipſis ad rem animumque minus pertineret, haud æque curarent; non exhibentes quæ illis adſignatæ fuerant naves, neque partes ſuas pecuniæ ex *undecim centenis florenorum millibus* in iſtum uſum

postulatis. Non poterant illi negare suum hac parte defectum neque pudenda Reipubl. detrimenta, quæ continuò à Dunkercanis patiebantur. Sed erat in promptu instantia, de locandis *licentiæ & conductuum vectigalibus*, quod *Hollandi* retardarent, deque novis quibusdam vectigalibus rerum exoticarum, quæ absque notabili mercaturæ detrimento recipi possent; Quo ita maritimi sumptus ex re maritimâ quærerentur; Neve gentes solâ agriculturâ subsistentes è fructibus agrorum suorum bellis maritimis suppeditarent: Dum *Hollandiæ* cives opibus è liberâ mercaturâ abundarent. Sed hujusmodi disputationibus non supplebatur quod deerat Classi nec etiam exercitui, cujus numeri superioris anni reductione valde imminuti, centurionum fraudibus, quas defectu solutionis excusabant, magis exhauriebantur. Adeo ut Princeps in exitu *Junii mensis* Hulstam petiturus, hosti impar nihil ausus incipere, sub arce *Philippinâ* & porrò otiosus castra habuerit, nec quicquam omni æstate gestum, nisi quod pridie *nonarum Septembris*, WILHELMUS Princeps, *Arausionensis* filius, pulcher in armis apparuit, primo specimine belli cum famâ defunctus, cui Pater & Proceres effusis præconiis velificati sunt. Post *Henrici Casimiri* Frisiæ Gubernatoris obitum, Equitibus dignitate magis quam Imperio præcellens interfuerat. Duxerat Ipse cum *Stakenbroekio* Legato *generali* equitum, partem in hostem *Borgerhouti* haud procul *Antwerpiâ* Fœderatos observantem. Hispani illos

illos confusius repellentes insidiis à *Stakenbroukio* positis excepti sunt &, magno numero cæsi captique, inter eos multi notabiles. Quod filii sui auspicium Princeps per literas Ordinibus significavit, hi ad cæteras nationes legatosque apud exteros agentes perscripsere, matrique adolescentis Principis gratulati sunt magnificeque ut omen futuri celebraverunt. Ita per applausum finis expeditioni impositus. Hollandi Zeelandique rei maritimæ diligentius incubuerunt, instructis suo sumptu, salvâ tamen cum reliquis nationibus compensatione, aliquot navibus, ad mare purgandum piratis & arcendos à Flandricis portubus exteros, confiscando res bellici usus, restituendo cætera. Querentibus opposita juris Gentium ratio, quæ *hosti quovis modo*, id est, etiam cum amicorum incommodo, nocendum dictaret. Jus facile utrimque versabant; sed virium res fuit, quia tum nulla Europæ natio pares Belgis fœderatis mari vires habebat. Neque tamen prædationibus arcere poterant *Dunkercanos*, mari vasto, piratis multis & minoribus navigiis Belgicas eludentibus & omni die in mercatorias, quibus nunquam magis increbuit Hollandia, incidentibus, paratâ & divitè prædâ.

CAP.

CAP. VI.

De Belgicis rebus ab anno 1644. *usque ad Pacem Monasteriensem* anno 1648.

IN Principium anni MDCXLIV. incidit bellum *Sueco-Danicum*, de cujus caufis, progreffu & exitu in *Danicis* & *Suedicis* actum à nobis, quod huic fatis fit inftituto: In hoc etiam tempus inciderunt initia Pacificationis *Monafterienfis*, de qua fequenti capite, quantum ad res *Belgicas* attinet, feorfim agere conftituimus. Per hyemem renovatæ funt cum *Gallis* conditiones folitæ de fubfidiis in expeditionem proximam. Domi Societates magnæ Navigationis Orientalis & Occidentalis, cum prior floreret, hæc ad inopiam redigeretur, inter fe contenderunt: Occidentales inter alia urgebant conjunctionem utriufque Societatis; Eo modo fe confervari poffe, quibus alioqui magno Reipubl. & privatorum incommodo pereundum foret. Aliæ quoque Provinciæ, inprimis *Frifii* in Orientalem Societatem, cujus privilegiatum tempus effluxerat, admitti cupiebant: Sed utrumque Orientales pecuniâ & potentiâ prævalidi facile eluferunt, non obfcurè indicantes, fe vel abfque Ordinum privilegio fibi fufficere vindicandis, fi modo res Societatis, ut cuique fua patrimonia, liberæ & illæfæ relinquerentur. Occidentales autem *Mauritium* Comitem, qui rebus eorum aliquot annis præfuerat, induftriâ quidem acri bellicâ, fed nimio fumptu

tu illatisque detrimentis, Societati, ut hæc putabat, gravem revocarunt, isque Domum reversus in locum *Stakenbrouky* hoc ipso tempore *mortui*, *Secundus* Equitatus Belgici *Præfectus* Generalis, *Locumtenentem* vocant, creatus est. Societas ejus Præfecturâ, quemadmodum rationes ponebant, adjuta & exhausta, post ejusdem discessum omnia perdidit; *Lusitanis*, qui sub illorum imperio in Brasilia degebant, Regis & gentis suæ conscientiâ & auxilio, deficientibus; denique rebus domi forisque male & imprudenter ac improsperè administratis.

2. Principis expeditio inde à mense *Majo* lente progrediebatur. Conatus adversus *Hulstam*, hoste illis partibus intento, in irritum cessit, etsi forte avertendis Hispanis simulatus. Inde usque *Junii* mensis exitum apud *Assenedam* desidebat, nec alius quam prioris æstatis exitus præsumebatur; Quando, comperto, aditus ad *Zassam* sive *Cataractam Gandavensem* magni momenti locum minus esse custoditos, illuc repente cum omni mole castrorum se contulit, obsidionemque incepit die XXVIII *Julii* & *quinto Septembris* ad optatum finem deduxit, etsi rebus necdum ad extrema redactis, nec intus ullo defectu, sed aliquâ nationum, quæ in præsidio erant, discordiâ. Successus hic etsi modicus, si cum antiquis *BuscoDucensi*, *Trajectino Mosæ*, *Bredano* aliisque gloriosis expeditionibus comparetur, animum tamen addidit seni juvenique *Arausionensi*, ut oratione magnifica laudatâque Dei benig-

nignitate, fœderatos populos ad majores apparatus sumptusque faciendos excitarent, auctario prioribus annis adjecto in proximam expeditionem *millies mille florenorum* & amplius. Quod jam & *Hollandi*, quamvis hoc ipso tempore *quinquaginta navium classem* in *Daniam* mitterent, admittebant, nihil jam minuendis sumptibus, ut quotannis fuerant, molesti. Hoc ideo, quia maritima in *Danos* expeditio vehementer illis ad animum pertinebat, eamque *Princeps* impedivisset, nisi in terrestria & ipsi consentirent. Ita exemplo cognitum est, *optimates, si quid ipsis fiat volentibus, non parcere sumptibus*, ut postea cum soli regnarent, sæpe compertum est, dum se Principis solius consiliis plerumque transversos objicerent. Quamvis autem Princeps extraordinarios consensus à Provinciis liberaliter accepisset, sero tamen inchoata est expeditio & æstas effluxit, ambulando per *Flandriam*, donec *Octobri* demum mense substitit ad *Hulstam* sereno autumno, & obsidionem more solenni inchoavit. *Hispani* ab altera parte à *Gallis*, qui Deinsam ceperant, infestati, imbecillitatis erant manifesti. Munimenta, quibus cincta erat *Hulsta*, quorum minimis antea totus fœderatorum exercitus graviter irritoque successu inflictus fuerat, ubi *Henricus Casimirus* occubuerat, jam ultro deserebantur aut statim se tradebant: quin etiam die *quinto Novembris*, *Hulsta*, post oppugnationem menstruam sequuta est, non insuetis conditionibus. Supererat *Moerspuya* castellum novum

vum & bene munitum, cui rapiendo delegatus est *Wilhelmus Fridericus* Frisiæ *Gubernator*, qui impigre suas partes executus intra *octiduum* obsessos ad deditionem coarctavit. Idem aliis quibusdam munimentis factum & finita est feliciter expeditio, inusitata cœli serenitate hominum corrigente tarditatem.

3. Finitæ sunt etiam turbæ Septentrionales, pace *Dano-Suedicâ* & Transactione de vectigalibus controversiisque inter eundem *Daniæ* Regem & Ordines *Fœderatos* initâ *mense Augusto*: Cujus præcipua fuit hæc conditio, *per annos quadraginta Proximos in freto Orizundico servatum iri modum* vectigalium, qui Catalogo eâ de re confecto præscriberetur; post illud tempus elapsum, *Spirensem* contractum, de quo *supra*, priorem habiturum esse vim vigoremque, nisi quid alia transactione mutaretur. Interea temporis, *Belgicas naves haud fore subjectas visitationibus Danicis; nec ullas merces, naves hominesque Belgarum in regnis Daniæ & Norwegiæ majoribus oneratum iri tributis & vectigalibus, quam ipsorum incolas & Cives regnorum onerari contingat*. Hæc aliaque *Danus*, fracta priorum temporum ferociâ, Belgis intercessoribus iisdemque adversariis concessit; parva tamen præ iis, quæ Sueci, de quibus ante dictum, extorserunt. Quo pacto ab hoc tempore Dani cum Belgis arctius conjuncti, *Sueci* æmulatione invidiaque ab iis alienati fuerint, æque *superius* dictum non repetemus; infra tamen occasiones recurrent.

4. Se-

4. Sequentis anni res bellicæ famâ potius consiliisque sonantibus quam motu effectuque gestæ sunt. De *Antwerpiâ* non modo vulgi rumoribus sed etiam arcanis consultationibus actum & jam Princeps adjunctique Proceres, sine mandato *Ordinum*, Gallis promiserant, Urbe captâ se quatuor in templis publicam Religionis pontificiæ exercitionem esse relicturos; Nec ut res erat *Hispanorum*, magna difficultas in executione præsumebatur. Nihil tamen actum, ne tentata quidem obsidio *Antwerpiæ*, causis non ab *Hispanis* sed ab ipsis *Ordinum* partibus oriundis. Quas inter imbecillitas Principis *Arausionensis*, quæ à corpore ad animum propagabatur; Spes certa pacis apud *Monasterium* concludendæ, cui non conveniret tantæ molis expeditio: Idque *Princeps*, si quando tarditatis & occasionis admoneretur, præ se ferens, *utique Pax est*, ajebat. In quo proposito à Conjuge, *Hispanis* conciliatâ, uxorius senex confirmatus est. Galli & horum studiosi quique orientem solem adorabant, *imperium in Principem filium* translatum voluissent. Quod nec matri neque Patri adhuc probabatur, etsi hic ferè sibi ipsi viveret superstes; & nisi ultima exueretur ambitio, juveni laudis cupidine prurienti aliquid indulgeri potuisset. At mater, ne pax & præsumpta pacis commode Filii bellatore Spiritu & præcipitantia sibi de manibus excuterentur, metuebat. Erant, qui *Hollandis*, maximè *Amstelodamensibus* non volentibus futurum crederent, ut *Antwerpia* caperetur

tur; Ne, si deinde *Scaldim* ei occluderent, ut postea pacis lege factum, *cives suos opprimere viderentur*; Nec satis impedire possent, *Ne non mercatura postliminio se in urbem mire commerciis opportunam* reciperet. Addebant *Hispani*, se omnes vires ad servandam *Antwerpiam* coacturos, Gallis neglectis; illi caperent quod vellent quod possent, *Antwerpiam* sibi pluris esse. Quod si *Belgæ* ab hac parte, *Galli* ab illa *Hispanos* coarctarent, brevi futurum, ut *Belgæ* fœderati Gallis vicini fierent, quod jam illos cane pejus & angue metuere non ignorabant Hispani. Ergo agendi tempora castris otiosis consumpta, nisi quod flagitiis militaribus strenua ex otio navata est opera. Ex principio tamen *Octobris* movere se visus est *Princeps*, ad obsidionem *Venloæ*; magis ut *Hispanis* distractis, *Gallis* in oppugnatione *Dunkerkæ* prodesset, quam quod similem *Hulstæ* eodem anni tempore nuper obsessæ exitum speraret. Oppugnatione per aliquot dies continuatâ, sub finem *Octobris* Fœderati se cum omni mole Castrensi ad sua receperunt; Gallis iracunde susurrantibus, *Arausionensis* gloriam exitu tam deformi contaminari: Sed ipse reversus *Hagam* ad legatos Ordinum de reditu gratulantes; *potuisset*, inquit, *hac æstate plus patrari*, sed *habemus Pacem*: Quæ ratio novam Gallis offensæ causam suppeditabat.

5. Aliquanto magis quam hi rumores, animum Principis adfecit contracta sub exitum hujus anni adfinitas cum *Friderico Wilhelmo* Electo-

olim, non habiturum gratiam; *multum*, ut pro magnitudine *Principis* ac *Electoris* oporteret, nimis oneraturum populos: Præter quod *Ordines* impliciti erant æri alieno ingenti, quod in usum Clivensis Electoris ditionis, per *Hoefiiserum* Quæstorem sua fide contraxerant, quod forte *centum millium* constans *Imperalium*, morâ in immensum crevit, nec unquam à *Brandeburgicis* refusum creberrimam litis in longitudinem præbuit causam, ut quamdiu nostra quidem fert memoria, Scriptores *novellarum* perpetuum materiæ deficientis supplementum habuerint, æs alienum *Hœfysserianum* & de illo contentiones. Cæterū *Electori* spes erat, hujus adfinitatis & Principis favore copiam sibi fœderis arcti cum *Ordinibus* futuram, quo patrocinium sui cum alias, tum in *pacificatione Monasteriensi* valide susciperent, ne *Pomeraniam* hereditatio jure sibi competentem *Sueco*, quod agebatur, accepto *æquivalente* minus notabili, cedere cogeretur. Sed *Hollandi* jam pridem in hoc erant, ut suas rationes *authenticè* ac *independenter* à Principe administrarent, nec adeo plus hac parte quam Intercessionis officium, quod minimè sufficiebat, ab illis impetrari potuit.

6. Nuptiale festum, ut sunt res humanæ, mors consequuta est gloriosi Principis *Henrici Friderici* Arausionensis d. XIV. Martii MDCXLVII anno ætatis climacterico LXIII. herede filio *Wilhelmo*, cui sine liberis mortuo substituta fuit filia Primogenita princeps *Electrix Brandeburgica*, præteritis è Domo *Nassavicâ* agnatis; se-

men ſuorum Dominorum mandato. Cum vero nunc ejus *Imperij* generalis plenum jus & poſſeſſionem accepturus eſſet, Friſii inter Ordines *Generales* legati, quibus ſolis erat alius Præfectus, teſtati ſunt, *non conſentire ſe in illud Imperium Univerſale, niſi ſalvo jure Dominorum ſuorum Friſiæ Ordinum & ſalva decreti libertate, quod eà de re facturi forent; ſalvo etiam jure & facultate ſui Præfecti & Capitanei quem haberent Generalis.* Nolebant, ut videtur, eum ſubmittere vi legis, dum viâ *facti* ſubordinationem reipsâ non recuſabant. Sepultura denati Herois magnifice celebrata eſt *d.* x. *Maij*, pompâ funebri *Hagâ Comitum Delphos* uſque ſolenniter ductâ.

7. Non cunctatus eſſet *Gulielmus* Princeps hiſce feralibus defunctus cum exercitu prodire, quo juventutem ſuam gloriæ militaris aculeis excitatam, ſpeciminibus ætati proſapiæque decoris inſigniret. Sed Fœderati, maximè *Hollandi* tanto conſenſu in pacem ruebant, ut impetus eorum nullo modo ſuſtineri poſſet, neque de exercitu educendo, *Gallis licet urgentibus*, ullum verbum fieri paterentur. Ita exiit hic annus, pace non factâ, bello non geſto, ſed tractatu pacis bellicis prævalente moliminibus. Quo ſtatu rerum *in annum ſequentem* enixâ Hollandorum voluntate continuato, Pax aliquando ſævum bellum, omnium toto orbe vetuſtiſſimum, utpote geſtum per annos *octoginta*, ſemel induciis *duodecennalibus* interruptum penitus conſopivit, cum duratione ſua *Peloponneſiaci* & *Punici ſecundi*

belli, quibus in vetere Historiâ longiora non reperiuntur, annos etiam cumulatos longè superasset.

CAP. VII.

De pace Belgico-Hispanicâ, anno MDCXLVIII *initâ.*

TRactatus pacis apud *Monasterium* Westfaliæ, post varios conatus abortivos in exitu tandem anni MDCXLV inchoatus est; *Plenipotentiariis*, ita placuerat Legatos omnium gentium communi charactere designari, illuc undique confluentibus; etsi plures jam pridem cum ibi, tum *Osnaburgæ* occupati fuissent. Quamquam autem reliquis aderant Belgæ serius, celerius tamen omnibus, cum suis adversariis convenerunt. Hispani enim flagrantissime pacem cupiebant, nec quicquam Fœderatis, quod æquo jure postularent, negare in animum induxerant. Defectionibus enim *Cataloniæ*, *Lusitaniæ* adhuc durantibus & *Neapoleos Siciliæque* seditionibus ægrè defuncti, bello adversus *Belgas* & *Gallos* adsiduo gravissimoque, sed magis infido & inefficaci regimine attriti, vires ita labefactatas habebant, ut in *Belgio*, si utrimque summis viribus incubitum fuissent, durare non potuissent. Pulsis autem illis, quid futurum esset, prudentiores in *Belgio*, detersis affectibus ex *Hispanorum* odio, quod à majoribus natu inculcatum quasi cum lacte materno imbiberant, sicut res erat, considerare cœperunt. Gallos nunc quidem esse amicos;

sub-

ſubmotis autem *Hispanis* nihil aliud expectandum, quam ut gens inſolens, ambitioſa, quietis impatiens, inimicitiæ cauſas, quæ inter vicinos nunquam deſunt, adſumerent neque deſiſterent, antequam *Belgas fœderatos* ſibi reddidiſſent obnoxios, cujuſmodi periculum ab Hiſpanis viribus fractis & Gallos à tergo habentibus nullo modo reformidabant. Hoc jam olim, ſocietate Gallicâ primum inita, non fugerat præcipuos *Rectores*: Sed recens Auſtriaci nominis terror & horror nominis *Hispanici* pleroſque Proceres, populos & maxime Concionatores ita impleverat, ut hoc ad animum non revocarent. Quod non tam mirum eſt, quam quod Galli extremo tempore, cum *Hollandi* jam manifeſti eſſent hujus timoris & ſtudii pacis, non dederint operam, ut obviam his ſcrupulis irent, ſed formidinem illam intenderint, auxerintque demonſtrando, quam imbecilles *Hiſpanis*, quam promptæ paratæque vires ſuæ, quam proclive foret, Hiſpanos ultra *Pyrenæos* & *Alpes* ſubmovere, ſi fœderati bellum pauliſper continuarent, ut *Servientius* aliique adſiduo inculcabant. Non poteſt fieri, ut homines callidiſſimi ſequiorem animorum in Hollandis diſpoſitionem ignoraverint Regique ſuo per inſcitiam nocuerint. Magis eſt, ut quam rationem nullomodo refellere poſſent, diſſimulare maluerint, oſtentato fructu Gallicæ amicitiæ præſente, quo multitudinem & reliquas præter *Hollandos* nationes, quibus ille metus Gallicæ viciniæ *arcanum Politicum* erat, abriperent indicarentque cogitationes à

quibus ipsi essent alienissimi, ab arctissimæ societatis fiduciâ procul abesse: At illi fidenter legi fœderis insisterent, quâ cautum, ne aliter *quam conjunctim & communi consensu* pax iniretur. Hanc unicè illi sanctèque servandam jactare, non modo primo fœdere, quod *supra* vidimus, comprehensam, sed annuis pactionibus de subsidiis renovitam & nuper tractatu de pace tuenda, si communis inita fuisset, adversus Hispanos sancitam. Quandoque nec minis parcebant, Galliam pellendis Hispanis solam sufficere; Quod si eveniret, fore uti memores vindictæ vicinos haberent Fœderati.

2. Sparsi erant rumores arte magis *Hispanorum* quam sponte Gallorum, hos seorsim cum *Hispaño* transacturos. Primo per matrimonium inter *Regem* suum & *Infantem Hispanicam*, cujus dos foret, *Belgium Catholicum*, sub lege reddendi *Cataloniam*. Hoc evanescente, alius increbuit rumor, *Hispanos* arbitrium omnis controversiæ detulisse Galliarum Reginæ, domi *Hispaniarum* natæ; Nec erat hisce de rebus nihil verum, sed Galli utramque conditionem rejecerant, idque Belgis *fœderatis* enixe & evidenter approbabant. Hi vero nihil etiam aliud præ se ferre, quam æquè sanctè pacta conventa sequi & servare. Sensim tamen controversiæ gliscebant, an *obligatio Fœderis ultra & extra* Belgium se extenderet adfirmantibus Gallis & qui favebant illis inter *Ordines* ipsos, non posse fieri pacem, nisi Gallis acquisita per Italiam & Hispaniam salva manerent,

rent, negantibus actum de illis esse *Hollandis.* Galli etiam male consulebant, recusando fœderatorum legatis honores tralatitios legatis summarum Potestatem tribui solitos, in quibus Marchio *Castel-Rodrigo* Belgicæ Hispaniensis Præses & *Penerandus* Comes, *Legationis* Princeps, omniumque *Brunius* officiosissimus, omnesque Hispanie erant liberalissimi. Denique, res eo *Monasterii* adductæ sunt, æstate mediâ anni MDCXLVI, ut Legati utriusque partis *septuaginta articulos*, quibus Induciarum conditiones exprimerentur, signaverint & sibi mutuo tradiderint; Quâ de re Galli cœlum & terram querelis sui miscuerunt. Excusantibus Fœderatis, nihil adversus pacta conventa factum esse neque conclusum iri, visum fuit tam ipsis quam *Gallis*, qui de *pace* non de *induciis* agebant, quo major esset conformitas in tractando & obligatione concipienda, de præstandâ securitate mutua, in casum si Hispani pacem violarent; ut *Belgæ* quoque Tractatum, qui adhuc fuerat *Induciarum*, in Pacis æternæ conditiones mutatis mutandis converterent: ac ita deinceps actum & disceptatum est: Etsi dissentientibus aliquandiu *Zeelandis*, qui pacis æternæ instituto multa incommoda præsagiebant, veluti *militiæ ruinam*, *dissensiones* inter *provincias*, & quod mirum è bello pacem facientibus, *commercii labem*, aliaque, ut eventus docuit, non plane de nihilo. Consensere tandem in Tractatum Socii Ordines, legibus in quas omnes facile descenderunt inter se; Refor-

mata religio, quemadmodum in Synodo Dordracenâ conſtituta eſſet, immutabiliter cuſtodiretur. Eodem modo fœdus *Ultrajectinum*, ſive *Unio* Provinciarum. Militiæ ſummâ curâ conſuleretur, annuæque petitiones atque conſenſiones in uſum ejus tutelamque Reipubl. quotannis, ut ſolitum eſſet, repeterentur.

3. Diſceptatio inter *Hiſpanos* & *Belgas* eò brevi redacta fuit, ut concluſio eſſet in proclivi: Quam tamen ſequi non poſſe, niſi & Galli *conjunctim* in ſuam pacem conſentirent, præ ſe ferebant & Concluſio *Belgica*, prius quam *Germanica* pax conveniſſet, Proteſtantibus adverſus *Auſtriacos*, qui tum bello inferiores erant, ſummo futura fuiſſet præjudicio. Quare Hiſpanis ita Belgæ fœderati inſinuarunt, eſſe de nihilo quicquid inter eos conveniſſet, niſi cum Gallis & ipſi pariter concluderent; Gallis moderata ſuadebant neque diſſimulabant, *Hollandiam* bello feſſam anhelare quietem. Profecti dein *Oſnabrugam*, *Suedis* & *Gallis* rem *Palatinam*, *Haſſiacam* & univerſam *Proteſtantium* ſecuritatem ſerio commendarunt; minori cum auctoritate, quod jam ſuſpecti eſſent properati tractatus & quod ſibi conſulere in animum induxiſſent. Objectum eſt etiam, plus eos fuiſſe valituros, ſi cum Fœderatis Proteſtantibus arma, toties invitati, in *Germaniâ* conjunxiſſent: quam rem & alii vitio *Belgis* verterunt, quaſi imprudenter occaſionem, obtinendi luculentas, *Suecorum*, *Gallorum* & *Haſſorum* exemplo ſatisfactio-

factiones è *Germaniæ* corpore, perdidissent. Sed hæc quidem sera fuit reputatio; Defuncti autem commendatione suâ, *Monasterium* reversi, *Gallis* & *Hispanis*, qui proprie ad ipsos pertinebant, toti incubuere conciliandis. Hispanorum sic erat ratio; Argumentum pacis ter quaterve superiore seculo cum Gallis initæ fuisse restitutionem omnium bello captorum: Idem nunc æquum sibi videri. Cum id Belgæ nullo modo à Gallis concessum iri demonstrarent, nec adeo de sua pace quicquam esse sperandum, nisi *Hispani* aliam inirent rationem; hi inexpectato, se esse paratos ad compromittendum in legatos Belgarum fœderatorum, quibus mirifice blandiebantur, ut ipsorum arbitrio pax constitueretur, significarunt: Quod & hi, licet ægre ac illibenter, Gallis consentientibus, in se recepe-runt, eoque rem brevi perduxerunt, ut pauculis capitibus indecisis, jam de genere amicorum paci includendo ageretur. Arbitrium illud Legati receperant, vi compromissi à partibus facti, non ex *Ordinum* mandato, quibus id invidiæ causam præbuit. Sed non erat compromissum absolutum, erat *mediatorium* duntaxat. Ac ideo Gallis promptum fuit, novas identidem ingerere difficultates novaque emittere postulata; quibus toties repetitis, adeo irritatus est *Pennerandus* Comes, Legatus, ut aliquando in hæc verba eruperit; *Potius occidemus parentes, suspendemus uxores, comburemus templa, vendemus calices, quam protervia & insolentia Gallorum*

rum subjecti fiamus. Sed nesciunt, ut videtur mortales, quid ferre queant; hæc tantum erant folia, præ arboribus, quas à Gallis deinde sibi injectas, salvis parentibus, conjugibus, templis, & calicibus, tulerunt Hispani.

4. Gallis retrocedentibus, Belgæ non habentes in animo seorsim concludere, novas etiam propositiones intulerunt, tam ad Societates Indiarum, quam ad exercitium religionis, in Majoratu Sylvæ Ducensi pertinentes, imprimis ad Superiorem *Geldriæ* partem, quæ sub *Hispanis* adhuc erat, cedendam. Cui à Gelriæ Ordinibus profecto postulato, ab Hollandis & cæteris adjecta erat clausula; *Conclusionem pacis inde non videri suspendendam*. Quod subodorati, ut videtur, *Hispani*, cum in cæteris ad temperamenta justa venirent, de superiore *Gelriâ* ad extremum in inficiis perstiterunt. Ideoque missa hac conditione, de cæteris omnibus convenerunt, eique conventioni subscripserunt VIII. Januarii 1647. semper tamen hoc reservato, nihil actum fore, nisi cum Gallis pariter convenisset. Hi vero non contenti hac reservatâ conditione, de Belgarum festinatione, quâ suos tractatus præcurrebant, quod ex lege fœderis minime liceret, acerbe conquesti sunt, nec opprobriis neque minis parcentes. Cumque merito, quorsum hæc essent evasura, metuerent, *Servientius* Legatorum fervidissimus & facundissimus Hagam se contulit, receptus ibi die VIII. *Januarii* à duobus Ordinum Generalium Legatis loco Prin-

Principis Araufionenfis, cujus parens & patruus hoc officio recipiendi Legatos plerumque defuncti fuerant. *Wilhelmus* Princeps, id officii melius *Magiftro Cærimoniarum* quam Principi regiæ dignationi proximo congruere exiftimans, eo deinceps abftinendum judicavit. Sed paulo ante *Servientium* adfluxerat *Hagam*, cum literis commeatus, ab Hifpanis legatus, *Philippo Regio* nomen erat, propinquitatibus Belgicis innexus & Gallis admodum gravis æmulus; Quem & removere conati funt, fruftra; *Hollandis* nihil quod ad pacem faceret abfolvendam, omittentibus. Qui etiam quod à Legatis *Monafterii* actum & fignatum erat laudarunt atque probarunt, etfi non idem *Zeelandis* & *Vltrajectinis* videretur. Quicquid *Servientius* in diverfum orationibus, libellis, invectivis, cohortationibus de infidiofa *Hifpanorum* liberalitate, notâ perfidiâ, de Gallicæ Coronæ offenfa vitandâ copiofiffime atque ardentiffime differeret, ingenti fixoque pacis defiderio refutarunt *Hollandi* & major reliquarum pars Provinciarum; utcunque earum Proceres populique non minus ac *Hifpani* Gallique ftudiis contrariis fciffi colliderentur, fcriptis, libellifque fine fine modoque publicatis.

5. Aliud interim erat, quod Galli, quod Hollandi cuperent, & quod fua intereffe judicarent diverfumque à jure quo nitebantur & quod præferebant. In eo conveniebant; Obligatas effe partes ad pacem non aliter, quam *conjunctim* *com-*

communique consensu tractandam, concludendam. Teneri ad præstandam sibi mutuo possessionem locorum, quæ anno 1635. possidebant & quæ deinceps acquisiverant; quæ Galli sub pactione *guarantiæ* quam vocant, contineri putabant. Præterea sic erat *Hollandorum* ratio, quam re tamen magis quam verbis præ se ferebant; *Si Galli obtinere possent ea, quibus ipsi præstandis erant obstricti, nec tamen acquiescere, sed in armis continuare vellent, non prohiberi Belgas seorsim finire bellum; cujus in æternum nulla queat esse justa obligatio*, nec id à partibus actum videri posse. Maxime cum Proceres populosque Gallorum in eadem sententiâ, solumque Mazarinium inde esse alienum, ut in *Gallicis* intelleximus, satis constaret. His accedebat fiducia virium, quâ se Gallicas iras, sine periculo, si Hispani in Belgio consisterent, sustinere posse credebant. Sicut autem Galli aquam & ignem diversis manibus portabant, videntes quid ageretur, ut novo se cum Belgis vinculo conjungerent, Tractatum *Guarantiæ* cum iisdem iniverunt mense *Julio* 1647. locum habiturum, ubi pax utraque cum *Hispanis* inita fuisset. Quo casu ipsi tenerentur succurrere *Belgis*, si *Hispani* ullum locum tempore pacis initæ à Belgis possessum invaderent; atque hi vicissim *Gallis* auxilio forent, si *Hispanus* pace factâ invaderet ullum in *Galliâ* vel in *Belgio* & Comitatu *Roussillionensi* locum, unà cum *Pinarolio*, item in *Cataloniâ* durantibus induciis tricennalibus, de qui-

bus

bus agebatur: Sed hæc conventio fundata erat in hac hypothesi, *Gallos* operam daturos suæ paci quamprimum stabiliendæ. Quod cum illi non satagerent, quâ de re in *Gallicis* actum & ex *Nanio* relata sunt, quæ alibi non extant, *Plenipotentiarii* tandem Hispani & Belgæ Tractatum pacis subscriptione suorum nominum confirmarunt; *die* xxx *Januarii* MDCXLVIII. Et quanquam Galli adsiduis libellis ac obtestationibus antiqua sua beneficia novasque pactiones inculcarent, *Regisque* & *Reginæ* regentis literæ hac de re ad *Ordines* missæ lectæque fuissent, tanta nihilominus in *Hollandis* erat pacis, in cæteras quoque nationes propagata, cupiditas, ut neglectis & vix ullo exceptis responso Regis Reginæque literis legatique libellis, Ratihabitio *die* XVII *Apr.* decreta sit à sex Provinciis, *Zeelandiâ* dissentiente; Nam *Ultrajectini* suum consensum ad ultimum usque dilatum postremo adhibendum putarunt. Omnia solenni jurejurando firmata sunt publice *Monasterii* xv. *die Maji*, & publicatio facta est *die* v. *Junii*; quam *Zeelandi*, utcunque inhærentes decretis suis & Protestationibus, tamen confusionis evitandæ causa, in suâ quoque Provinciâ tempore rituque eodem; nisi quod ignes lætitiæ indices, quibus & Leidenses abstinuerunt, adhibiti non sunt, fieri curaverunt. Non cessantes interim vituperare pessimeque augurari de fructibus hujus pacis, in qua vaticinatione multi è concionatoribus illos imitati sunt, ausi postmodum imputare quicquid

deinde malorum à Deo & ab hominibus in Belgas domi forisque derivatum fuit huic paci. Ipsius Instrumenti Pacis hujusmodi est argumentum; Post præfationem, *Agnitio libertatis Belgicæ & renuntiatio plenissima juris Hispanici*: art. 1. *Mutua amicitia & commercia libera* 2. 4. 8. perinde ac *Hanseaticæ* Civitates & *Angli* in Hispanicis ditionibus gaudent 16. 17. 20. salvâ tolerantiâ & modestiâ in causa Religionis 18. 19. *Excepta America, ubi non licet navigare vel negotiari in locis ab alterutra parte occupatis* 6. *Exceptis etiam ingressibus armatis notabilibus, sine causa necessitatis aut consensu. Conservatio locorum quæ singuli in utrâque etiam India possident, cum suis dependentiis* 3. 5. *Actus hostiles in India non cessaturos cis annum, in Americâ semestri elapso, nisi publico instrumento prius de pace constiterit. Neutra pars alterius cives majoribus oneret tributis quam à suis propriis exigit.* 8. 9. 10. 12. 13. 15. *Sed flumen Scaldis cum Gandensi & Swynensi canalibus aliisque in Belgicos sinus effluentibus occludentur à parte Ordinum Generalium.* 14. *Confiscata vel divendita bona belli causâ, utrimque restituantur, etiam heredibus Nassovicis.* 24. 25. 26. 27. 44. 45. *etiam his qui in loca Neutralia secesserint, cum dependentiis & fructibus à tempore conclusæ pacis* 36. 37. 38. 39. 40. 41. *idque libere* 46. 47. 49. *sed fructus ante pacem initam percepti resque mobiles non restituantur* 54. 55. *Privati utriusque partis, invicem succedendi capaces, & exheredationes belli odio factæ abolentur* 61. 62. *captivi re-*

relaxantur 63. *Contributionum reliqua solventur eorum qui his præsunt arbitrio* 64. *Amnestia dictorum factorumque præstetur in universum* 65. *Et fruitio libera juris cuique sui, cum effectu articuli* 15. *induciarum duodecennalium & artic.* 10. *Transactionis die* 7 *Januar.* 1610. *n.* 65. 66. *Salvis cuique possessori meliorationibus, à judice ordinario æstimandis, quorum rata sint sententiæ.* 48. *exceptis etiam ædibus urbanis* 33. 34. *salva etiam permutandi facultate partibus inter se* 41. *Præscriptio temporis nemini præjudicabit* 35. 36. *Ecclesiæ & Collegia pietatis, bona sita in diversa parte repetent, aut pro divenditis usuras percipient semisses* 43. *Additur renuntiatio in diversas à Principe Arausionensi pridem possessas ditiones* 49. 50. *Prohibentur novæ munitiones & fossarum depressiones, alteri parti noxiæ* 58. *Limitum reductio & constitutio, cum restitutione monumentorum & instrumentorum, ad loca cessa pertinentium, quæ sub adversa parte reperientur* 67. 69. *Destructio munimentorum circa Slusam à parte Regis. In Cassandia quaque sunt in parte Orientali Scaldis, Ordinum respectu, excepto Lilloano & Spinolano, de quibus conventio fiet; sed agger obstruens* Soutam *flumen cataractâ mutabitur, salvâ Slusæ urbi jurisdictione aquatili.* 70. 71. *Infractiones pacis à privatis facta reparabuntur à Magistratu cujusque loci, sine armis; sed literæ Retorsionum & Repressaliorum erunt licitæ* 60. *Camera juridica stabilietur bipartita, alternis vicibus in Regia & Ordinum ditione habenda, quæ super infractione vel non executione Pacis, super*

commerciis oneribusque utrimque illis impositis judicabit; Executione sententiarum facienda à judicibus locorum, in quibus res geruntur 21. Eadem Camera judicaret de possessione ditionum transmosanarum, quarum jus manebit iis, qui nunc eas possidere deprehendentur. Sequuntur art. 72. & seqq. quædam privata, cum amicis paci includendis; *quos inter non fuit*, ut voluerat, Oldenburgi Comes, *quia tunc Ordines ei non putarunt concedendum vectigal ad Visurgim: Reliqua ad observandæ pacis sanctionem pertinent.*

6. Cautum articulo peculiari, *ut navigare liceret ad hostes alterius partis, modo res bellici usus non subvehantur: Qua de re fides habebitur literis salvi conductus, quas nautæ exhibeant. Interdictione ab Ordinibus facienda civibus suis, ne merces prohibitas vehant. Exceptis in Galliam navigationibus, quæ continuabuntur, ut antea, exceptis tantum mercibus, quæ provenientes è ditionibus Hispanicis iisdem nocere possent.*

7. Præterea, cum Principe *Arausionensi* Tractatus peculiaris initus est, quo ipsi de damnis avo suo Patrique & Patruo, durante bello datis, satisfieret, qui jam ante, quo faciliorem Hispani Principem ad acquiescendum in pace haberent, signatus erat; in quo non est neglecta Conjux *Amelia*, quæ de suo indotata per hanc conventionem duo nobilia feuda *Zevenbergam* & *Turnhoutium* adepta est. In hujus conclusione pacis, terminum præsentis sectionis habemus.

S E C-

SECTIO VIII.

De rebus Turcicis, Perſicis & Sinenſibus.

CAP. I.

De rebus Turcarum ſub Amurathe Imperatore.

RES Turcicas & ſi quid apud barbaros occurrat ad ſummam rei memorabile ſpectans in *ultimam ſectionem* diſtulimus; Apud Turcas *Amurathes IV.* inſtitutum ſuum, rigore ſuppliciorum coercendi licentiam militarem ita continuavit, ut primo quidem prudentiæ & ſeveritatis mereretur æſtimationem, quâ conſequutus eſt, ne quod fratribus *Oſmanno* prius & dein *Achmeti*, à ſuis indignè trucidatis accidit, ipſi evenerit; Sed non tenuit hanc moderationem; adſuetudine ſæviendi promiſcuam induit crudelitatem, quâ non modo Vizirios quatuor ordine continuo dejectos in exilium miſit; Sed etiam in Præfectos plures, privatosque innumeros; cauſa non cognitâ, ſubitis & capitalibus ſuppliciis animadverterit. Qua de re cum apud Supremum rei ſacræ Præſidem, quem *Muftium* vocant, conſilium, quo pacto immanitati Principis occurreretur, agi intellexiſſet, ipſum *Muftium* ejuſque filium ad ſe vocatos incontinenti ne auditos quidem ſtrangulari juſſit. Unde

quâ in reliquos moderatione sit usus, intelligi potest.

2. Sed à civibus hic furor in exteros translatus est; primo adversus Polonos, de cujus successu belli egimus in *Polonicis*. Susceptum erat ab *Amurathe*, consilio imprimis *Abassæ*, Præfectorum ejus excitatissimi; quem *Moschi* ab *Vladislao* male habiti donis ad auxiliare bellum à Turcis impetrandum corruperant. Sed hujus impetrati terrorem *Moschi* ad pacem cum Polonis ineundam adhibuerunt; Unde perculso Amurathe, supplicium Abassæ irrogatum & Pax à Polonis per Turcas ambitiose expetita & conclusa anno 1634. Sequens annus habuit motum in *Transylvania*, quo auxilium ferebat *Amurathes* Stephano *Bethlenio* adversus *Georgium Ragozium*, cui Principatum infestus jam pridem Amurathes abrogare constituerat. Sed is etsi à Cæsare *Ferdinando* destitutus perquam strenuè se defendit; cæsis & fugatis xxv. millibus Turcarum, quos *Budensis* Præfectus in Transylvaniam duxerat, Legati sui *Cornis* opera, qui cum septem millibus haud pluribus à *Rakozio* præmissus & cum hoste congressus erat. Hanc cladis injuriam *Amurathes* jam contra Persas animatus, ægerrime licet ferens, ad tempus dissimulandam videns Pacem *Rakozio* dare coactus est. Bellum Persicum inde cum anno 1636. ab Amurathe ipso, qui domi luxuriosus in castris totus militaris, ambulandi algendi, vigilandi patiens erat, summis viribus gestum, feliciter primùm, *Revano*, quod

Emir-

Emir Gumir Persa cum præsidio quindecim millium rebusque necessariis abunde instructum tenebat. post octiduum capto, voluntariâ præfecti Turcas deinde sequuti, deditione. Quæ victoria dum festo triumphali per quatriduum celebratur, duo fratres *Amurathis*, *Bajazethes* & *Orchanes*, & hic quidem, nonnisi post quatuor è carnificibus suis occisos, strangulati sunt. *Taurisium* deinde militibus prædæ concessum destruxit *Amurathes*. Verum à Persis nullâ stataria pugna, sed insidiis & tumultuariis equitum irruptionibus, denique & inopiâ per vastationes longe lateque paratâ, fatigatos milites in hiberna reduxit; ipse Constantinopolim reversus est, ubi novam crudelitatis in omne genus hominum aperuit scenam, levissimas causas atrocissime puniens, veluti ob venditum *tabacum*, quod prohibuerat, viros feminasque palis infixit, brachiis, pedibusque truncavit, ac ita in cæteris; non minus auri Procerum quàm sanguinis omnium sitiens, æquè militibus atque Togatis infestus ideoque mirificè exosus: Sed formidatus simul ingenii servilis populum in metu & subjectione continuit.

3. Interim Persæ *Revanum*, cæso Præfecto, seditione militum orta, recuperarunt. Exercitus autem Turcicus sine *Amurathe* podagrâ retardato in *Mesopotamiam* missus continuis seditionibus agitabatur, etiam clade *quindecim millium* debilitatus, fraude *Curdai* Persæ, qui à Rege suo male habitum se questus, apud Turcas in

tantum invenit fidem, ut in locum deductos insidiis Persicis insessum illâ strage adflixerit, anno 1636. Persæ tamen continuo pacem implorare per legatum Constantinopolim missum; Sed Amurathes more Turcico rebus improsperis pacem ratus ignominiosam, primo aliqua nobili victoriâ dedecus acceptum delere parabat. Cum exercitu ccc. millium Babylonem, cum prius fratrem puerum sibi decore & facunde valedicentem, æmulatione tyrannicâ motus strangulari jussisset, mense Novembri 1638. obsedit; nec enim prius tam vastum iter tanto cum exercitu absolvi potuerat. Urbs illa Persis succubuerat anno 1613. quo *Abas* Rex eam Turcis eripuit. Amurathes eandem triginta millium præsidio munitam post maximam suorum stragem vi armatâ recuperavit die XII. *Decembris*. Viginti quatuor præsidiariorum millibus, qui sub pactione vitæ salvæ arma deposuerant, cum uxoribus liberisque perfidè neci datis. Reparata hoc modo gloriâ Portæ & valetudine *Amurathis* in deterius eunte, cum reversus esset Constantinopoli, *mense Junio* 1639. rogantibus Persis data pax, æquis conditionibus, *Uti possidebant*.

4. Eodem tempore *Lupulus* Moldaviæ Princeps, corrupto *Caimachano*, qui est summus Constantinopolis Præfectus, pro filio suo Rescriptum ad Matthæum *Valachiæ* Principem, Virum *Lupulo* non paulo meliorem, quo Principatum in Lupuli filium transferre jubebatur, impetravit. Sed *Matthæus* hanc injuriam deprecatus, cum

Lu-

Lupuli copias prælio fudiſſet, à Turcis qui libenter fortunæ ſuffragantur, reſtitutionem favoris & Principatus ſui impetravit, Caimachanus autem, accedente ad hoc crimen poſſesſione duorum millionum ſcutatorum, in carcerem miſſus & ſtrangulatus eſt. Nec multo poſtea, cum Venetis contentio de portu Valonæ violato ibique deſtructis Algerienſibus, quâ de re in *Italicis* actum, tranſacta eſt, ſolutis Amurathi quingentis coronatorum millibus. At cum is nova bella meditaretur in Chriſtianos neque à luxu, præſertim ab ebrietate, deſiſteret, etſi arthritide, quin etiam paralyſi ſubinde tentaretur, febri tandem ardente correptus, vitam cum morte commutavit VIII. Februar. 1640. anno ætatis XXXI. regni XVII. quod turbulentum & fragile nactus, vigore bellico & rigore civili validum & pacificum reliquit, inſtructo quindecim auri millionum ærario, quod inane repererat.

CAP. II.

De rebus Turcicis ſub Ibrahimo Imp.

CRudelitas, qua milites & populos, ſub tutelâ militaris vigilantiæ, in obſequio retinuerat, domum *Amurathis* exinaniverat, tribus interfectis fratribus, quibus patruum *Muſtapham* in reditu à victoriâ Babylonicâ adjecerat. *Ibrahimo* fratri unico ſuperſtiti per contemptum

pepercerat, adſpectu externo animoque Regiæ fortunæ incapaci. Quem propterea ſucceſſione præcludi ſanciverat *Amurathes* Duceſque & Magiſtratus jurejurando ad ſubſtituendum ſibi *Tartariæ Chanum, ad* quem ex Fœderis Imperii lege, defectu domus *Othomanicæ*, Turcicum pertinet Imperium, adegit. Sed *Kioſemi* matris ejus induſtria metuque dominationis externæ, maxime; cum Tartari minus aliquantiſper adverſus Portam officioſi fuiſſent, Amurathis diſpoſitio & jusjurandum, quaſi metu ab illis extortum in irritum ceſſerunt, electuſque *Ibrahimus* cum ægrè è carcere, cui à fratre incluſus erat, nec niſi matris hortatu & adſeveratione, denique fraterni cadaveris exhibitione evocatus eſſet, in templum *Jubi* deductus, ibi ſolenniter inauguratus eſt, octiduoque elapſo lætum introitum equo vectus more ſolito *Conſtantinopoli* celebravit. Sed ut erat corpore inhabilis & diuturno ſqualore carceris ac adſidua mortis expectatione fractus & animo inculto, tam deformem in illo feſto & tranſvectione ſolenni perſonam exhibuit, ut riſu majore quam applauſu exciperetur, ut jam exinde non eſſe natus ad Imperium præſumeretur. Incluſus deinde Palatio ſuo de nulla re minus quam de Reipublicæ adminiſtratione cogitans, ſe totum voluptatibus dedit, Imperii curâ *Matri* feminæ ſolerti Vizirioque & cæteris, qui ſub *Amurathe* fuerant, miniſtris commiſſâ: Nam hos omnes mater Imperatrix, ut promiſerat, in ſuis locis conſervavit. Ita factum,

ut etiam sine Principe res eodem fere modo, quo pridem, administrarentur.

2. Prima foras expeditio fuit adversus Cosaccos, ut *Asacum*, unde pontum Euxinum infestabant, iis eriperetur. At Silistriæ præfectus expeditionis Dux urbem adeo munitam, Cosaccos adeo pertinaces invenit, ut post diuturnam obsidionem & continuam septem dierum oppugnationem, infectâ re, sed maximâ strage se recipere cogeretur, anno 1641. Sed Turcæ non soliti cladibus à proposito deterreri, anno sequente, sub alio Duce, longe majore cum exercitu & classe ad Asacum obsidendum se contulerunt. Quam vim *Cosacci* primâ obsidione vehementer labefactati, cum nec à Moschis neque à Polonis auxilia sperarent, veriti, urbem deseruere, destruxere suisque ruinis involverunt: Opportunitàs tamen situs & momentum loci ad securitatem Ponti fecit, ut à Turcis instauraretur, non deficientibus incolis veteribus & novis, haud alibi majore pro commerciis & sustentatione vitæ commoditate, quam Borysthenes flumen & Pontus undique Turcicis cinctus ditionibus, suppeditabant. Hanc victoriam excepit lætissima nativitas duorum filiorum, qui nati sunt *Ibrahimo*, *mense Februario & Martio* 1643. majore populorum gaudio, inde, quod cum unicus *Othomanicæ* domus esset *Ibrahimus* idemque gignendi impotens, etsi mollissimus in feminas, haberetur, qui rumor ex intimo gynecæo ortus & propagatus erat, omnes imminentem Tartarici

Principis dominationem reformidaverant. Sed isti & tres alii filii annis 1644 & 1645. nati, rumores de Principis impotentia abunde refutârunt. *Ibrahimus* interim voluptatibus suis immersus omnia Matri primoque Vizirio Mustaphæ, qui securitati gloriæque domini sui impigrè invigilabat, confidit; Sed *Kiosem*, ita mater Imperatoris vocatur, ambitiosa, superba, quamdiu *Mustapha* illam observabat ut dominam, ei concors, ubi adsuetudine imperii minus eam curare visus est, Imperatrix filio persuasit, eum nimis esse potentem militesque ab illo ita pendere, ut omnia satis in potestate haberet; esse tollendum, eoque facile obtinuit Imperium, quo *Mustapha* marisque Præfectu strangularentur, alii mulieris arbitrio substituerentur, anno 1644.

3. Sub adeo molli Principe non expectabantur acres motus in viciniam. Sed genius Turcici magis Imperii quam Imperatoris, initium dedit *anno sequenti* atrocissimo cum *Venetis* bello, caussis & progressu, quas & quem vidimus *in Italicis*. Dum hoc variâ fortunâ gravibusque ab utrâque parte cladibus *transfigitur*, *Ibrahimus* in suo Palatio luxu infami, raptibus & stupris Imperatorem agebat, offensis & aversantibus eum cunctis Ordinibus, etiam matre ipsa; quod universale odium erupit in nervum, postquam *Mufiii*, id est, Summi Sacerdotis filiam rapuisset & per vim constupratam, patri domum remisisset. Pontifex ab aliorum ejusdem appellationis ingenio non abhorrens, profundâ dissimu-

mu-

mulatione vindictæ ſtudium celans, cum duobus Proceribus, *Mahomete* & Janizariorum Duce conſilia communicavit. His viſum eſt, præſentem *Vizirium* Ibrahimi libidinum miniſtrum eſſe tollendum & ipſum Principem ſolio deturbandum; Cui rei mater Imperatrix offenſa filio, quod ei minus auſcultaret ipſamque nuper cuſtodiæ datam, nonniſi per infimas preces dimiſiſſet, etiam conſenſit. Proximum fuit, milites ultro paratos ad ſeditionem excitare, per quos *Vizirium* ſuum deſtituere coactus eſt *Ibrahimus*, quem Janizari è continenti ſtrangulaverunt. Poſtridie *Muftius* ipſum *Ibrahimum* citavit in Divanum, ut actionum ſuarum rationem redderet, *ad quod flagitante populo, quilibet Imperator teneretur*; quâ de re decreto ſecundum Legem *Muhammedis* publicato, adjecit, Principem, qui parere nolit huic Legis præcepto, pro infideli eſſe habendum imperioque ſuo excidere & eſſe privatum. Quæ res argumento eſt, apud Turcas & Barbaros doctrinam de Principibus removendis haud multo aliter quam apud Chriſtianos Pontificios ſe habere, neque multo ſecus apud *Proteſtantes Independentes*, qui fere eodem tempore parem in Angliâ ludum celebrarunt. *Ibrahimus* cum minime pareret Vizirioque novo ſupplicium à Muftio exigere juberet, nova militum ſeditione throno dejectus & in Carcerem conjectus eſt, in quo, ut fere uſu venit, paucis poſt diebus ſtrangulatus eſt; filio ejus annum agente ſeptimum in lo-

locum Patris surrogato, cui *Muhameti IV.* nomen fuit. Hæc anno MDCXLVIII.

CAP. III.

De regno Persarum.

DE Persarum regno nihil adhuc nisi obiter diximus. Ultimo loco *Ismaelem Sophum* ibi regnantem *tomo* 2. *pag.* 147. reliquimus, prælatum *Mahometi Chodabendæ* fratri maiori natu, qui cæcutiens & quietioris ingenii neglectus erat, aut se ipsum subduxerat. Sed Ismaële post quadriennium à suis interfecto, *Chodabendas* à Proceribus ad regnum nolens volens adhibitus eoque per septennium potitus est. Bonus & facilis Princeps, eo tamen nihilo magis laudatus; illis gentibus herili duroque svetis imperio; crudeli Principe, si modo sævitiam æquabili ferociâ & fortitudinis opinione sustineat, facile se tuente. Chodabendes suum tempus in gynæceo magis quem in armis & conspectu armatorum transegerat; Mortuus duos reliquit filios, *Emirum Hemsium Myrsam* & *Abam Myrsam*. Primus natu successioni admotus à factione junioris vulgo magis amati, fraude operâque *Muschidculi* Aulæ Præfecti ejus, è medio sublatus est, corrupto tonsore, qui Præsentibus conjuratis Regi proximis, novaculam per jugulum ejus transegerat; ab iisdem conjuratis incontinenti interfectus.

2. Abas excitati adolescens ingenii cum à

Mur-

Murschidculio fiduciâ meritorum suorum insolentiore contemptius haberetur, illum brevi Nobilium quorundam, qui prius illam operam detrectaverant, ope, noctu ferro invasit & strenue resistentem, implorato equisonis auxilio, securis ictu confecit. Exemplo ita novo demonstrans, quod jam olim constat, Beneficia tam diu grata esse donec exsolvi possunt; ubi multum antevenerint, pro gratiâ odium reddi; nedum ut Principes eorum respectu à benefactoribus suis regi sustineant. Acta sunt hæc anno superioris seculi LXXXV. A quo tempore Schah *Abas* usque ad annum præsentis seculi *vigesimum nonum* Regno severe satis & prudenter & strenue præfuit; bellis adversus Turcas, Tartaros & Indos felicissime gestis, finibus Imperii luculenter prolatis, ædificiis & templis passim magnificè exstructis. Memoriæ Princeps apud Persas honoratissimæ & comparatione sequentium desideratior. Extremo tamen tempore non bene tulit vim dominationis, nec vitium maximis solitum in senectute Principibus, ambitiosæ crudelitatis, evitavit. Filium quippe *Sephium Myrsam* egregium juvenem, ætate maturum ac ut Solem Orientem notabilius cultum; æmulatione metuque, ne, quod in illis gentibus amat fieri, in Patrios ante diem inquireret annos & imperium rapere quam expectare mallet, vel à Proceribus novarum rerum cupidis atque *Aba* regnandi veteris & senili ætate severioris jam pertæsis, extolleretur, hunc, inquam interfecit, palam

& de-

& deformiter. Præceps in necem ejus datus erat, eo quod animum Paternum conciliare debuisset; nisi constaret, ambitionem cunctis prævalere affectibus. Conjectæ erant incertis auctoribus literæ in ædes Myrsæ, quibus Abas ut delirus & crudelis regno privandus & Myrsa in throno collocandus jactabatur, in eamque rem adhortationes auxiliaque offerebantur. Sed Myrsa literas è vestigio ad Patrem detulerat, laudatus quidem; sed aculeis suspicionum in senis animo relictis, ne non fieret, ut quod filius posset, aliquando vellet, seque ipsum tanto implebat timore senex ut aliquando ter in unâ noctelocum quietis mutaret. Hac diffidentiâ non nisi morte filii se liberari posse arbitratus, Kurtzugæo Chano duci militum supremo necem ejus imperavit. Qui posito acinace suo caput suum devotus obtulit, potius quam ut Regis filii caput auferret. Ergo per alium è Proceribus juvenem è balneo reducem muloque insidentem dejici & confodi jussit, flebiliter quærentem, quâ re Patris iram meritus esset. Mirificam omnium ordinum miserationem ac indignationem adeo non coercuit vecors conscientiâ senex, ut etiam à Matre defuncti se convitio atroci & pugno peti tulerit, neque fictâ pœnitentiâ mortem filii prosequutus est.

3. Habebat duos juniores filios *Chodabendam* & *Imanculum*; Sed hos ad æmulationem è domo suâ tollendam, more Regnorum Orientalium, diu antea visu privari jusserat. Ideo ad

spem

ſpem regni *Samum Myrſam* ex Sephio nepotem, cui Patris nomen dari voluit, admovit, iſque ſucceſſit avo, ſexageſimo tertio ætatis anno febri extincto anno Chriſti MDCXXIX. Mors Regis ad continendos Usbekios Scythas & Kilanos, qui ſunt Hircani, mobiles & Perſis infidos populos, tantiſper dum novus Rex inauguratus eſſet, occultata fuit, eodem fere modo, quo de Solimanno Turcarum Imperatore factum eſſe accepimus. Rex adoleſcens in adſiduo timore mortis exemplo Patris ſubeundæ educatus, ad quam ſe, cum primum à Proceribus è manu Matris extraheretur, educi exiſtimabat, omnium Ordinum lætitiæ, favore paternæ memoriæ, parum commode reſpondit, crudelitate ſupra omnes Caligulas & Nerones inteſtabilis. Primo quicquid propinquorum vel adfinium eſſet, quoſdam ſuis quoque manibus, ex conſilio quorundam adulatorum, ne luminibus ejus officerent, interemit, quos inter tres fuere ſororis filii, de quibus mater jactantius lætata jocos aliquos in ipſius orbitatem effutiverat, ferro illam ἀντιμυκτερίζων, Parentibus cædes laudare coactis, etſi nec ipſi mortem deinceps evitarunt. Parricidiis irritata crudelitas à propinquis in adulatores converſa fuit, hactenus non immerito; ſi ex pœnitentia ſcelerum admiſſorum in eam partem derivata fuiſſet, ibique ſubſtitiſſet. Ille vero nullum finem ſæviendi fecit omneſque Magiſtratus, quorum gravitate ſuos mores ebrietate quoque & impudicitia deformes argui videret,

deret, leviſſimis cauſis obtruncavit, ſæpe deteſtabili miniſterio Carnificis occupato. Erat *Seinelius* Chanus Aulæ Regiæ Præfectus Vir fide peritiaque præcipuus, de quo memoriæ proditum eſt, eum legatione pro Aba Rege functum eſſe ad magnum Indiæ Regem, cui *Mogul* eſt nomen, & quicum æterna Perſis æmulatio & de finibus contentio eſt. Hunc cum Seinelius venerari nollet, Indus portam, quâ intrandum erat legato, tam humilem fieri juſſit, ut niſi corpore inclinato, Rege in adverſo ſedente ingredi non poſſet. Quo ille non ſegniter animadverſo, poſteriorem corporis partem oſtio intorquens & dein obverſus Regi ſe ſtitit erectus, quod à Perſis ut nobile inventum eximiè laudatum eſt. Hunc Sephius Rex, auctoritati & dignitati hominis infenſus in conſpectu matris ſuæ furioſè accurrens obtruncavit. Eodem modo Conſilii Præſidi, quem Europæi Cancellarium vocant, ingenua procumbenti acinacem impreſſit in ventrem; Summumque militiæ Præfectum è balneo exeuntem, immiſſo percuſſore pariter occidit, aliosque plures; ut nemo, cujus dignitas ab ipſius beneficio profecta non eſſet, & auctoritate aliquâ in populo militibuſque valeret, amplius ſupereſſet. Accidit, ut cum omnes eum non ſecus ac feram beſtiam metuerent ac odiſſent, veneno impeteretur, nimis lento, cujus vi, morbo bimeſtri defunctus eſt. Cum autem è gynœceo profectum eſſe diceretur neque de veneficâ conſtaret, *Sephius* quadraginta matronas

tronas & virgines, in quas caderet ſuſpicio, in horto longâ foſsâ vivas obrui juſſit, quas inter Matrem ſuam, cui quod aliquoties ipſum à ſceleribus dehortata fuiſſet, pridem ſuccenſebat; eſſe ſepultam; quia tum deſiderata fuit, creditum & publicatum eſt; Hoc monſtrum tamen tulit Perſia & ſicca licet feſtinata per libidines morte perire vidit, anno CIↃ IↃC XLIV. ſucceſſore *Aba* filio *tredecenni.*

4. Res bello, tempore *Sephii* geſtæ, in Turcicis demonſtratæ ſunt. Primo ſatis feliciter, Hircanos Duce *Caribo* rebelles ſuperavit, Turcas Babylonem obſidentes repulit, *Ervanum* ſua maxime audaciâ recuperavit; ut tamen ad temeritatem propius quàm ad fortitudinem accederet; amiſſis quinquaginta hominum millibus in expugnatione civitatis. Poſtremo Babylon, à Schâ-Aba capta, ubi ſex & viginti annis in poteſtate Perſarum fuiſſet, Amurathi ſuccubuit; ut pridem intelleximus.

CAP. IV.

De revolutione Sinensis Imperii, primo à Latronibus lacerati, dein à Tartaris Niuchensibus occupati.

ETsi Barbaricarum res nationum per *Asiam & Africam*, nulli literarum æquabili memoriâ proditæ, non sint hujus instituti, si qua tamen notabilis & celebris in illis partibus eveniat mutatio, ad illas fieri digressionem, res & utilitatis jucundique ratio postulare videntur. Talis autem hoc intervallo *Sinensis* Imperii Revolutio perpetrata est. Quæ gens terrarum spatio, divitiis & infinito hominum numero reliquas orbis terræ nationes, si credimus his, quibus fides negari non potest, superans, forte nec inter Barbaros collocanda videtur, si humanitatis, eruditionis, disciplinæque publicæ atque privatæ cultum, quem scriptores Europæi tantis efferunt Laudibus, ut ipsis Europæ *nationibus* palmam præripuisse videri queat, comparemus. Tantâ quoque in veteri gentis Historiâ exactitudine & æquabilitate Chronologicâ uti dicuntur, ut viri docti ex earum collatione contra ipsos sacræ scripturæ calculos, qui in editione Hebraica reperiuntur, argumentum petere non dubitaverint. Duplicem illi Historiam suam esse tradunt, *Fabulosam* & *Certam*; atque hujus initium ita determinarunt, ut inciderit in annum *ante Christum natum bis millesimum*

ſimum nongenteſimum quinquageſimum ſextum. Sed ab omni vetuſtate Sinenſibus moleſti fuere Scythæ, ſive Tartari Orientales, ubi ſunt regna *Samarcandæ*, *Tanigu*, *Niuche*, *Niulhan*, qui Sinenſes ab Occidente-Septentrione ſpectant; mirifice ab horum ingeniis, moribus ac inſtitutibus alieni; feri, venatores, inquieti, crudeles; Vagi in tentoriis habitantes, qui ſemper cultiſſimis & locupletiſſimis *Sinæ* ditionibus inhiarunt; eamque bello per annos *ſeptuaginta* tres continuato, ſuperatoque muro, quem Sinenſes trecenta milliaria Germanica longum adverſus eorum incurſiones ſtruxerant, Duce nominatim *Temirlano*, totam in poteſtatem redegere, ſeculo *æræ Chriſtianæ XIII.* tenueruntque ad annum uſque *ſequentis ſæculi* LXVIII, quo fracti deliciis Sinenſibus, amiſſâ priore ferociâ, pulſi ſunt à Sinenſibus, *Chuvo* Duce, qui ex ſervo ſacrificuli factus latro, collectis paulatim majoribus copiis & favore popularium, Tartaros ex omni Sinæ regno ejecit, ac ipſe vacuum thronum, applaudente populo, occupavit, auctor novæ ſtirpis, quæ *Taiminga* nomen habuit, ſibique nomen dedit *Hunguvi*, id eſt, magni bellatoris.

2. Atque ab eo tempore Sinenſes per annos *ducentos & quinquaginta* in pace floruerunt; Tartaris Orientalibus, à quibus antea ſubacti fuerant, qui ſunt ab ipſis in Occidente, nihil in ipſos moventibus, & Septentrionalibus, ubi *Niuchenſes*, à quibus ſibi tum potiſſimum me-

tuebant, *heptarchiâ* constitutâ, bellis civilibus ita inter se commissi fuerant, ut tributo *Sinensibus* obnoxii à præfectis eorum insolenter adfligerentur. Sed *Niuchenses* tandem heptarchiâ extinctâ, ad unius regis obsequium redacti sunt, quod factum refertur ad *annum aræ nostræ* MDC. Præfectis tamen Sinensibus, insultare illis pergentibus, ut Regem quoque illorum perfide trucidarent, *Tartari* tot injuriis irritati finitimisque bellis indurati *anno* 1616. *Vanliao* Sinensium Imperatore, *Leatungiam* suis finibus proximam regionem, superato muro, præsidiisque profligatis occupavere; triennioque postea *sexcentorum millium* exercitum à *Vanliao* contra eos missum, ipsi vix sexaginta millium numero, fuderunt & cæciderunt, *Vanliao* brevi postea, nec non eodem anno ejus filio *Taichango* morte sublatis. *Thienkius* hujus filius, contracto fœdere, cum Rege *Coreæ*, gnarus Tartaros domi seditionibus agitari & populum *Leatungicum* indigne ab illis vexatum, nihil quam occasionem excutiendi jugum expectare, novo cum exercitu illos invasit, victosque è *Sinâ* trans murum, multa cum cæde montes repetere coëgit. Sed parum diuturna quies fuit à gente inquieta, feroce, licet arctè habitante, vix ut usquam ultra viginti milliaria Germanica procurrat. Compositis civilibus turbis, majore cum exercitu, equestri fere toto; nam pedestrem militiam non exercent; Leatungiam rursus invaserunt & partem ejus occidentalem occupavere, donec anno 1627.
Thien-

Thienkius Sinensium Imperator & *Thienningius* Niuchensium Rex, ambo in fata concesserunt. Thienkio frater *Zunchinus* successit & Tartaro filius *Thienzungius*. At *Zunchinius* tanta non fuit vigilantiâ & fortitudine, quantam frater ejus præstiterat. Exercitum credidit *Iveno* è Proceribus solertissimo, sed avaro, qui se corrumpi passus à Tartaris fortissimum Heroëm *Mavelungium*, qui solus Tartaris adhuc mascule restiterat, veneno sustulit; dein pace iniquis conditionibus facta, cum Imperatori illam probare non posset, Tartaris auctor fuit, ut *Pekingium* urbem Regiam obsiderent, ipso cum suis copiis otiosum agente spectatorem. Sed hic quidem vocatus ab Imperatore, cum amicis in aula fretus, audacter accessisset, capitis supplicio adfectus est; Quo intellecto, Tartari obsidione relictâ, ad sua redierunt, & exinde bellum usque ad annum 1636. variante fortunâ continuatum, tandem quasi tacitis induciis visum est consopitum.

3. Sed cum divina providentia finem Sinensium Regno statuisset, neque Tartarorum potentia tantæ molis Imperio destruendo sufficeret, causas validiores è sinu ipsius Regni produxit. In variis enim Provinciis, dum militares copiæ in Septentrione contra Tartaros excubarent, exorti sunt Latrones, feri & crudeles, qui regnum omni genere cladis vastatum postremo Tartaris exposuerunt. Primi illorum grassati sunt in *Suchuenâ* Occidentali Provinciâ,

quibus repressis à muliere bellatrice, cujus & adversus Tartaros multa extabant egregia facinora, hæc regio paulisper conquievit. Exarsit autem alia in *Queichovia* illi proximâ regione, ubi Nobilis in judicio male habitus, quo se ab adversariis suis vindicaret, Ducem Latronibus se præbuit, & inimicos quidem suos oppressit, ipse tamen cum sectâ suâ profligatus est à Prorege Provinciæ. Sed brevi majores in *Xantungiâ* & *Xensiâ* motus excitati sunt, ex eo, quod inusitatâ sterilitate, *Xunchinius* Imperator tributa nihilo minus, solitâ quantitate fructuum severe exigeret. Quæ res tumultuantium numerum tam immaniter auxit, ut brevi octo exercitus sub variis ducibus, uno tamen supremo universis præposito, collecti cœperint grassari. Sed cum prædis opibusque celeriter expleti essent, æmulatio Latrones inter se commisit eoque res brevi pervenit, soli ut duo promptissimi & crudelissimi superessent, *Licungzus* & *Chanhienchungus*, qui viribus fere pares ad evitandum certamen inter sese, alter in Septentionem, alter in Australes Provincias digressi sunt. Et *Licungzus* quidem *Xensiam* populatus *Honaniam* Provinciam ingressus est florentissimam, ubi plerisque locis ferro flammâque vastatis *Caifungum* urbem maximam, primo quidem oppugnavit, dein cum ingenti clade rejectus, abundante multitudine, obsedit & post sex menses ad ultimam diramque famem, ut carnibus humanis palam & promiscue vescerentur, adegit. Adfuit tandem laturus auxilium *Zunchinius*

chinius Imperator, qui pugnæ fortunam adversus Latrones experiri non ausus hanc iniit rationem: Croceus fluvius erat urbi vicinus, cujus exundationes in agros circumjectos humiles aggere lapideo coercebantur; Isque tum pluviis autumnalibus in immensum, fere ad aggeris usque crepidinem, excreverat. Eo perrupto, non dubitabat, quin obsidionem sine ancipiti pugnæ aleâ solveret hostemque pessundaret. Quorum primum, etiam alterum ex parte duntaxat, *Licungzo* cum majori copiarum parte se in tutiora loca proripiente, consequutus est. Sed misera Civitas, cui Imperator consultum voluerat, impetu aquarum altitudine muros superantium, cum nemo inde movere se posset, miserrime periit, non hominibus tantum submersis *amplius trecentis millibus*, sed ædificiis quoque publicis & privatis ipsisque arboribus funditus eversis atque destructis, anno 1641.

4. Hoc miserabili casu *Zunchinius* imprudentiæ dolorem civiumque contemptum, *Licungzus* majorem rei gerendæ occcasionem adeptus est. Erant in aulâ regnoque toto duæ factiones diffusæ, quarum altera *Beyum* Eunuchum & primum regni ministrum principem habuerat, altera cæteros omnes, qui ab Eunucho spreti honorum opumque expertes fuerant. *Zunchinius* extinguendis factionibus, Eunucho laqueum in aurea pyxide miserat, quo se pro religione *Sinensium* sine mora suspenderat & deinceps in reliquis ejusdem factionis sævire perrexerat; haud

tamen ita, quin plures ejusdem factionis aulicos & Eunuchos in imperiis & ministeriis, etiam circa personam suam retineret: Quibus ab eo tempore proditor animus ac infestus & in Domini sui perniciem intentus, sub profundâ dissimulatione reconditus mansit. Antequam hujus exitum rei exponamus, de latronis utriusque institutis sciendum, inde post irritam & funestám *Caifungi* obsidionem, *Licungzum* ita consuluisse, uti milites populosque singulari comitate clementiâque sibi conciliaret, habens in animo thronum conscendere Imperialem & jam Regium usurpans nomen, adsumptâ sibi suæque prosapiæ novâ, more Sinensis Imperii, appellatione, *Thienxua*, quasi tu diceres, *cœli ministrum*; ut qui delendæ Tyrannidi Regis & præfectorum à cœlo delectus fatorum decreta, quæ Sinenses è successibus facile præsumunt, exequeretur. Quo prætextu infinitam hominum multitudinem ipsisque è Proceribus, qui *Beyo* addicti fuerant, aut aliter res novas cupiebant, plurimos, etiam aulicos intimos in partes suas traxit; cujus rei exitum, priusquam dicamus, alterius latronis *Changienchungi* res gestæ breviter referendæ sunt.

5. Hic nihilo se *Licungzo* deteriorem judicans Regem se & Imperatorem æquè tulit. Sed humanitatis & clementiæ viam repudians haud secus atque si solus in vacuo regno dominari vellet, cædibus & incendiis omnia vastavit. Et primo quidem *Huquangiam*, *Honaniam*, *Nankin-*

Kingiam & Kiangsiam florentes Provincias omni genere cladis adflixit; deinde in Provincia *Suchuena* horrendo & incredibili modo sæviit, ut majorem facile populi partem suppliciis & cæde promiscua exhauserit. Si quis ei minus dicto fuisset audiens, hunc cum omni cognatione sua morte plectebat, etiam vicos aliquando integros, in quo is cui succensebat, habitaverat; Carnifici morbo extincto medicum & centum alios ejusdem professionis supplicio addicebat. Nec modo in plebem & Magistratus sed etiam in milites ita furebat; Remuneratus quendam ob rem bene gestam, qui de mediocritate muneris apud commilitones questus erat, totam cohortem, in quâ ille merebat *duobus millibus* constantem, nulla aliâ de causa ante oculos suos trucidari jussit. *Ex centum & octuaginta millibus* Suchuensium militum, qui *Hanchungiam* è primariis *Xensiæ* Civitatibus obsederant, *quadraginta millia* ad hostes transfugerant; Reliquos, *centum quadraginta millia*, exarmatos à reliquo exercitu per quatriduum cædi & obtruncari jussit. Octodecim millia studiosorum, quasi ad accipienda præmia ex omni Provincia *Suchuensi* convocatos, præ se ferens illos disputationibus suis populos ad seditionem concitare, subito interfecit. Profecturus adversus Tartaros statuit, populos à tergo relinquendos, ne deficerent, omnes internecione delere: Initium fecit ab urbe *Chingta* Suchuensis Provinciæ primariâ, cujus incolas ad *sexcenta millia* vinctos & mise-

rabiliter ut à Rege dominoque suo veniam petentes jugulari & in profluentem abjici jussit divisoque exercitu in reliquis urbibus eodem furore, sine discrimine sexus aut ætatis grassatus est. Priusquam castra moveret, Laudatis militibus indicavit, mulierum comitatum in expeditione molestum fore; Nihil potius esse, quam ut è medio tollerentur; Post victoriam non defuturos sibi delectus mulierum. Nec mora, suas trecentas, exceptis tribus quas vocabat Reginas & viginti illis servituras jugulavit, eoque exemplo, totum exercitum innumerabilem ad cædem suarum è continenti faciendam compulit. Hominibus igitur ad cædem deficientibus, exinde in urbes omniaque ædificia furorem suum convertit, omnia flammis, ne arboribus quidem exceptis, consumens. Hæc è sceleribus infinitis pauca sunt specimina, quæ nisi à Martinio aliisque certis auctoribus adseveratè traderentur, fidem superarent. Exitum habuit hoc monstrum immanitate suâ minus dignum; Obviam enim prosiliens equitibus Tartaris quinque, præmissis ad explorandum, ab illis jaculis confixus est anno MDCXLVI.

6. Redeamus ad *Licungzum* & finem *Sinensis* Imperii. *Zunchinium* Imperatorem ajunt fuisse Virum bonum & sanctum; Sed parum vigilantem & strenuum tam ad ministros suos, quorum peccata ipsi imputabantur, in officio continendos, quam ad resistendum hostibus, quod res gestæ loquuntur. Etsi Duces, quos adversus

La-

Latrones cum exercitibus miserat, cum *Licungzo* colludentes nihil proficerent, ipse tamen in bellum, infelici sorte *Caifunchensi* expeditione deterritus non processit, ignorans etiam quid foris ageretur, ab Eunuchis aulicisque suis proditoribus turpissime deceptus, ut jam *Licungzus* trajecto flumine croceo, quem vocant, *Kianchienium* urbem maximam aliasque plures teneret, antequam excitaretur. At ne tum quidem ipse prodiit, sed Lyum Ducem cum exercitu misit in occursum, qui à militibus suis, adeo *Zunchinii* præsentisque regiminis vulgum pœnitebat, destitutus se ipsum suspendit. Licungzus inde se *Pekingium*, quæ est Regia totius Sinæ, magnitudinis & multitudinis immensæ conferre cogitans, dolum viribus addens, multos è militibus selectos, quasi mercatores & rusticos urbi paulatim immisit; qui fraudem insigni silentio prementes & à proditoribus adjuti, *mense Junio* 1644. ante ortum Solis per portam urbis male custoditam, exercitum hostilem admiserunt. Qui rectâ ad Aulam Imperatoris progressus intra secundam portam stetit, antequam miser *Zunchinius*, ab Eunuchis suis obsessus & possessus quicquam de hoste resciviisset. Certior instantis periculi factus nec esse evadendi copiam, primo quidem literas ad Victorem *Licungzum*, quibus ei pœnam proditorum commendabat, raptim consignavit, dein filiam unicam nubilem sua manu, ut hostium ludibrio eximeret, confodit, & sine morâ progressus in hor-

hortum se ab infelici arbore suspendit; quod exemplum conjux ejus & pleræque nobiles puellæ, cum urbis præfecto aliisque Proceribus etiam è vulgo aliquot millibus sequuti sunt. Quippe, ad honorem Regis sui pertinere judicant Sinenses, ne solus vel cum paucis periisse dicatur. E tribus Zunchinii filiis major natu inter voluntarios mortem objisse creditur, etsi cadaver ejus repertum non est, duo juniores à *Licungzo* capite truncati sunt,

7. Hic autem cum Imperatorium thronum victoriæ suæ fructum occupasset, orationem ad suos habiturus, non sufficiente Latronis animo fortunæ Regiæ, ne quidem Linguâ suffecit, hæsitatione deformi omen haud diuturni Principatus exhibens. Animum quoque Latronis in cadaver *Zunchinii*, dilaceratum & Proceres superstites cædibus infandis explevit, oblitus humanitatis & clementiæ, aliquandiu simulatæ. Cum vero intellexisset, *Usanguejum* Sinensis exercitus in finibus Tartaricis Ducem, vocato in auxilium Rege *Niuchensi*, quem recentiori nomine *Moncheviensem* vocarunt; quippe nominum mutationibus in iis partibus gaudent; rectâ *Pekingium* festinare, non ausus eos expectare, cum urbem militibus deprædandam dedisset, inde cum immensâ prædâ, *Siganum*, in *Xensiâ*, veterem Sinensium Imperatorum Regiam secessit, quo tamen priusquam pertingeret à Tartaris eorumque sociis Sinensibus majori prædæ parte spoliatus est. Inde Pekingia à sociis

ſociis occupatâ, *Uſanguejus* Tartaros ex lege pacti, mercede ſolutâ, bonâ cum gratia è Sinâ dimittere cum vellet, ab illis ſubdolum accepit reſponſum, non videri adhuc tempeſtivum vel tutum, Latronibus adeo potentibus, majore copiarum parte, quæ Tartaris auxiliaribus conſtabat *ad octuaginta millia*, privare Sinenſe Imperium adeo labefactatum. In qua ratione nolens volens *Uſanguejus* acquievit. Tartari verò arceſſiverunt è Patriâ & ex omni circumjecta Tartaria; nec enim ipſorum regio modica tanta militum copia abundabat; quantôs poterant maximos militum numeros, qui ad famam victoriæ & infinitæ prædæ, undique certatim confluebant. Adduxerunt etiam Regis ſui *Zugtei* ſtatim ab ingreſſu in *Sinam* mortui filium ſexennem, cujus Patrui curam ſuſceperunt & fidelitate barbaris imo Chriſtianis rarâ præſtiterunt. Hunc ubi viribus fidere cœperunt Regem proclamarunt, Sinenſibus, quos alioqui civiliter & benignè habebant, diſſimulare & adſentiri coactis. Puero nomen *Zuncheo* & pro ſapiæ ab illo propagandæ nomen *Taicunga* dederunt. Obſervant autem harum rerum ſcriptores cum primum in throno collocatus eſſet, talî majeſtate & oris decore conſtantiaque orationis uſum eſſe puerum, ut diverſum atque *Lycungzus* omen ſpectatoribus præberet. Maximum natu Patruum *Amavangi*, id eſt, Regii parentis nomine, honeſtatum ſummæ rei præfecere, qui Comitate erga ſubjectos & ferocia adverſus Latrones rem Tar-

tari-

taricam in Sinâ, præcipuè conſtabilivit. Uſanguejum vero *Pingzium* id eſt, *Pacatorem* dictum, Regem Xenſiæ ſub lege tributi *Tartariæ Chamo*, ut totius Sinæ legitimo Imperatori præſtandi declararunt; qui non habens quem potius ſequeretur, præſentibus uti; quam ſe nullo in Patriam fructu ſuoque exitio prævalentibus opponere maluit: Idcirco illorum auxilio *Licungzo* cum ſuis oppreſſo & extincto (de genere mortis ejus non conſtat) ipſe Regiam ſedem, *Licungzo* deſtinatam *Sigani* collocavit; ubi Tartari illum in pace ab exercitibus amotum callidè ſepoſuerunt.

8. Iidem intra annum Vertentem quatuor maximas Provincias ſeptentrionales ad abſoluti metas obſequii redegerunt, prudenter inſtituentes, ut civile regimen penes Sinenſes Philoſophos imbelles & inermes relinquerent gentemque ſuis legibus ac inſtitutis uti permitterent; niſi quod capillos ad morem Tartaricum tondere coëgerunt; Qua in re ſummam eorum pertinaciam experti, facile, quantum ſi reliqua inſtituta novare voluiſſent, difficultatis inventuri fuiſſent, intellexerunt. At tamen rei militaris curam & præfecturam ſibi totam unicè, cohibitis inde ſolicitè Sinenſibus, vindicavere; quanquam è plebe Sinenſium ſupplementa capere; non ſufficientes Imperio longe maximo & urbibus frequentiſſimis ſoli præſidio coercendis, neceſſe habuerunt. Sed meridionales provinciæ collectis pauliſper à metu Tartarorum animis; alie-

alienigenæ dominationis odio, Principem è Taimingana familiâ *Hunguangum* nomine, ſuſtulerunt, qui ſedem regiam in urbe *Nankingia* cognominis Provinciæ primariâ conſtituit. Sed quominus hæc electio juſtam Sinenſium unionem adverſus exteros conciliaret, fecit manifeſtatio juvenis, qui cum ſe filium natu maximum *Zunchinii* Imperatoris, de cujus morte nihil certi conſtiterat, ferret & frequentem apud Sinenſes fidem inveniret, *Hunguangus* eum carceri mancipavit. Quæ res cum plurium defectionem ab illo, quam Tartari miris artibus & liberalitatibus excolebant, concitaret, hi partem Provinciæ cis croceum flumen celeriter in poteſtatem redegerunt. Inde *Thieno* Sinenſi proditore juvante, primo flumen ipſum, cæſo per proditorem Duce fideli *Hanchoango*, flumen trajecerunt ipſumque *Hunquangum* in fuga per eundem *Thienum* interceptum ante muros *Pekingii* urbis ſtrangularunt; Quod fatum filius ille verus an ſubornatus *Zunchinii* omnesque Taiminganæ ſtirpis, in poteſtatem redacti æquè ſubierunt. Etſi non omnes; Quippe *Lovangus* ex eâdem familia, Imperator à *Chekiangenſibus* electus nonniſi Regium nomen admiſit, pollicitus Imperatorium ſe accepturum, ubi milites ſui egregio facinore aliquo, ſe Tartaros vincere poſſe probaſſent. Hi vero promptiores ad eligendum quam ad defendendum Regem, cum Prælio certandum eſſet, ſtipendia flagitabant, Regemque ſuum, *Hancheviani* ſe re-

ſe recipere coarctarunt. Cujus cum adverſus Tartaros defendendæ ſpem nullam videret; pactus civium vitam fortunaſque ſalvas, ſe quidem victoribus dedidit; milites autem ejus degeneres; Tartari ferro & aquis omnes perdiderunt.

9. Poſt hæc iidem trajecto *Cienthangio* flumine *Zaikingiam* urbem totâ *Sinâ* pulcherrimam facile ceperunt eâdemque facilitate reliquas ejuſdem Provinciæ urbes cepiſſent; niſi heic viſum illis fuiſſet Edictum promulgare de *capillis more Tartarico tondendis:* Quod ſymbolum quaſi ſervitutis; quam ipſam ſubierant, ægerrime ferentes, ſubito furore perciti incolæ Tartaros invaſerunt ac ultra flumen magnâ vi propulere, pariterque *Lucum* quendam Taiminganum, in Regem ſuum, qui hoc nomine rejecto, gentis *Adſertor* dici voluit, elegerunt. Si tum Sinenſes concorditer uniti fuiſſent, Tartaros à majori & meliore parte regni ſecludere & in ſpem amiſſæ recuperandi reſurgere potuiſſent. Sed cum Fokienſes alium è Tamminganis Regem, cui *Tango* nomen extuliſſent, hinc diſpertitæ vires & labefactatæ. Tartari inuſitata ſiccitate vadum in loco Cienthangi fluminis incuſtodito reperientes, omne *Chekiangum* ad mare uſque in poteſtatem redegerunt & *Lucum* in *Cheuxanum* inſulam fugere compulerunt. Ad quem tantus *Sinenſium* numerus, capillos ſervandi ſtudio maxime impulſi ſe receperunt; ut inſula nonniſi à piſcatoribus habitata; regnum evaſerit, per commer-

mercia viris opibuſque potens, in quo *duæ ſupra ſeptuaginta* urbes brevi temporis ſpatio ædificatæ & frequentatæ ſunt: Ex quo de multitudine hominum apud Sinam infinitâ, quod antea dictum eſt, intelligi poteſt. Tartari navibus deſtituti copiiſque maritimis, *Lùvum* cum ſuis illic in pace relinquentes reliqua meridionalia aggreſſi ſunt, Fokienſem à *Quantungiâ* & *Chekiango* montibus inacceſſis ſeparatam regionem Sinenſes facile contra Tartaros, qui nullo reſiſtente, difficillime in eam penetrarunt, munire potuiſſent; ſed timore perculſi omnia Tartaris prona & obnoxia præbuerunt. Una civitas in *Quantungia* reſiſtendi pertinaciam deſtructione; ſic enim Tartari ſervabant, *dedititios benigne, reſiſtentes crudeliter habere*; luit. Reliqua *Fokienſis* ac *Quantungicæ Huquangicæ* & *Kiangicæ* maximarum Provinciarum, nulla vi expectatâ, victoribus ceſſerunt, *Chinchilungum* etiam, qui ab exteris *Iquon* dictus commerciis cum Batavis & Luſitanis ingentem vim maritimam è tribus navium millibus conſtantem collegerat, jamque Sinenſibus ſe vindicem libertatis oſtentabat, dolo in poteſtatem redegerunt. Adeo ut rebus eorum uſque ad annum MDCXLVIII. pari prudentiâ ac felicitate procedentibus, parum ab univerſâ Sinenſis Imperii acquiſitione deeſſet; quando, ut ſunt res humanæ, majoribus cœpere conflictari difficultatibus, quæ ad *ſequentia* tempora pertinent.

SECTIO IX.

De rebus Ecclesiasticis.

CAP. I.

De Pontificiis.

DE Pontificis *Urbani VIII.* extremis, quam illa non responderint initiis famâ eruditionis ac gravitate notabilibus *suprà in Italicis cap.* 3. & de exitu ejus ac electione novi Pontificis *Innocentii X.* deque ejus initiis & ingenio diximus in *cap.* 5. Nepotismus, qui superiore Papatu gravis fuerat Romanis omnique Italiæ, sub hoc Pontifice. deforme muliebris imperii additamentum accepit; omnia apud *Innocentium* potente Dominâ, quam vocabant, *Olympia* ejus sorore, à cujus arbitrio pendentibus cunctis, quotquot ullo Pontificis egebant favore, hi illam colere, observare, munerari, debebant; ut in fastis eorum temporum frequentior *Olympiæ Dominæ*, quam *Innocentii* Papæ, mentio celebrata reperiatur. Cæterum, universæ rei Pontificiæ *hoc intervallum* insigne mutationis attulit momentum: In Germaniâ imprimis, ubi quàm parũ prius ab oppressione *Protestantium*, in *Bohemia* cæterisque ditionibus Austriacis absolutâ abfuere Pontificii, tam prope ipsi ruinæ suæ postmodum admo-

admoti sunt; denique naufragii periculum ingenti jacturâ coacti sunt redimere, concesso per solenne Pacis instrumentum Protestantibus, magno numero Episcopatuum & ditionum Ecclesiasticarum, quas hi antea non tam jure, *Passaviensi* tractatu refragante, quam facto possederant & quibus *Edicto Cæsareo* privati, jam expelli & deturbari cœperant. Quomodo Papa per Nuntium suum *Fabium Chisium*, qui postea *Alexander* Papa VII. fuit, adversus eam pacificationis partem Monasterii protestatus sit, in *Germanicis* vidimus: Quâ nihil obstante, Romana Ecclesia tam enorme detrimentum subire compulsa fuit. Et simul deponere institutum suum, de quo sub finem tomi *præcedentis* actum, Protestantes opprimendi omniaque Catholicismo vindicandi.

2. Quamvis autem hoc modo res Papalis in Europâ coarctata sit, eorumque artes & sævitia adversus Protestantes exercitæ, quarum novum in Hiberniâ specimen vidimus, à Christianismo alienissimæ sint, non potest tamen illis negari laus zeli in propaganda religione Christiana, ut ipsi illam interpretantur atque adornant, per *Orientem* potissimum: Nam de *America*, in quâ crudelitatis & malitiæ nihil reliquum fecerunt, omniaque pene exempla gentium & sæculorum immanitate superarunt, nihil habent, quod glorientur. Sed in Asiâ Orientali non potest negari, quin Reformatos, maximè Belgas & Anglos, utcunque puriori doctrinâ excultos

hac parte superaverint. Nescio, an hujus rei argumento serviat exemplum à *Linschotio* Belgâ memoriæ proditum; cum Lusitani è celebri insulæ *Ceylonis* templo rapuissent dentem Simii insignem, qui ab omni circumjectâ barbarie eximiâ religione colebatur, oblatam fuisse Proregi Goano pondus auri immane, redemptionis causâ. Sed auctores fuisse Præsulem & Sacerdotes Goanos, id recusandi, dentemque idolum publice in foro conterendi & cremandi. Quod an Angli aut Belgæ, an etiam soli Sacerdotes, si aurum ab ipsis percipiendum fuerat, ita constituturi fuissent, suo loco relinquemus. Initium fere propagandi fidem à *Francisco Xaverio* superiore seculo factum, de cujus sanctitate miraculisque longi sunt logi, quos nec omnes esse veros neque falsos omnes probabile videtur. Indicarum Ecclesiarum caput est, Archiepiscopatus Goanus; sed penetrarunt in Sinam usque & Japoniam, ubi multa millia ad fidem Christianam converterunt & in Sinâ quidem duraverunt; etsi *Vanlians* Imperator à Sacrificulis suis incitatus gravem instituit persecutionem. Multis tamen in locis & templa & Collegia sua conservarunt *Jesuitæ*, quorum hæc opera est Præcipua; donec Sinense regnum à Tartaris, *ut mox intelligemus*, occupatum est, à quibus majori favore excepti, rem Christianam & argentariam, quam minime negligendam rati sunt, luculenter fecerunt. Etsi nec ibi defuerint, qui perceptâ Euangelii doctrinâ, illis objicerent, quid ni

& in

& in ipsâ re pecuniariâ Christum imitarentur; in cujus studio omnibus præcellerent: Verùm est tamen, Anglos & Belgas hac parte nihil illis, quod ad minuendam Religionis propagatæ vel auri quærendi laudem faciat, exprobrandum habere videri.

3. In *Japonia* majores aliquanto progressus Jesuitæ fecerant, ut jam olim Legati inde, quos Regulos dicebant, tres ad Gregorium XIII Papam missi fuerint & *anno hujus seculi* VI. plus *quadringentis millibus* Christianorum ibi numerarentur, quorum multitudo, etsi variis ab Imperatoribus suis exhausti persecutionibus, adsiduo tamen accrevit, ut anno XXVI. in sola urbe *Nanga'aqua* plures *quadraginta* millibus extiterint. Jamque in hoc erant *Jesuitæ*, ut ex Regiâ stirpe quosdam ad regnum in aliquâ insulæ parte promoverent seque vi adversus persecutiones tuerentur. Sed detectis hisce consiliis, cujus rei culpam Lusitani quibusdam *Belgis* imputarunt, quasi ab his interceptæ literæ *Japonensibus* proditæ & explicitæ fuerint, immanis orta est persecutio, cujus similem Historia forte Ecclesiastica nullam adhuc cognovit; ut nobis heic eam depingendi nulla sit facultas: nec usquam majora patientiæ & constantiæ in dirissimis cruciatibus exempla memorentur. Neque cessatum est ab ullo genere sævitiæ barbaricæ, donec omne Christianum nomen per *Japonense* regnum penitus extinctum atque deletum est; Tantâ odii pervicacia, ut neminem

Christianæ professionis in omni Insula, ne quidem mercaturæ causa tolerandum putaverint. Adeo ut *Belgis*, qui soli admittuntur, nonnisi ad breve in terrâ morari, at interim nullum Christianæ Religionis actum etsi privatum, qui foris appareat, exercere fas sit; Quâ conditione Commerciorum facultatem acceperunt, satis suos habere credentes, si brevi temporis spatio *Deum in corde*, quod eo commeantibus præcipitur, colant & venerentur. Undè si quis colligendum putet, quid de illo Simii dente nostrates facturi fuerint, nihil quam conjectura sit.

4. In *Europa* Pontificum doctrina gravem motum accepit à *Cornelio Jansenio* Iperensi Episcopo, qui magno cum successu doctrinam *Augustini* de *Gratia* efficace, cui rigidior *Prædestinationis* sententia cohæret, publicavit, anno MDCXXXIX. in quâ systema *Molinæ* quod Jesuitæ suum fecere, subvertit idemque esse cum *Semipelagianis* demonstravit. Etsi autèm multos in *Gallia* & in Belgio sectatores patronosque *Jansenius*, vel potius liber ejus ad *Augustinum*, ipso ante editionem mortuo, invenerit, Romæ tamen Jesuitæ prævaluerunt, ut *Urbanus VIII.* *Jansenii* librum inter prohibitos collocaverit, anno MDCXLIII. salvâ tamen *Augustiniana* reputatione doctrinæ; duntaxat ideo, quod *Pius V.* & *Gregorius XIII.* ejusmodi positiones in *Bajo* Lovaniensi Theologo jam olim condemnassent. Hæc res ad sequentes annos propagata, denuo nobis occurret, si hoc opus continuabitur.

C A P.

CAP. II.

De rebus Lutheranorum.

QUam prope ruinæ suæ admota fuerat *Lutheranæ Confessionis* libertas per Germaniam, ubi sedes ejus præcipua, unde in reliquas partes vigor & alimenta, tam procul subducta fuit discrimini per victorias primum *Gustavi Adolphi*, deinde per pacem Pragensem, qua Saxoniæ Elector, qui caput & Patronus Augustanæ Confessionis cluere gaudebat, libertati symmystarum suorum plenissimè consuluit; Austriacis jam tum eò redactis, ut nihil hac parte negandum putarent. Plenius deinde securitati consultum pace *Monasteriensi*, quâ possessiones Ecclesiasticæ, quæ post Tractatum *Passaviensem* adhuc facti duntaxat fuerant, juris facultatem adeptæ sunt: Etsi quicquid erat Lutheranorum in hereditariis Austriacorum ditionibus, quæ tertiam fere *Germaniæ* partem faciunt, destituere coacti sint, quæ jactura jampridem facta, nisi Austriacis plane subactis, reparari non potuisset. In reliquo Imperio strages Ecclesiarum bello triginta annorum commissa, salvâ beneficio pacis Republ. paulatim suppleri & recreari posse sperabatur.

2. Hæc, quod ad statum Ecclesiarum externum attinet. Interior constitutio nullam passa videtur notabilem mutationem; Quippe *Lutheranorum* genio ad novitates minus quam aliarum Religionum facto; Nihilominus

hoc intervallo temporis & aliquanto prius magnum inter eos motum fecit methodus *Georgii Calixti* Helmſtadienſis Theologi, qui communes *Lutheranorum* opiniones ita tuebatur, ut diſcrepantes, modo fundamentis *Chriſtianiſmi* inſiſterent, non condemnaret, nominatim *Reformatos* ſive *Calvinianos* pro fratribus agnoſcere non gravaretur. Quæ ſententia cum Principibus & Politicis pleriſque non diſpliceret, per *Holſatiam*, *Luneburgenſes* Ducatus & viciniæ paſſim, late diffuſa, gratanter etiam à Reformatis recepta, infeſtis animis calamiſque à Saxonibus aliiſque Lutheranis *Johanne Hulſemanno*, *Andrea Calovio* aliiſque oppugnata, nec minus quam ipſe *Calviniſmus* omni genere convitiorum proſciſſa eſt. Quibus moderandis contentionibus Colloquium *Lipſiæ* habitum eſt anno jam MDCXXXII, inter aliquot Theologos *Saxonicos*, *Brandeburgicos & Haſſiacos*; dum ibi Conventus Electorum & Principum ageretur Proteſtantium; cujus hic fuit exitus, ut in omnia *viginti octo Confeſſionis Auguſtanæ* capita ſe conſentire profiterentur, exceptis duobus, de *humanâ Chriſti naturâ* & de *orali manducatione Corporis Dominici in ſacra cœna*; cui tertium addidere, quod in confeſſione non ſit expreſſum, *de Prædeſtinationis decreto*. Reformati autem declaravere, ſe paratos eſſe confeſſioni Auguſtanæ, ut exhibita eſſet in Comitiis *Auguſtæ habitis anno* 1530. *die* XXV. *Junii*, atque etiam ei, quod in *pupilla*, ſic habent acta, *Saxonica* cuſtoditur exempla-

emplari ſubſcribere; verum quod exemplar exhibitum fuit, anno 1540 Wormatiæ & anno 1541. Ratiſponæ, nec id ab ſe rejici, verum ſtare ſe velle decreto eâ de re à Proteſtantibus facto *Naumburgi* & Imperatori *Ferdinando I.* exhibito *anno* 1561. Sed per illud Colloquium nihilo plus ad unionem Proteſtantium, quam exinde per annorum triginta labores, quos *Johannes Duræus* Anglus, eidem negotio impendit, conferri potuit, ad pervicaciam Theologorum Immutabilis, ut ajunt, Auguſtanæ Confeſſionis ſuperandam.

CAP. III.

De rebus Eccleſiaſticis Reformatorum.

Reformatorum Eccleſiaſticæ res in Germaniâ viciniſque gentibus, in Galliâ, magnâ Britanniâ & Belgio fœderato hoc modo in ſummâ ſe habuerunt. Pontificiorum conatus ad horum imprimis everſionem ſpectantes, poſtquam in *Bohæmiâ*, *Moraviâ*, *Sileſiâque* vi ſummâ perruperant, in *Germaniâ* tamen citra finem extremum ſubſtiterunt; etſi *Palatinatus* ſuperior Bohæmicarum involutus Eccleſiarum ruinâ Reformatis in perpetuum deceſſerit: Inferior tamen & *Haſſia* cæteræque ejuſdem confeſſionis ditiones, etſi miſeris modis attritæ & laceratæ, libertatem externam retinuerunt, & tandem pace Monaſterienſi conſequutæ ſunt, quod rebus antea florentibus nunquam impetrare potuerant,

ut *Quicquid in pace Religiosa Passaviensi & hac præsente Monasteriensi ac Osenbrugensi Augustanæ Confessioni addictis tribuitur, id etiam iis, qui inter illos Reformati vocantur competere debeat.* Quæ res ad dignitatem & securitatem Reformatæ Confessionis in Imperio plurimum contulit, materiamque vaticiniorum Interpretibus apocalypticis novarum dedit applicationum ac adseverationum. Pontificii ad hanc erga Reformatos indulgentiam adducti sunt rerum suarum necessitate, manifesto Protestantibus & Gallis horum fœderatis inferiores. Lutherani autem etsi olim æque, si non magis, quam Pontificii Reformatis iniqui, nunc tamen institutione *Calixtinâ* multi aliter animati, Principes imprimis, moderata præferebant, & Galli, se posse, quin etiam velle pati Reformatos in regno suo, nedum in Germaniâ, videri volebant; præter quod *Elector Brandeburgicus & Hassiæ Lantgravius* inter cæteros satis erant notabiles, ne communi pacis beneficio, ob Religionem non minus adhuc late per Europam quam erat *Lutherana*, diffusam & regnantem, excluderentur.

2. In Gallia res ita, quemadmodum in *fine præcedentis libri* collocatum est, cum Reformatis se habebant. Viribus ademptis à nutu Regio pendebant; Ratio, quæ *Status* dicitur, Confessionis libertatem illis nondum præcidi permittebat. Proinde Regi clementiæ, Reformatis obsequii & modestiæ laus relicta. Sed ipsi inter se Reformati cum minus adversus Pontificios

ficios auderent, doctrinæ causa dividi cœperunt. Arminianorum de prædestinatione sententia superioris intervalli tempore à quibusdam adoptata, consensu tamen Ecclesiarum & Calvini Bezæque recenti auctoritatis memoriâ, severe coercita fuerat. Sed hoc tempore *Moses Amiraldus* Theologiæ Professor *Salmuriensis*, facundus & acutus disputator *semi-Arminianismum* propagare cœpit, posita Thesi & late propagatâ de *Gratia universali* & morte Christi pro omnibus & singulis satisfactoriâ. Quæ sententia probabilitate populari & multitudine discipulorum ex *Amiraldi* Scholâ prodeuntium per omnem Galliam sparsa paulatim à plerisque Doctoribus recepta est. Etsi Genevæ, per Germaniam & in Belgio, minime admissa, sed tanquam subruendæ institutioni Dordracenæ comparata, rejecta & refutata est; utcunque deinceps, ad schisma ne res abire posset, prudenter ille dissensus in Gallis aut dissimulatus aut fraternæ charitati sit condonatus.

3. In *Anglia* & apud *Scotos* quo pacto se res externa Religionis, *hujus* tempore *sectionis* habuerit, *supra in Anglicanis*, ubi civilia Ecclesiasticis permixta fuerunt, intellectum est. Hoc satis constat, Episcopos legum vim, quæ à tempore *Elizabethes* in excommunicatos admodum rigidæ fuerant, in plerosque adversantes impotenter exercuisse, conjectos in carceres, exutos bonis, miseréque vexatos & adflictos, innumeros in exilium Americanum, ubi Anglia nova, pul-

pulsos, haud multo secus quam in hereditariis Cæsar ditionibus Reformationem, *de quâ in fine praecedentis libri*, actum, instituit. Prolixe persecutiones illas ultraque historiæ modum describit Hornius *in histor. Eccles.* Hoc agendum putabant, ut omnes ad *uniformitatem* adducerentur. Sed nimis arcum tendendo, res in nervum erupit. Ipsi, ut *suprà* vidimus, è locis & sedibus suis vicissim ejecti sunt, tanto omnium odio collecto, ut vix ulli Episcopales, *Puritani* omnes esse viderentur. Amotis episcopis, *Puritanis* inter se contendere vacuum fuit. Facilius enim esse, destruere quam ædificare, cum alias sæpe, tum hoc specimine patuit. Erant omnes divisi in tres partes, *Conformistas*, *Nonconformistas* & *Separatistas*. Priores gaudebant esse Ecclesiæ Anglicanæ filii, improbantes quidem cærimonias, sed Calvini exemplo, *tolerabiles ineptias* arbitrati, proptera se ab Ecclesiâ publicâ non segregabant, operam contra *Pontificios*, *Socinianos*, *Arminianos*, quibus Episcopi jam tum crebrò adsentiebantur, ac *Anabaptistas* strenuam navantes, quales *Whitakerus*, *Perkinsius*, *Reinoldus* aliique magni Viri. *Nonconformistæ* fuere, quibus Hierarchia publicæque cærimoniæ tam infeste displicebant, ut cum iis se nullo modo conformare possent, sua sacra seorsim haberent, Anglicanam tamen Ecclesiam quique in eâ licet ejusdem secum judicii, manendum putarent, minime damnantes. Hi fuere *Presbyteriani*, causâ nominis sæpius expositâ. *Separatistæ* dicti sunt,

qui

qui & potestatem episcopalem & cærimonias antea commemoratas tanquam *Antichristianas* damnabant, omnesque pios ab illa Ecclesiâ segregare se oportere contendebant; hi fuere *Brownistæ*, à presbyteriis, Classibus & Synodis æquè alieni ideoque *Independentes* appellati. Sed *Brownistarum* rigor postea à *Robinsono*, & dein à Cottono & Goodwino, ita mitigatus est, ut in judicio de separatione, parum à *Presbyterianis* discreparent, in modo Reformationis, quam institutam vellent, plurimum. Nec enim Episcoporum loco Presbyteria, Classes & Synodos volebant, sed Ecclesiis singulis œconomiam disciplinæ nulli obnoxiam vindicabant; atque de his rebus non minoribus inter se rixis odiisque certabant, quam pridem adversus Episcopos. Quod certamen cum per aliquot annos protraheretur, Episcopis sublatis, regimine presbyterico non stabilito, variæ interim sectæ per Angliam germinavere, donec *Independentismus* prævaluit, eo quem pridem retulimus modo. In *Scotiâ* minus equidem sectarum fuit, imo vix ullæ multitudinem infecere; nusquam *Genevensis* Reformatio purior & severior in dissentientes, etiam verò audacior in Imperantes, quibus se opponere & præscribere, partem disciplinæ jurisque Ecclesiastici liquidissimam fecere. Cujus pervicaciæ qualitatem & fructum in supra dictis Angliæ Scotorumque motibus & bellis videre licuit. Apparet in illorum scriptis & actis alioqui zelus ingens pro domo Dei & studium inter-

næ pietatis juxta puritatem Confessionis acerrimum; sed non poterant ferre potentiam adversariorum, quibus Regiâ potestate subnixis palam manu & armis se opponere fas putabant. Quâ re factum, ut Reformatio, quam occupatâ Republ. moliebantur, minus perruperit & tandem Christi dictum, qui utentes gladio per hunc perituros monuit, in suâ quoque causa verissimum experti fuerint.

4. In Belgio pars *Reformata* mansit, ut erat, princeps aliarum Religio. Sed quia Reipubl. institutum duobus fulcris nititur, *Libertate*, & *Mercatura*, non potuit fieri, quin omnes sectæ, quas novit orbis terrarum, in *Hollandiam* confluerent, pleræque publico, duntaxat libero gaudentes exercitio: etsi in cæteris provinciis ut infrequentior mercatura, rarior hominum confluxus, ita minor quoque Religionum diversitas extet. *Arminianum* schisma durabat equidem sed minus infestum, factionibus detritis, obsolescentibus, ut fit, controversiis & Belgarum ingeniis ad nova properantibus: quando & ipsi Remonstrantes suum *Arminianismum quinquarticulanum* qui primævus est, jam ut obsoletum fere inridebant. Denique, non est abs re hæc observatio: statum Religionis in Belgio vix ultra *generationis* humanæ spatium, quod est xxx annorum in eodem statu continuatum fuisse. Prima Reipubl. *generatio* transiit æquabiliter ab anno MDLXXII. usque ad annum MDCII. in primævo *Geusiorum* instituto, quod contra Ponti-

tifi-

tificios unicè occupabatur. Alterum *triginta* annorum spatium, exinde ad initium intervalli, quod est *hujus sectionis* decurrit in *Arminianismo*; *Geusiis* tamen, id est, primævis Reformatis semper in prærogativâ suâ subsistentibus. Sed Arminiani partem temporis dimidiam in crescendo, alteram in decrescendo consumpsere, donec hujus, inquam, principio *sectionis* controversiæ de *Prædestinatione* capitibusque annexis & studia partium, quasi intermortua intra cujusque parietes Ecclesiæ se continuerunt. Exinde verò *Voetianismus*, quem dixere, per annos fere triginta crevit atque decrevit; donec quasi satiscens aut cum primævo Calvinismo coalitus locum fecit *Coccejanismo* similia Spatia forte habituro: Auctoribus novorum hominum *Gisberto Voetio* apud Ultrajectinos Theologo & *Johanne Coccejo* Leidensi. At hujus ad præsens *intervallum historia non pertinet.*

5. *Voetianorum* institutum à causâ fuit Ecclesiæ salutari: Cum enim per *Remonstrantium* & *Contraremonstrantium* disputationes, animorum pietas & *Devotio*, quam vocant, vehementer imminuta & labefactata esset odiis & contentionibus, excitati sunt homines religiosi nec minus eruditi hoc tempore, qui non tam controversiis litabant, etsi omnibus sectis maxime *Remonstrantibus* adversissimi, quam commentationes publicabant, quibus homines ad *dejectionem* & *abnegationem sui*, consequenter ad actus fidei seque devovendi Christo & ad observandos Spiritus

ritus divini motus atque *testimonia* excitarentur, quibus addebant rigidam diei dominicæ tanquam *Sabbatho* surrogatæ observationem; in quâ summam fere cum Puritanis in Angliâ Christianæ pietatis constituebant. Iidem cum prius plebs & juventus in Ecclesiæ fideique dogmatibus, tantum fusis & deductis orationibus è cathedrâ, instituerentur, introduxere morem *catecheticas* exercitatioues habendi per colloquia, certis & succinctis positionibus examine traditis & inculcatis; idque non tantum in *polemicis*, sed etiam in *Activis* quæ dicuntur: ut quid esset, vivere cum Deo, quid è statu naturæ traduci ad hominis novi cultum; quid esset, perseverantiam sanctificationis addere fidei Veritatis, intelligerent eoque incitarentur; Quæ res inter veteres Geusios & Remonstrantes jampridem mutuis contentionibus valde refrixerant & pene obliteratæ fuerant. Quod si in illo genere Voetiani perseverassent, neque se more quodam britannico, unde suam disciplinam acceperant, Reipublicæ applicuissent, cum conatibus Reformationem majore cum motu & metu Magistratibus illato moliendi, accedentibus novis de usu bonorum Ecclesiasticorum quæstionibus aliisque litigiis, majores progressus illâ priore viâ sperari potuisse videntur. Nam si homines de statu naturali ad usum interiorem conjunctionis cum Deo transductos, in quo genere magnâ cum efficacia versabantur, humilitatis, patientiæ, mansuetudinis christianæ præceptis & reliquo regenera-

nerationis cultu, quod faciebant, exornare continuassent, contentionibus autem novis & potentium irritamentis abstinendum judicassent, paulatim eo rem adducendi spes fuerat, ut quæ vitia illis summo jure displicebant, prædicatione verbi & coôperatione Spiritus Dei, sponte detrita fuissent; dum se constitutioni Reipubl. ingerentes & mala, quorum remedia nonnisi à timore Dei proficisci poterant, auctoritate cohibenda censentes, infinitis litigiis se suosque auditores implicuere præsidesque Reipubl. in eam adduxerunt opinionem, *Voetianismum* esse Presbyterianismum Scoticum, suæ potestati noxium & adversum: Unde postea *Coccejani* ab his maxime laudati atque promoti sunt: etsi hoc quidem serius; hujus enim intervalli decursu *Voetianismus* in incremento suo versatus ad divergium necdum pervenit. Neque *Coccejanismi* nomen adhuc erat notum; etsi *Coccejus* in Academiâ Frisiorum *Franckerana* sub exitum *hujus intervalli* Linguæ sacræ, in cujus perit â mirabiliter insignis fuit, & literis sacris interpretandis fuerit adhibitus; Theologiâ certè non solitâ methodo novisque Positionibus comprehensâ, neque paucis, ut erat Vir doctissimus, eximiis rebus demonstratis; sed ejusmodi institutione vocis & styli complexu, qui obscuritatis potius quam novitatis famam conciliaret, utique dum erat in Frisiâ: Nisi gens illa surdior ad novitates, inaudita pro obscuris, quæ deinceps in Hollandiâ clare distincteque percipiendi

methodo maximè convenire visa sunt, acceperit. Cum enim *Coccejo* & *Cartesio*, nihil alioqui commune habentibus, in hoc conveniret, quod auctoritatem doctrinæ receptæ veteremque institutionis methodum uterque delebat ex animis, nihil opportunius utrique ad augendam celebritatem factionemque stabiliendam, sine quâ nulla novitas invalescit, obvenire poterat, quam utriusque partis & instituti conjunctio, quæ postea sequuta est. Unde factum, ut *Coccejanismo* plura dein accesserint nova; decesserit autem illud, animos ad devotionem sui in Christo excitandi studium, à genio Cartesianismi alienissimum: unde factum, ut conciones à *conciendo* dictæ in ratiociniis, ænigmatibus propheticis & typicæ Vetustatis ab Euangelio differentiis, quæ res verbosos & semel edoctis sponte profluentes habent explicatus, consumerentur.

6. Cæterùm, Voetiani antiquæ Reformationi nihil, ut dictum, novi, nisi forte de *Sabbatho*, intulerant; sed veterem *Calvini* institutionem ad efficacem Religionis usum transferebant. Is autem & reliqui Reformatorum Patres uti ex argumentis Scripturæ Sacræ acerrime ratiocinabantur, ita sacras literas dubitationis & ratiocinandi methodo minimè præveniebant, sed ad lectionem earum, summam rationis abnegationem adferendam docuerant, ac ita *Voetiani* præibant. Diversâ viâ Remonstrantes & Sociniani, cum præsumptione rationis in Sacris versandis incedebant, quibus hac de re vetus

lucta

lucta fuerat, ac etiamnum erat cum Calvinianis. Sed major hac parte ἀναθεώρησις orta fuit ex methodo ratiocinandi, quam medio fere hoc intervallo proposuit *Renatus Cartesius*, eandem fere quam pridem ab eo conceptam vidimus in *exitu tomi præcedentis*. Ubi sine præjudicio ipsius præstantiæ methodi in se consideratæ, quædam incommoda, exinde probabiliter oritura proposuimus. Sed præter illa, prudentiores moverat certa providentia, fore, ut illa rejectio cujuslibet auctoritatis & præjudiciorum, cum profundâ novæ doctrinæ è tenebris universæ dubitationis & ex ideis inter se collatis eductione, quæ desineret in certitudinem non minus infallibilem quam sit ipse Deus, hæc ad sacras quoque literas & Theologiam traduceretur. Nam etsi *Cartesius* hanc considerationem ad usum suæ institutionis omni *Europâ* interdicendam sufficere videns, enixe cavisset moneretque, ne ad usum Theologicum sua methodus transferretur, hoc tamen aut serio ab illo fieri, aut à sectatoribus observatum iri, nemo rerum paulo peritior existimabat. Nam si Theologia, quæ maxime delectatur meditationibus, abstinendum foret, novæ usus Philosophiæ nimis in arctum redigeretur, quando sola non est multitudinis *Philosophia*. Celebritas ex usu Facultatum, quæ dicuntur, superiorum unicè expectari poterat. Atqui à *Jurisprudentiâ*, quæ non habet Principium *Rationem*, sed Auctoritatem, primo auditu alienabatur, nec unquam

in eâ *Cartesii* methodum tolerabilem fore cuilibet erat perspicuum. In *Medicinâ* quidem naturalium observationes rerum, quas invenit & exposuit luculentas, adhiberi poterant: Sed dubitandi methodus, cum experientia sit Medicinæ Principium, in illa tenorem suum persequi non poterat; Præter quod nec Medicorum numerus ad ingentem famam, cujus studium erat præcipuum, sufficiebat; hanc soli Theologi subministrare poterant. De his autem facilis erat præsumptio, quod si methodo dubitandi, præjudiciis omnibus depositis, ad certitudinem divinæ infallibilitati parem contendere cœpissent, nusquam ei methodo digniorem, quam in Theologiâ locum fore, judicaturi essent. Quantam autem in sacris, quæ magis etiam sunt autoritatis, stragem editurum esset, quod divinitas scripturæ rerumque in eâ comprehensarum non nisi per ratiocinationem, quæ incipit à dubitatione, recipi ac adstrui deberet, ne ipse quidem Cartesius ingeminare desiit & res deinde comprobavit; ab hoc Principio incepisse, qui Ratiocinationem Scripturæ interpretem & rerum in eâ comprehensarum arbitram facientes, ab ejus auctoritate sese aliosque emanciparunt. Idem cum veterani viderent Theologi, tam apud *Pontificios* quam *Reformatos*, summis viribus illi se opposuerunt. Voetius in *Ultrajectinâ* Acad. vehementer in illam methodum detonabat, & *Cartesium* Edicto, thesibus cum sonitu *campanæ* publicatis, ad disputationem provocabat. Sed hic ad

Scho-

Scholasticas velitationes minime factus, quas nec ejus fert methodus nec amant sectatores, per literas Voetium acerbissime laceratum dimisit: Gaudens interim applausu hominum incredibili, qui, cum veteris Philosophiæ institutio jampridem illis sorderet, per hanc novam libertati & curiositati, quibus ingenia humana maxime in liberis populis capiuntur, portam videbant apertam.

7. Sed antequam hæc incommoda, quæ tum modò præviderentur, increbrescerent, Voetiani à Veteribus *Gensiis* notabiliter distincti iisque oppositi multas in Ecclesia atque Republ. molestias excitarunt aut sustinuerunt: maxime postquam *Samuel Maresius* Gallus, sed veteranus Theolog. Prof. Groningensis *Voetio*, se acerrime opposuisset. Ex quo Voetiani & Maresiani Scholas, Ecclesiam & Rempublicam tenuere distractam; donec conjunctione Carteliano-Coccejanâ contra utrosque invalescente, *Voetius & Maresius* reconciliati sunt, manente solo *Coccejanis* & *Cartesianis* opposito *Voetianismo*, cujus nomen Maresianismum absorpsit, & cum eo in veterem Calvinismum coaluit. sed hæc ad posteriora tempora præcurrunt.

CAP. IV.

De Heterodoxis.

AD hoc caput jure an injuriâ retulimus antehac *Moderatores*, non qui inter Protestantes, sed qui inter hos & Pontificios pacem ac unionem reconciliare conarentur. Inter quos censeri volebant *Adrianus* & *Petrus Walemburgius*, Roterodamenses è Reformatis Pontificii, Coloniam digressi, quibus opera fuit, editis libris Ecclesiæ Romanæ deformitatem pigmentis honestare; Reformationem à Cæsare factam atque Diætam nihil esse quàm quod diceretur, Vim nullam conscientiis adhiberi; Porro, sententias discrepantes ad mutua confinia reducere & inculcare studebant, discrimen esse tam modicum, ut propterea in schismate non esset persistendum. Disputationem per consequentias, quibus alii aliis incondita & negata imputarent, præcidendas; Imprimis in tam infinita opinionum & interpretationum varietate nihil esse tutius quam auctoritatis viam, quæ aliunde quam à *Catholica Ecclesia*, cui præscriptio temporis & inde præsumpta voluntas Domini suffragaretur, peti non posset; fere quomodo diu postea *Condomensis* Episcopus. Idem institutum laudabat & urgebat in exilio suo *Grotius* aliique plures, id agere crediti, ut omnia paulatim Ecclesiæ Romanæ aggregarentur: Ideoque nihil in summâ tum quidem profecerunt, etsi à

Prin-

Principibus si res dependisset, minor hauddubie sectarum numerus fuisset. Inter illos enim & quoslibet populorum Rectores *adiaphorismus* in Religione magis indies crevit & invaluit, isque vel causa vel effectus fuit illius conciliatoriæ moderationis; etsi in universum nemo controversiarum numerum, si charitas & æquitas adesset, plus dimidiâ parte contrahi posse negare poterat.

2. Sed quam nullius sit dissensionum finis, ubi nullum ingeniis frenum adducitur, nunquam clarius, quam hoc tempore tam in *Belgio* quam inprimis in *Anglia*, remotis Rege cum Episcopis suis, patuit. In *Hollandiâ* sic erat Reipubl. ratio; Reformatam Religionem habere pro *Dominante*; Cæteris omnibus *promiscuam* indulgere *libertatem*. Unde multitudinem hominum & mercaturam immensa cepisse incrementa, secus ac in reliquis Provinciis, palam quidem est; Sed exemplum pariter vivum præbet, *quousque licentia ingeniorum in sacris evadere possit*; nec minus notabiliter, quod moderatio prudens Magistratuum in tantâ religionum discrepantiâ cives in pace, Regimen in ordine, Rempubl. in flore conservare possit. Sed ut hæc observatio in *Hollandiâ* singularis exempli est, ita nonnisi in Regimine bene stabilito & æquabili, hoc obtineri posse temperamentum, *Anglia* docuit, in qua Rege debellato, Episcopali auctoritate sublata, nullo adhuc certo Regimine, diversitas Religionum mirificas edidit Turbas,

de quibus in capite *Anglicanarum* rerum. Ubi de conflictu Episcopalium cum *Presbyterianis* & prioribus amotis, horum cum *Independentibus*, qui omnes inter Reformatos Orthodoxos habentur, actum. Sed hoc tempore plures aliæ sectæ pridem licet conceptæ in Lucem prodierunt, ut tyrannidi, quam Angli vocabant, Episcopali, succefferit hæresium anarchia, quæ fructus tot adversus Regem victoriarum fuit præcipuus; Quem cum Parlamento reddendis rationibus obnoxium antea contendissent, nunc vicissim ipsum *Parlamentum populo* teneri ad rationes reddendas, eoque vi posse compelli à *Levelleris* & *Anabaptistis* jactatum fuit.

3. Et primo quidem *Anabaptistarum* ingenti numero secta se per Angliam diffudit, à Germanis tamen & Belgicis ejusdem nominis in ea separatorum, quod *præter baptismum* in reliquis fere cum *Puritanis* consentiebant, etiam in cultu externo. Baptismum infantium pro nullo habebant, etsi primo ambiguis, in Confessionibus, hac de re verbis usi sint; ideoque adultos licet olim tinctos, denuo, non adspergunt aut tingunt, sed imbuunt & mergunt, quemadmodum primos instituisse Christianos non dubitatur. Aliud illis commune fuit cum quibusdam *Independentibus*, quod solis Concionatoribus perpetuis, qui fere munus suum ut artem vivendi exercent, dicendi in Ecclesiâ jus esse non placebat, sed more similiter, ut volunt, primævo Christianorum, quoslibet donis ad eam rem ido-

idoneis præditos, ordine decoro putabant audiendos. Quin ad Doctoris officium nihil aliud quam impulsum Spiritus, quem internam vocationem vocant, & desiderium congregationis alicujus requirebant, ut latius ipsi in Confessione suâ, quam ediderunt anno MDCXLIV & XLVI.

4. Resuscitata est etiam ex superioris seculi memoria *Antinomorum* secta, cujus auctor in Angliâ fuit *Johannes Eatonus*, & propagatrix *Hutchinsonia* mulier in Angliâ nova; Nam & feminæ personam in condendis Religionibus notabiles egerunt. Horum summa Doctrina fuit, *Legem nullum usum habere in adducendis hominibus ad Christum*, uti nec postea in semel conversis, cum quorum statu *gratuitæ justificationis*, nullo modo convenire deplorationem peccatorum aut veniæ seu remissionis desiderium. Quæ ratio facillimam in cœlos viam ostentans incredibilem hominum multitudinem traxit, ut vix ullæ domus aut templa capiendis auditoribus sufficerent. Valde etiam auctus est numerus Enthusiastarum, sive *Quakerorum*, qui dicuntur, à quibus promissiones Christi de Spiritu sancto ad finem usque mundi apud fideles duraturo, de pari efficaciâ & infallibilitate instinctuum cum iis quos Apostoli habuerunt, accipiuntur. Unde suos motus & instinctus nihilo minoris faciunt, quam fuere, quibus sacra scriptura dictata fuit Prophetis; imo præferunt, quatenus sacræ scripturæ dicta sæpe sunt obscu-

ſcura; ſui inſtinctus, quibus occupati tremulo motu, unde *Quakerorum* nomen, Deo ſe plenos adſerunt, fallere nequeant. Doctrinas eorum reliquas heic recenſere longum & præter inſtitutum foret; quemadmodum etiam reliquas ſine fine ſectas, voluti *quintæ Monarchiæ hominum*, qui regnum Chriſti in terris non modo ante finem mundi, ſed etiam proximo quoque tempore, quo fideles impiis prævalituri ſint, expectant, idque etiam armis, Poteſtates mundi opprimendo, accelerare fas credunt. Alii fuere *Quærentes* ſive *Expectantes*, qui viſibilem in terris Eccleſiam, omnibus ſcilicet corruptione plenis, reperire ſe negant; Quærunt & expectant eam; ac interim nulli ſectæ aggregabant ſe. De Remonſtrantibus, Socinianis, Atheis, quorum in hac Confuſione numerus immenſum crevit in Angliâ, nihil attinet dicere; nec adeo de cæteris inſaniæ & blaſphemiæ manifeſtis ſectarum generibus; quæ fuſius perſequitur Hornius in *hiſtor. Eccleſiaſt. ad hoc tempus.*

5. Porro ita in Angliâ ſe res habebat, ut omnes ſectæ quod ad regimen Eccleſiaſticum attineret, cum *Independentibus* facerent, unde hoc etiam nomen Anabaptiſtis aliiſque tribuebatur. Omnes enim Rege ſublato libertate gaudere nec ulli parere in animum induxerant. Unde, qui Independentium appellatione ſoli antehac oppoſiti fuerant Presbyterianis, novo ſe nomine diſtinguere cœperunt & *Congregationales* vocati ſunt. Cum autem Prudentiores, ex hac

om-

omnium rerum perturbatione nullum viderent exitum, ſi res ſolis Eccleſiaſticis committeretur, Procerum multi auſcultare cœperunt his, qui doctrinam *Eraſti* in Germania aliquando receptam magno cum motu renovarent. *Eraſtus* ille, gente Helvetius, Heidelbergæ Medicus & Senator Eccleſiaſticus oppoſuerat ſe *Caſpari Oleviano* aliiſque urgentibus introductionem Diſciplinæ Genevenſis, cum poteſtate excommunicandi: Qua ille ſub Magiſtratibus Chriſtianis nihil opus eſſe contendebat, & Concionatoribus ſufficere ad poteſtatem clavium exercendam, jus denuntiationis, minas & promiſſiones Euangelicas; hæc in Palatinatu *anno* 1565. Primus hanc ſententiam in Angliâ protraxit in lucem *Colemannus* Eccleſiæ Londinenſis Paſtor, habitâ Concione ad Ordines Regni, dejecto Epiſcopatu ſollicitos & de novo Eccleſiæ Regimine diſcordes. Tanto favore Politicorum, uti erat conſentaneum, excepta eſt hæc inſtitutio, ut non modo late per animos diffunderetur, ſed etiam decretum Parlamenti ſit editum, quo regimen Eccleſiaſticum, abolendis diſſenſionibus, per *Commiſſarios* Politicos exerceretur. Quæ declaratio ab *Independentibus*, qui *Presbyteria*, quorum Patroni tum adhuc ſuperiores erant, eo decreto tolli gaudebant, acceptata eſt; etſi hoc inſtitutum in longitudinem non tenuit, Presbyterianis primo, Independentibus poſtea violenter reſiſtentibus. Quin etiam in *Scotia*, quæ ſtabilitis diu Presbyteriis, à reliquis ſectis erat im-

mus

munis, adverſus *Eraſtianum* hoc inſtitutum vehementer ſe commovere Theologi. Cum enim diſciplina Conſiſtorialis & Synodalis nuſquam rigidius & efficacius, quam apud Scotos exerceretur, ut etiam ad res civiles univerſumque Regni ſtatum ſe extenderet, nihil inimicius & infeſtius quam hanc Politicorum diſciplinam, inſtituto ſuo contingere poſſe rectè judicarunt. At ſatis pro ſectione hujus intervalli; ſucceſſum tempora ſequentia dabunt.

TOMI III. LIBER II.

De rebus in Belgio fœderato & alibi Europa gestis ab exitu anni MDCXLVIII. *ad finem anni* MDCL.

RES orbe toto gestas, Imperiorum ortus ac interitus & nobiliorum causas mutationum ordine modoque Institutionis methodicæ, adhuc ita prosequuti sumus, ut novissima quæque prioribus identidem latius & exactius enarraverimus. Consilium & animus erat eodem more & incremento ad ultima usque tempora progredi. Sed modus & ratio instituti tantæ rerum moli minime paris vela contrahere & propiorem portum subire suadet. Ita denique sedit; opusculi præsentis finem in WILHELMI *Arausionensis apud Belgas & dein apud Anglos ejus nominis Tertii ponere natalibus: Ut exinde justior Historia tanti Principis temporibus dignior & majorem posteritatis reverentiam præferens, ab eo, cujus id otium & ingenium tulerit, educatur. Mea quidem si vel ætas vel facultas operi tanto sufficeret, hæc ratio futura videbatur, ut Belgicæ res Fœderatæ, præcipuum materiæ corpus & quasi caput efficerent,*

cerent, cui reliquarum gentium memorabilia quotannis subjicerentur; non, uti superius factum, aequabilis omnium Gentium Historiae procederet Institutio. Placet, hujus propositi specimen edere de brevi temporis spatio, quod a pace Monasteriensi ad felicem illam nativitatem fluxit, uno contextu, sicut in justis amat fieri Historiae monumentis. Quando etiam vacantes hujus libri paginae hactenus ad justam fere voluminis molem suffecturae videntur.

Pax apud *Monasterium* Westphaliæ Hispanis necessaria, Belgis gloriosa fœderatis, at inita, priusquam Galli, Sueci & Germaniæ Protestantes, cum Austriacis convenissent, à Belgis, *Hollandiæ* imprimis studio Procerum, festinata fuerat, tribus potissimum caussis. Sederat animis formido gravis & justa *Viciniæ Gallicanæ*, pulsis è Belgio, quod bello utrimque producto futurum erat, Hispanis, manifesto imminentis: Periculo antea quidem minus proviso, sed quod ab hoc tempore cunctis, sicut erat, ob oculos versabatur. Ad externam considerationem domestica ratio, levandi Rempubl. immensis belli sumptibus & ære alieno, quod *Hollandiam* imprimis oneraverat, accedebat, eamque Rectores, non tantum utilem, sed etiam popularem rationem palam præ se ferre soliti erant. Verum suberat occultior alia non minus acris, urgens animos Optimatium, qui vim Præfecturæ, quam Princeps *Arausionensis* domi militiæque habebat, opportunitate pacis frangendam vel imminuendam censerent. Antiquum erat hoc desiderium, inde

inde ab induciarum tractatu duodecennalium haut obscure demonstratum, sed cum Remonstrantibus oppressum, cum illis quique paria sentiebant, sponte Principis *Henrici Frederici* Reipubl. denuo admotis resuscitatum, idque jam vetere imperii Principe vitâ defuncto, sensim exequi opportunum videbatur. Nihil erat potius, quam copias dissolvere militares, quod & factu necessarium & occultam facultatem illam, ut tamen argui non posset, implicabat. Initium à diminutione numerorum, manentibus adhuc iisdem legionibus & cohortibus, altero statim mense à publicata pace factum est die xxx. Julii CIↃ IↃC XLVIII. Turmis equitum ad equos *sexaginta* redactis, ut tamen Prætoriani exciperentur, quod & in peditibus valuit; quorum singulis centuriis adempti *quinquaginta* milites. Quæ *reductio*, sic enim appellant, solius Hollandiæ ærarium levare dicebatur, *decies sexies centenis florenorum millibus annuis*; Seniorum tamen & mutilatorum stipendiis extra ordinem continuatis. Qui dimissi fuerant milites è vestigio à Gallis, ab Hispanis, à Brandeburgicis atque Hassis iterum conducti & abducti sunt, quod plebs ægris oculis adspiciebat, maxime cum & Hispani aliquos traherent; quasi periculum esset, ne denuo contra Patriam milites olim nostri educerentur: sicut ex eâdem re multi, etiam concionatores, de pace male ominabantur, hi quidem & eo, quod à publicatione cœlum continuâ pluviâ per omnem fere æstatem, magno frugū & gra-

graminis damno funeſtatum fuerat. Quibuſdam etiam ominosè conferentibus Synchroniſmum, quod publicatio pacis facta erat eodem die, *Nonis Juniis*, quo ſuperiore ſeculo Comes Egmondanus & Hornanus à Duce Albano capitis ſupplicio adfecti fuiſſent. Adeo vana in omnes opiniones verſari ſolent; quatenus alii inde merito lætiorem colligerent interpretationem; quod mortes illæ tyrannidiſque facinora Hiſpanicæ, ad plenam & illuſtrem vindictæ victoriæque demonſtrationem, *Pignore* libertatis conſignato, à Fatis modo perductæ & tam memorabili ſynchroniſmo erant illuſtratæ. Quod autem ad pluviam attinet, quam pacis inimici in malum omen trahebant, accidit ex adverſo brevi, ut Patroni pacis iter Principis per urbes Hollandiæ ad impediendam militum dimiſſionem, quâ de re *inferius* agetur, inter alia hoc elogio inſectati ſint; *Cœlum ipſum illud Principis conſilium lacrymis è cœlo per adſiduam pluviam fuſis deploraſſe videri*, ut Medemblicenſes in *apologiâ* ſua ſcribere non dubitarunt. Solidior opera ab Ordinibus & à Principe data eſt, avertendis quæ à pace metuerentur, incommodis, ne res bellicæ terrâ marique in deſuetudinem & negligentiam abirent & quicquid firmando ſtatui duraturo conveniret, elaborando. Inter quæ Barones, Nobiles, Civitates, Brabantiæ, quæ ab Ordinum Generalium cœtu jure *provinciali*, id eſt, belli adhuc regebantur, enixe petierunt, quod durante jam bello agitaverant, ut juxta reliquas Nationes fœderatas, quarum non-

nonnullis armis quoque belli ſubactis magnitudine opibuſque non cedebant, corpori Fœderatorum aggregati jure ſociorum æquali fruerentur. Sed ab Ordinum Conſeſſu Generalium ad ſingulas dimiſſi Nationes nihil quam dilatoria reſponſa retulerunt, aliis invidiâ, quibuſdam indignatione motis, ſi ne hoc quidem operæ impenſæque pretium, ſcilicet in victos Imperium, remaneret. Hollandis etiam, Principis (hujus enim hauddubie factio fore præſumebantur) incrementum in eo proſpicientibus; ægrè jam dudum paſſis, quod cum ſoli plus reliquis omnibus populis in rem communem conferrent, nihilo tamen plus ſingulis ſociarum Gentium in communi cauſâ poſſent, eâque proportione, Sociis numero auctis, minus impoſterum valituri fuiſſent; quando *Brabantis* admiſſis, ne Flandri quidem multoque minus *Drentini* ab eodem beneficio excludi potuiſſent, qui omnes, ſicut plerique jam veteres, præter *Hollandiam*, fœderati, ſectam Principis ſequuturi credebantur. Huic obliquo adverſus Aulam affectui conſentaneum fuit, ut quorundam conatus liberandi Principem ære alieno, quo Patrimonium ejus arctatum erat, contributione ſociorum liberali primo, dein prætextu indemnitatis Principi, ceſſantibus expeditionum bellicarum lucris, ex æquo & bono præſtandæ ab iiſdem Batavis eluderentur, reliquis negativâ gaudentibus magis quam profiteri audentibus. Quomodo & annuum viduæ Principis honorarium è medio ſublatum eſt; Hollan-

dis primò in idem quod *Colignia Wilhelmi* Principis vidua, xx. *M. florenorum* habuerat, consentientibus; dein cum alii, pro luxu seculi & Reipubl. incremento, duplum ejus, quod Colignia perceperat urgerent, Batavi & horum tuti exemplo reliqui totam rem silentio involutam obliterarunt, ut hac quidem parte generosa Princeps inhonorata manserit. Ipsa & filius animo magno silentium in talibus silentio exceperunt, cogitationibus suis ad publica versis. Inter quæ Principi oblata est itineris occasio Groningani, ex eo quod *Civitas*, cui antiqua juris publici cum *Omlandis* erat Quæstio, nuper etiam à Præfecturæ veteris, quæ dicitur, incolis *Oldamptinis*, in possessione jurisdictionis sibi jam olim acquisitæ turbata fuerat; existimantibus his, æquè se libertatis usu dignos esse quam reliquos populares suos agere viderent Omlandos. At Judices ab *Ordinibus* constituti *Generalibus*, causâ cognitâ, vindicias contra libertatem usurpatam dederunt eamque sententiam Princeps & Ordinum Legati auctoritate potius quam manu executioni commiserunt, *mense Novembri* CIↃ IↃC XLVIII. Et anno sequenti mense Augusto terminatæ sunt aliæ Quæstiones inter Civitatem Groninganam & Omlandos, variæ & minutæ; quas in ipsa Ordinum Generalium sententiâ videre licet apud Aitzema *de rebus Pacis & belli lib.* XXIX. Haud multo post aliud Principi ineundum fuit iter; quod aliâ parte Libertatis stadium in ipsius præjudicium tendens, injunxerat. Neomagenses sub Hispa-

Hispaniæ Regibus suos ipsi Rectores elegerant, Optimates unà cum plebe, Collegio *divi Nicolai* comprehensâ, penes quam jus authenticum magistratus constituendi fuerat. Reducti armis ad unionem fœderatorum, inter leges deditionis hanc acceperant, ut Princeps tanquam Gubernator eligeret Magistratus & Civitas in materia tributorum & vectigalium eodem quo reliqui urbes Gelriæ jure uteretur, adjecta hujusmodi clausula: *Et hæc per modum provisionis & durante hoc bello, sine diminutione privilegiorum.* Pace publicata, Rectores Neomagenses sibi hoc jus seorsim à plebe vindicare certi, Principem apud *Dieram* venationis causa agentem per legatos salutaverunt actisque pro cura eligendorum Magistratuum in suâ civitate, dum bellum fuisset, gratiis, sibi jus & animum esse, posthac molestia creandi magistratus liberare Principem sibique munus illud vindicare demonstrabant. Ad quam orationem minime expectatam Princeps ita responderat, ut super ejus argumento se deliberaturum significaret. Nec id usquam melius se facere posse credidit, quam in *Ordinum Gelriæ* conventu brevi postea in ipsa urbe Neomagensi celebrato. Illic vero sive jus, sive gratia Principis, sive Nobilitatis aliarumque civitatum adversus Neomagenses æmulatio fecit, ut juris ejus continuatio Principi adjudicaretur. Ita enim ibi differebatur, *Insignem adeo mutationem à municipalibus solis fieri non potuisse; Summæ Potestatis, quæ penes Ordines erat, opus fuisse consensu, non fuisse*

Jus antiquum penes Optimates ipsos, sed præcipuum eligendi Magistratus facultatem propriam fuisse Curiæ plebejorum, cujus jus Optimates in se absque Ordinum consensu derivare non possent. Denique, clausulam *provisionis* in lege deditionis, non ad jus ipsum Principi delatum sed ad ejus modum pertinere; ut ex eo quod de tributis & vectigalibus *ibidem* expressum sit, liqueret: In modo autem si quid mutandum sit, ei rei à Principe & ab Ordinibus videri consulendum. Non deerat *Neomagensibus* quod reponerent, Jus illud Civitati suæ jam olim quæsitum non eguisse novæ confirmationis. Curiam *divi Nicolai* non existere amplius in urbe suâ, cujus idcirco jus corpori civitati acquisitum sit, nec aliorum interesse, quomodo Neomagenses suas res domesticas partirentur. Clausulam generalem in deditionis Legibus *de non præjudicando & de provisione temporariâ*, singulis rerum speciebus, secundum naturam suam convenire; Tributis applicari, quod ad modum; Magistratibus eligendis, quod ad jus ipsum, ut res ultro satis loqueretur. Addebant invidiosam de minuenda libertate querelam, si quod sub Ducibus & Hispaniæ Regibus sibi jus quæsitum & exercitum foret, id in mediâ libertate, quam Rex Hispaniæ nuper amplissimis verbis confessus erat, interciperetur. Sed Princeps Ordinum decreto munitus verborum disceptationem ratus supervacuam, cum tempus electionis appeteret, per Urbis Præfectum id egit, ut quibusdam è Rectoribus per idoneos homi-

nes

nes insinuaretur, *nullo modo futurũ, ut propositũ suũ Princeps generosius amitteret. Quibus invitis id fieret, hos à benevolis adjutoribus notabiliter separatum iri, nec præmia defutura consentientibus & adversantes incassum laboraturos.* Curia quoque suprema, cujus in Republ. major ibi quam alibi fœderatorum est opera, missis quatuor Legatis in rem Principis intenta credebatur. Hoc modo re præparata, Princeps Kalendis *Januariis*, anno MDCXLIX. *Neomagum* Spectabili Nobilium, Tribunorum aliorumque Ordinum ductorum comitatu profectus est. Postridie, quo electio fieri consueverat, in Curiam progressus nominationem Candidatorum Consularium & Scabinorum, ex quâ more solito faceret electionem, fieri postulavit. Quod cum Magistratus se facturos negarent, *sine præviâ nominatione* sequentis anni Consules atque Scabinos elegit ipse Princeps, & Syndico *Goris* paranti protestationem, *non esse tempus*, significatum est: nec aliud, vivo Principe, quam inanes rumusculi & querelæ miserantium *Libertatem*, id est, optimatium potestatem, oppositum fuit. Jam pridem enim & deinde non minus intente id actũ erat ab Optimatibus, ut omnia popularis in Republ. Potentiæ vestigia, quæ multa passim in plerisque fuerant civitatibus, abolerentur, quam ut prævalentem Gubernatorum potestatem roderent atque in ordinem cogerent. Et cum prius ubique fere consequuti fuissent, oppositas tamen *libertatis* & *dominationis* voces cautè retinuerunt easque solerter

in vulgus, ut Principum potentiam minus populárem redderent, spargi curaverunt; etsi reverâ Optimatium ratio sit, plebem arctius & contentius habere, quam Principes soleant. Qui ex adverso naturalem plebis erga Proceres invidiam quovis modo, mediis etiam concionatoribus, foverant sibique popularem gratiam ultro adfluentem pignorare studuerant. Hoc sane potestatis suæ diminuendæ specimen haud immerito Princeps, ut initium & tentamen aliorum conatuum, ad animum advertens, enixe curateque opprimendum putavit. Interim fervere cœpit apud *Hagam Batavorum* disceptatio super novo rei bellicæ constituendæ statu, quem in *Consilio Status* quod vocant more solito formatum, Princeps Arausionensis, Frisiæ Præfectus & prædicti *Status* Consiliarii, Fœderatis Nationibus jam mense *Junio* superioris anni obtulerant. Solet illa *Petitio* (sic appellatur) præter Actorum civilium consuetudinem, inchoari à præfatione scholasticam redolente facundiam: Et tum quidem ita demonstrabant; *Antehac sibi morem fuisse, graves & sumptuosas petitiones spe felicis exitus & properæ pacis allevare, nunc esse tempus agendi gratias fortissimis & amantissimis Patriæ Rectoribus & populis, quod adversus potentissimum Hostem per annos octuaginta, periculis & sumptibus infinitis libertatem communem defendissent ejusque confessionem & concessionem Hispaniæ Regi toto orbe latissimè imperanti extorsissent. Confidere se de prudentia talium libertatis patronorum, id eos acturos,*

ut quibus artibus & mediis illam sibi peperissent, hoc est, Domi Concordiâ, foris armata manu, iisdem illam conservarent. Versari nunc quidem in pace Rempubl. & si fœderibus officiisque humanitatis fidere liceret, dimitti posse exercitum omnibusque belli reliquiis fessos oneribus populos liberari. Sed usu rerum & exemplis omnium seculorum nihil esse notius, quam inermes ditesque populos, non modo reconciliatis hostibus sed etiam veteribus amicis agere obnoxios & esse prædæ expositos. Europam adhuc ardere bellis, tribus maximis Regnis, quorum motum reliquæ fere gentes sequantur, exercituum plenis; longe plus esse periculi, quam fuerat induciarum tempore duodecennalium; tamen non multo plus copiarum petere se, quam Respubl. tunc habuerit. Equitum millia quatuor & trecentos, qui in anno constituri sint decies & *ter centum septuaginta millibus & octodecim florenis, sedecim assibus.* Peditum XXXIV. millia DCC. & XXX. quorum stipendia facerent *quinque milliones, octingenta nonaginta quatuor millia, septingentos nonaginta quinque florenos* XI *asses.* Quibus numeris stabilitis, dimittendos esse bis mille sexcentos equites; peditum XVIII millia, quingentos & LXX. è quibus levamen ærarii colligeretur *duorum millionum quingentorum &* XLIV *millium &* LXXIX *Carolinorum.* His accederent sumptuum in æstivis expeditionibus, qui plerumque duos *milliones* & amplius exegerant, aliorumque multorum onerum à bello dependentium levamina. Quibus contentæ nationes pleræque in hoc reformato

bellicorum sumptuum statu acquieturæ videbantur. Sed Hollandiæ Civitates hæc non sufficere ad æquandas annuis expensis ærarii sui vires deterendumque æs alienum causati plures parsimoniæ species urgebant, & numeros cohortibus multo minores & honoraria Ducum, *initio à militari Principis stipendio facto*, circumcisa volebant. Verum antequam vota Nationum colligerentur, *die* XXIV. *Junii* MDCXLIX. placuit interim veteres servari numeros & secundum eos fieri solutiones. Verum *Hollandi* non diu postea Ductoribus & Centurionibus suæ Partitionis per literas injunxerunt, ut Centurias suas de numero LXX militum ad quinquagenos reducerent, neque plurium stipendia ab Ærario suo expectarent. Qui cum hac de re querelas suas ad Ordines Generales detulissent, acris inter Socios orta fuit contentio, de jure quod singulis Nationibus in dimittendis militibus aut minuendis eorum numeris, quorum ipsis adsignata fuisset solutio, competeret; Principe, Præfecto Frisiæ & Consilio Status ita statuentibus, *Non esse jus singulis Provinciis, sine reliquarum consensu mutare quicquam in corpore militiæ recepto, ac ita cum cæteris ipsos Hollandiæ Rectores judicasse diebus* IX *&* X *Februarii*, item die II & III *Martii* CIϽ IϽC XXVI. Rursus contra Frisios similem suo arbitratu *reductionem* instituentes anno MDCXLIV. Hollandi contrà, *secundum fœdus Ultrajectinum nullam Provinciam cogi posse ad consentiendum in onera belli, nec esse locum hac parte præ-*

prærogativa suffragiorum, *contendere*; Singulas Nationes habere jus Summæ Potestatis: Nec adeo exemplis, quæ & disparata fuissent, quam legibus judicandum. Sed *Ordines Generales*, Principis & *Consilii Status* sententiam amplexi, cum prius Hollandos à separatâ Reductione dehortati fuissent, ad Ductores & Centuriones qui fuerant questi, scripserunt, ut numeros suos illibatos retinerent & si quid ex illis diminuissent, operam darent, ut in priorem statum restituerentur. Postremo ad ipsos *Hollandiæ Ordines* Legatos è reliquis sex Provinciis singulos misere *die* XXII *Decembris*, ut vel omnino vel saltem ad mensis unius spatium separatam hanc reductionem differre ne gravarentur. Satis apparebat è motu partium, plus animis esse conceptum & plus in recessu latere, quam hæc Quæstio præ se ferret. Agebatur enim de Reductione duarum & viginti centuriarum à numero *septuagenorum* capitum ad *quinquaginta*, id est, de stipendio *quingentorum octuaginta quinque* militum: Re multo nimis modicâ, quam ut illustres & Sapientes Viros inter se committere posset atque deberet. Sed Principi persuasum fuit, initium ab Hollandiæ Optimatibus quæri dissolvendæ militaris, id est, suæ potentiæ. Quod ubi cum reliquis Nationibus se pariter facere non posse viderent, hoc eos agere, uti se solos jure Summæ Potestatis sibi seorsim vindicatæ opumque vi, *quâ reliquos Socios simul omnes superarent*, suis rebus & libertati consu-

lere posse demonstrarent. Jam voces audiebantur, in paucis urbibus limitaneis opus esse præsidiis, reliquas incolis esse committendas. *Præfecti armorum Generalis*, qui Princeps erat Arausionensis, *nullum tempore Pacis usum esse videri*, In sociis Nationibus *Hollandiæ* parum esse momenti, cum quâ forte melius ageretur, si *Ultrajectinis contenta solis*, suas res cæteris habere permitteret. Hæc sive invidiæ faciendæ conficta, sive ut eventu deinde comprobata sunt, ex vero collecta, quemadmodum à privatis quibusdam Hollandiæ Proceribus haud satis dissimulabantur, ita publicè nihil prætextum fuit quam Jus liberæ Provinciæ & necessitas æri alieno parendi, quod horribili summâ *centum quadraginta millionum*, pro quibus usuræ *sex millionum* quotannis solvendæ, præter alios decem milliones absque usuris, soli incumbebat Hollandiæ. Sed ex immodico partium in re modicâ studio, majorum animis rerum consilia agitari facile præsumi poterat; de quibus proximè & deinde sequentes anni luculenta specimina dabunt. Hæc domi fere post solennia publicatæ pacis usque ad exitum anni MDCXLIX. sine respectu aliarum Potestatum, acta. Quibus addi potest, quod Carolus Lotharingiæ Dux, qui ditionibus suis à Gallis ejectus, exercitum tamen è rapto & inermium sumptu populorum alebat, cohortes & turmas aliquot in territorium *Buscoducense* aliasque Fœderati Belgii ditiones immisit; at Ordinum minis ac copiis inde recedere, alioque irrum-

rumpens inde rurſus abire compulſus eſt Etiam Hiſpanis denuntiatum, ni curarent à Lotharingis Ordinum ditiones, quas poſſiderent vel ſuas eſſe contenderent, etſi juris controverſi, relinqui, ſeſe vim illam pro facto Hiſpanorum habituros, eo quod Lotharingium Ducem illorum ſtipendia facere & diu feciſſe conſtabat. Erant, qui crederent, *Hiſpanos*, quibus conſciis, *Lotharingici* Conatus inſtituebantur, è diſſenſionibus Principis & Procerum, id acturos ut rem facerent manu Lotharingicâ. Sed hoc quidem contra verſum fuiſſet; Princeps enim hoc prætextu vel ratione potius urgente, non modo dimiſſionem copiarum impedire, verum etiam ad novum contra Hiſpanos bellum nationes excitare potuiſſet. Ideo ſponte eorundem Hiſpanorum Lotharingius ultima non expectans ad alios vexandos ſe contulit.

Sed hæc res ad ſtatum Reipublicæ Belgicæ reſpectum ad exteros habentem pertinet; quâ de re nunc agendum, ordine viciniæ: Quo primi ſunt *Hiſpani* in Belgio ſubjugato, veteres & diu inreconciliabiles crediti hoſtes, muſteâ amicitiâ reconciliati, cum profundo hinc inde Primorum conſilio ſervandi pacem, ſecundum id, quod utriuſque partis in ſummâ verè ſolidèque intererat. Nam Hiſpani ſolis *Gallis*, domi concordibus ægrè pares, renovato cum Belgis fœderatis bello, in parte ſua Belgicæ nullo modo conſiſtere poterant: quum Pace durante ſperare poſſent, è

com-

communi à Gallis, metu, fore, ut aliquando præsidium inde mutuarentur. Belgas unitos quæ rationes ad Pacem impulerant ineundam, eædem ad cultum ejus & observantiam hortabantur; Gallicanæ timor potentiæ, studium levandi populos & æris alieni, Consilium minuendi potentiam militarem Principis, optimatibus Hollandiæ proprium. Sed animi populorum sueti odiis & rationum illarum incapaces tam cito coalescere non poterant, sæpe novis, in finibus, exasperati commissionibus, in *Brabantia* potissimum, ditione *Transmosana*, *Sylvaducensi*, *Bredana*, & aliis, quæ Proceres utriusque partis ipsos non rarò acerbis implicuere contentionibus, ut aliquando rès non procul à violatione pacis abesset; quæ tamen prudentiâ Rectorum identidem ad Principium summamque Consilii se revocantium enixè declinata est. Præcipua difficultas fuit in regionibus Transmosanis, quæ ex lege Monasteriensi secundum præsentem possessionem cedere debuerant. Hac gratiâ curæ fuerat *Hispanis*, in ipso pacis ineundæ momento regiones illas Edictis, Exactionibus & crebrâ cohortium immissione sibi vindicare. Quos actus *Fœderati* per suos homines & postremo per *Rijngravium* justâ peditum equitumque manu stipatum refutari plenamque possessionem retinere sategerunt. Hispanis legiones quibus Rijngravium pellerent, erant in promptu; Sed cura non turbandi pacem apud eos prævaluerat. Quâ factâ & publicata, contentio-
nes

nes illæ non modo actibus hinc inde poſſeſſoriis renovatæ, ſed etiam *repreſſaliis* & prehenſionibus rerum hominumque mutuis exaſperatæ ſunt. Ut ſi Hollandia pacis tenacior cum Hiſpanis hac parte non validè cónſpiraſſet, Principis & Zeelandiæ paci ſemper adverſantium ſtudio reliquarumque nationum Principi fere auſcultantium facilitate, ſine dubio res in bellum erupiſſet. Non diſſimulante Principe, Hiſpanos in cauſa *Tranſmoſana* facile ceſſuros, niſi ex *Hollandia* animati pertenderent. Ut jam parum abeſſet, quin Hollandi optimates & Hiſpani adhuc vulgo mirè exoſi ejuſdem conditionis haberentur. Acceſſerunt aliæ difficultates è pacis Tractatu reſultantes, *Æquatio Portuum Flandricorum & Socialium Belgicorum* in exigendis vectigalibus. Cauſa Reviſionis de Marchionatu *Berga ad Zomam*. Præſtatio *Turnhouti* & *Zevenberga* dominiorum, quæ Principi Viduæ præmium operæ paci navatæ ceſſa, non liberata fuerant ære alieno, ab Hiſpaniæ Rege illis impacto, quod ægrè anno MDCXLIX impetratum: Non ſine indignatione Principis filii, quod *Hiſpani in ſatisfactionibus ſibi promiſſis* longiores nectèrent moras. Fuerunt etiam aſperæ contentiones de rebus Eccleſiaſticis & Scholarum diſpoſitionibus in ditione *Gemertenſi* cum locis vicinis. In quâ ſibi ceſſâ, pro arbitrio ſuo Ordines agendum putabant. Hiſpani ſuos animoſe tuebantur. Res, homines hinc inde capti, reſtituti, & hujuſmodi quæſtiones paulatim in ditio-

nem

nem *Sylvæ Ducensem* atque *Bredanam* serpebant; moderatione quidem Batavorum singulari; sed reliquarum legati nationum cum Principis amicis difficiles & juris sui pervicaces erant, aliquando morosi; quos affectus in Hispanos subinde transferebant, Comite de *Peneranda*, qui ad excolendam mutuis officiis pacem in Hollandiam Legatus se conferre voluerat, ob has contentiones venire gravato. *Debrunius* ei surrogatus, Vir prudens & officiosus, habens animum & mandatum amicitiæ quovis modo serviendi, Fœderatorum in his quæstionibus asperitate, sicut ipsi videbatur, offensus non temperaverat, quin male sibi, quod Paci operam dedisset, precaretur, optare se dicens, *uti manus suæ jactura subscriptionem redimere liceret;* & testatus auctorem se Regi suo cum Gallis ineundi pacem, *etsi cum unius è regnis suis jacturâ*, futurum, quo jus suum contra Fœderatos facilius & constantius tueretur. Sed hæc impatientia non processit ultra voces. Propositum servandi pacem amicitiamque Fœderatorum in animis rectâ rem viâ reputantibus & quietâ prudentiâ compositis, ita prævaluit, ut tamen contrà tendendo, nec nisi ad extremum cedendo quam minimum juris amitterent; semper id agentes, ut, si voluntatem mutuam adhuc conciliare non possent, à bello tamen abstinerent. In quo Consilio Rectores, ut dictum, *Hollandiæ* plerumque consentientes habuerunt. Institutum *Cameræ bipartitæ*, de quo

instru-

instrumento pacis dictum, ad finiendas ejusmodi Quæstiones, etsi ab Hispanis urgeretur, à Fœderatis tamen impetrari non poterat: ne viribus ipsi potiores, juris disceplationi, sua quæ certa rebantur, committerent. Forte quod etiam, ut postea res docuit, usum ejusmodi Tribunalis non habiturum esse facultatem præviderent. Hæc fere dispositio cum Hispanis in sequentem annum continuata est.

Quomodo cum *Galliæ* regno steterint hoc anno Belgæ Fœderati, ex historiâ pacis *superiore* libro collocatæ intelligi potest. Quanta cum illis amicitiæ necessitudo & fiducia usque ad hæc ultima tempora fuerit, ex magnitudine belli Hispaniensis & historiâ temporum constat. Rege *Carolo IX.* cœpta Belgarum defectio à Gallis incommodi plus quam auxilii accepit; neque *Henrico III.* bella civilia se Belgicis rebus immiscere vel fratri ab Ordinibus ad Principatum evecto validè opitulari permiserant. *Henricus IV.* sine Belgis unitis Hispanos à tergo distrahentibus initia rerum suarum contra *Liguistas* regni & Hispanos simul difficulter aut nullo modo sustinere potuisset. Firmatis deinde rebus, non vulgari benevolentiâ atque beneficentiâ Belgas remuneratus est. In quo affectu Filius & Mater Regina notabiliter perseverarunt, *nullo equidem alio quam propriæ utilitatis & potentiæ respectu*, quod ingens hujus Reipubl. adversus Hispanicam magnitudinem ipsis omnique Europæ formidabilem, animadverterent momentum:

Nec

Nec adeo noviſſimum bellum, *prius quam de hac Societate certi eſſent*, inchoaverunt, Ut quæ ſubſidia Belgis ex fœdere prorogarunt, ea verè uniceque in rem ſuam impenderint. Tametſi ut potentioribus ſemper liberalitatis & beneficentiæ laus, imbecillioribus gratitudinis officium adſcribi ſolet, ita hujus conteſtationem Belgæ verbis & rebus enixè ad ultimum uſque præſtiterunt, donec omnem potentiſſimi regni, uno actu *pacis Hiſpanicæ abſque Gallis initæ* gratiam effuderunt. Qua ratione, quo jure viaque rem adeo novam & ſuperiorum conſetudini temporum adverſam auſi ſint homines prudentiſſimi, ſuperiore *libro* tam in capite *Gallicarum*, quam *Belgicarum* rerum *poſtremo*, demonſtratum eſt. Nec dubitandum, quin hoc quaſi primum ſignum publicè datum fuerit *verſi rerum & Gentium in Europâ ſtatus*, qui adhuc ejuſmodi fuerat, ut omnes in Auſtriacæ Domus æmulationem depreſſionemque intenti & occupati viderentur. Uniti Belgæ primi non eſſe cauſam id amplius urgendi, Gallorum incrementa potius eſſe timenda Palam fecere: Quod Galli & ſtatim, revocato *Latuillerio* Legato ſuo, quàm indignè ferrent teſtati ſunt, nec nunquam illis bona fide ignoverunt, etſi ad tempus *inteſtino rerum ſuarum incommodo* iram diſſimulare coacti fuerint; haud tamen ita, quin ejus injuriæ, ut autumabant, ſenſum penes ſe non eſſe obliteratum ſæpe teſtati fuerint. Cujus rei ſpecimen extitit hoc anno; Cum na-

ves

ves plurimæ bellicas merces Hiſpanis ſubvehentes à Gallis captæ *Dunkercam & Caletum* abductæ fuiſſent, Zeelandicæ naves ante alias reſtitutæ ſunt, hac ratione Regiis literis comprehenſa, *quod illa natio pacis inſons Monaſterienſis, animum ſuum ſervandi fidem Gallicæ Coronæ datam teſtata fuiſſet.* Idem jocoſerio, quotiens uſus veniret, inculcabant. Cum ab Hiſpanis Legatus in Batavos appuliſſet, *Braſſetus* Galliæ apud Ordines miniſter Præſidi Socialis Unitorum Collegii gratulatus eſt, quod Hiſpanos gentem ſuperbam, *auxilio Gallico*, in tantum humiliaſſent, ut primi ad Fœderatos, antea ut rebelles habitos, viſitarent, miſſâ Legatione hermaphroditicâ, quod & Uxor legati, more minus ſolito veniſſet. Neque tamen iidem Galli quod utilitatis ſuæ rationes interim apud Belgas poſtularent, omiſerunt. Milites à Fœderatis Ordinibus dimiſſos in unum cogi & ſibi conducendos permitti rogarunt idque certis legibus impetrarunt; Ut verò Hiſpanis eadem facultas interdiceretur, haud æquè; tametſi veterum fiduciâ meritorum id ſibi deberi contenderent. Quorum hactenus rationem non haberi obiter queſti, gravius expoſtulabant, *quod Hiſpanis & milites conſcribere* & omne genus bellici commeatus coëmere & naves in belli uſum maritimi inſtruere permitteretur. Cujuſmodi querelas ignorantiæ non fictæ & libertatis commercii prætextu Ordines amoliti, quantum in ipſis tamen fuit, Juſſionibus publicè in diverſum factis placare co-

nati sunt. Postea vero crebrius & acrius Regis legati postulavere, ne *Parlamentariis* & rebellibus, qui Anglicano quodam more tum in Galliâ grassabantur, hominum rerumque suppetiæ pro nummis licet suis, permitterentur. Ita hic annus Belgis exiit cum Gallis. Majorem *Anglicæ* res cum Belgicis, ob religionem, propiorem vicinitatem, adfinitatem *Arausionensem* & mutationis hoc tempore in eâ gente enormitatem habuere conjunctionem. Proinde, quod his de rebus apud *Belgas* fœderatos actum, breviter referendum, ipsâ tragœdiæ scenâ, rerum Anglicarum loco reservatâ. Quanquam Uniti Ordines inter Regem & Parlamentum *neutralitatem*, quam vocant, in universum observaverant, utraque tamen pars suos in Republ. fautores habebat. Quicunque Principi placere studebant, Regiæ sectæ quovis modo favere; Populus & Hollandiæ Zeelandiæque Proceres Parlamenti causam sustinere solebant. Apud *Ordines Generales* Principis auctoritate prævalente, adhuc ita servatum fuerat, ut *Legatis Parlamentariis audientiæ copia publicæ negaretur*, ab *Hollandiæ* Ordinibus admittebantur. Fuerat hactenus apud Ordines *Parlamenti* nomine Legatus *Walterus Striklandius*. Parlamentarii periculum facturi, an per hominem Belgam plus impetraturi essent, jam mense *Julio* anni CIϽ IϽC XLVIII. miserant Hagam *Isaacum Dorestarum* Batavum, fratres & propinquos in Belgio habentem, qui primo Historiarum notitiam apud *Cambritzienses*

ses professus, dein caussis apud *Amiralitatem Londinensem* agendis, exinde *Parlamenti* servitio se dediderat. In mandatis habebat, vindicare naves Parlamentarias, quæ ad Regem deficientes in stationem *Goereanam* appulerant. Exhibitis fidei publicæ literis, cum *Boswelius* Regis Legatus contra ejus admissionem protestaretur, audientiam publicam non impetravit, per *Commissarios* audiri, quod offerebatur, ipse detrectavit. In classem transfugam *Walliæ* Princeps & Dux *Eboracensis* se contulere; Quo fructu in *Anglicis* dictum est. Iidem Principes aliquot Legiones in Frisiæ Orientalis insulis colligebant, multum querente, quasi res *Neutralitatem* excederet, *Doreslaro*. Sed funesti ex Angliâ nuntii hos conatus interceperunt. In Principio anni præsentis, extrema Militiæ victricis in Regem consilia certis auctoribus in *Hollandiam* delata sunt. Ac ideo Walliæ Princeps in *Ordinum Generalium* Collegio solenni receptus audientiâ per *Boswelium* Legatum, præsentem rerum in Angliâ statum copiose demonstravit, opem consiliumque petens, inter alia his usus verbis, *Horreo* dicere, *Principem Angliæ sistere se vestris* Celsitudinibus, *ut petat intercessionem pro vitâ Regis, sui parentis*. Inter Ordines facile de Legatis mittendis conveniebat, minus facile quos mittere consultum foret: Nam gratiosos in Aulâ Principis, Londini fore suspectos, apparebat; Electi sunt tandem & missi properè *Pauvius* ab *Heemsteede* & *Joachimi*; Quid egerint apud

Anglica referendum. Acta cruenta, *die* XIV *Febr.* per naviculam à Legatis è vestigio missam Principi nuntiata sunt, qui cum ipse rem Conjugi Regis filiæ sine circuitu retulisset, *Stuartum* Theologum ad *Walliæ* Principem misit, qui fallendæ mæstitiæ, lectioni intentum reperit. Cum autem vultu potius quam verbis nuntium ageret, Principi acrius interroganti, accidens ad genua, *Deus*, inquit, *sit propitius Majestati tuæ.* Sensum doloris in Principis animo intelligi quam exprimi facilius est. Motus animorum pro diversis affectibus varii fuere. Principis amantes nihil reliquum fecere diris in Regicidas. Plurimi, ex his etiam, qui *Parlamenti* caussam prætulerant, indignitate carnificinæ, in eandem sententiam transierunt. Alii præjudicio religionis & Brutinæ de officio Regum sententiæ, licet agendi modum laudarent pauci, re tamen ipsa lætabantur: Nec defuere, qui judicialem procedendi viam occultæ per venenum, ferrum vel laqueum cædi præferebant. Unius ex Ordinum Præcipuis exiit in publicum vox, ad primum Executionis auditum; *Jam vero*, ait, Davidicis verbis, *ô Reges, agite prudenter, Accipite disciplinam Judices Terrarum.* In publico proxima fuit deliberatio de condolendi & gratulandi officio Principi jam Regi facto, coram præstando. Sicut enim omitti, humanitatis & Principis *Arausionensis* respectu non poterat, ita ne quid offensionis Angliæ Rectoribus inuliter præberetur, *Hollandi* imprimis &

Zee-

Zeelandi metuebant. Poſt ancipitem multamque diſceptationem, *de titulo Regis Magnæ Britanniæ*, quem Anglos jam publico Edicto Regiis liberis abrogaſſe conſtabat, in hoc conſenſum eſt, ut *Regi Carolo II.* dolorem ſuum teſtarentur, de funeſta morte Regis *Caroli I.* Et quanquam placuerat, *ut gratulatio deinde ſeorſim fieret*, Præſes tamen *Ordinum* placendi ſtudio ad hanc quoque verborum *complementa* produxit. Regem appellari poſſe non dubitatum eſt, eo quod *Scoti* nihil adverſus Regnum decreviſſent nec ſtatuturi crederentur. Hollandiæ Ordines deinde doloris conteſtandi officio defuncti, gratulationem ſilentio præterierunt, minimeque tam prolixe, quam *Gentius* Ordinum præſes *Generalium*, loquuti ſunt: Orationem tamen hic ipſe ſuam, à Rege deſideratam ſcripto communicandam non putavit. Maxime cum res doceret, nihil cauſæ fuiſſe quur ita feſtinaretur, quando ab aliis Regibus & Poteſtatibus officia condolendi gratulandique vel nulla omnino vel tarde ſeroque præſtabantur, nec ipſe *Carolus* in eam rem adhuc quicquam ederet in Publicum. Qui tamen Aulæ ſtudebant, *Heemſtedio* iraſcebantur, quod dicta *Cromwellii* honoris & affectus erga Rempubl. Belgii plena perſcripſerat, agitatumque in *Parlamento* retulerat, quo Belgis in Angliâ jus Civium naturale tribueretur. Nihil enim huic parti, quam quod Proceres populoſque Belgarum adverſus Anglos exacerbaret, placere poterat, idque naviter fictis ve-

risque nuntiis agebatur. Neque vero ab altera parte cessabatur, animatâ imprimis Concione Theologi cujusdam Angli apud Regem adhuc Hagæ agentem, qui vehementer in *Calvinistas* invectus erat, adfirmans eorum genium esse democraticum & sanguineum. Quod occasionem iis, qui se in *Calvinicâ* personâ tam acerbe notatos intelligerent, dedit, *Episcopis omnem malorum causam imputandi.* Sed antequam ejus invidia Concionis evulgaretur, *Consistorium Hagiense*, Oratore *Lotio*, ad Regem dolendi & gratulandi causâ progressum, facinus Anglicanum infestis & odiosissimis verbis execrati fuerant. Quod Ordines *Hollandiæ* ægerrimè ferentes Pastores hac causâ graviter reprehenderunt inque futurum talia serio interdixerunt, Sed Heemstedius post longiorem in Angliâ quam aulici probarent, moram, reversus, medio mense *Martio* responsum *Parlamenti* retulit hac summâ; *Gratam sibi fuisse Ordinum declarationem de amicitiâ continuandâ; cujus inter nullas orbis terrarum nationes putarent esse fundamenta mutui respectus & utilitatis solidiora, quam inter Anglos & Belgas fœderatos. Quod ad Regis personam actionemque circa eam Legatorum attineret; credere se, Ordinibus aliisque Potestatibus exteris facile persuasum fore, nulli melius de ratione juris justitiæque suorum actorum, & de legibus Angliæ fundamentalibus constare quam sibi, adeoque nihil à se commissum quam quod juris Regnique salutis ratio flagitaret.* Heemstedio dum in Angliâ morabatur

tur ab aulicis objecta, præſenti ipſius relatione diſcuſſa rerumque argumentis abunde refutata ſunt. Ex adverſo, qui Regis novi amicos & Conſiliarios heic ipſum comitantes noverant, etiam Principis ſtudioſi, non mirari ſe dicebant, quod res, ejuſmodi moderatoribus, male cederent. Ipſius Principis exiit vox; *Nemo Vir bonus heic*, inquit, *reperitur, qui non magis de Regis cauſa, quam ipſius homines proprii, ſit ſollicitus.* Sub finem *Martii* menſis per *Lanium, Cottintonum, Heidium, Hoptonum & Colpeperum* miniſtros conſiliorum, Ordinibus fœderatis, habitâ cum eorum delegatis communicatione, juſſit exponi Rex, *primo gratiarum actionem pro beneficiis acceptis, pro deteſtatione quam profeſſi fuerant horribilis Regicidii*, quo fundamenta non tantum Monarchiæ, ſed omnis Imperii convulſa fuerint. Bonis in Angliâ oppreſſis, extincto jure Regio ſupereſſe ſibi *Scotiam*, cujus Rex ſit proclamatus, ſed ejuſmodi conditionibus, ut *nihil ſibi quam nudum nomen relinquatur;* Etſi nihil ſibi *propoſitum ſit, quam ſecundum Leges receptas civiles & Eccleſiaſticas populum regere:* Quod Ordines rogat, ut ſanctè verum, quicquid ejus inimici jactent, credere velint. *Denique, nunc ſe, quomodo adhuc eſt, non videre, ubi pedem figat, extra Hiberniam, ubi Ducis Ormondii induſtriâ claſſem & exercitus cum tribus fertiliſſimi regni partibus habeat in poteſtate.* Offerre ſe ante abitum ſuum non modo fœderum antiquorum renovationem, *ſed & ampliorem arctiorem*

remque, si placeat, conjunctionem: Ad iter autem in *Hiberniam* tutum & honorificum *petere se opportunum potentissimæ Reipubl. auxilium.* Quod deinde, cum responsum cunctaretur, explicatius se cupere dixerunt Regii, in *navibus instructis & argento numerato*, sub hypothecâ omnis spei & rei suæ, nominatim sub remissione juris *Amboinensis* & *Pouleronensis*: quibus nominibus *Societas Orientalis Indica* Coronæ Anglicanæ debitrix esset. Consultus ex more super hoc negotio Princeps, ita respondit; *sibi videri, quovis modo juvandum esse Regem, idque illius amici inter Ordinum Legatos apertius urgebant* & Reipubl. id interesse contendebant. Sed *Hollandi* atque etiam *Zeelandi*, quamvis Principi alioquin addicti, aliter sentiebant, nec adeo res ad Socias fœderatorum gentes, sine quarum consensu nihil agebatur, relata fuit; etsi Reginæ Bohemiæ Domus Anglicanæ membri supplicatio, quâ se ab omnibus desertam, annis & ære alieno oppressam, extrema inopiâ laborare demonstrabat, subsidium & præsens aliquod majus, & annui continuationem petens ad Ordines singularum Nationum missa fuerat, haud inrito successu, miseratione calamitosæ Majestatis & mediocritate *Summæ* quâ defungi liceret. Etsi poterat objici, quur Rex Daniæ cognatione proximâ, aut tot Principes agnati per Germaniam, quibus erat facultas, non subvenirent. Cum inde tam parum solatii Regina colligeret, ut deinde filius Elector restitutus in Palatinatum, ei fructus

ctus *Dotalitii* sui, quod erat Civitas & ditio *Franco-Dalienſis* negaverit, ejus loco Matri alimenta domi ſuæ præſtanda offerens. Quam illâ merito conditionem detrectante, modicum ei quotannis mittere ſolitus eſt, tam parum neceſſitatibus ejus conveniens, ut Regina ſibi non temperaverit, antiquo Domus ipſius Miniſtro ad eam viſitanti querula & impatienti voce dicere; *Tractat me nihilo ſecus ac Canem:* Quæ ſerius acta placuit heic collocare; ſpecimen inconſtantiæ rerum humanarum & quàm miſeri non habeant amicos, nec minus beneficentiæ Ordinum Fœderatorum, *quibus hac ipsâ gratiâ Deus benedictiones ſuas auxiſſe* videri poſſit. Ad Regem paulo poſt è *Scotiâ* venere Legati, de conditionibus accipiendi ipſum & homines ſuos acturi, quod etſi apud *Hagam Bataviæ* tractatum, ad res tamen Britannicas ſpectans illuc referetur. Rex ad libellum ſuum Ordinibus oblatum nihil adeptus reſponſi, intelligens, *Nihil*, etiam eſſe reſponſum, poſtremo *Bredam*, inde per Brabantiam in Galliæ portum *Sint-maloanum* ſe contulit: æs alienum Hagæ contractum Principi relinquens Arauſionenſi ſolvendum, à quo promptius, quam quod ipſe debebat, perſolutum eſt. Scoti, nullo à Rege reſponſo licet accepto, publicâ tamen audientia *Fœderatis Ordinibus* gratias egere, quod Regem ſuum liberaliter honorificeque habuiſſent. Quam rem Angliæ Rectores haud ſegniter ad animum revocavere, quæ ſuis Legatis audientia negaretur, eam Sco-

tis solenniter concedi: se tam diu Legatum habuisse apud Hagam inauditum ab *Ordinibus Generalibus*; nec hos tamen apud se habere Legatum, aut habere quidem, mandato ad Regem mortuum, nullo ad præsens Regimen instructum; manere tantum in Angliâ *videndi & audiendi* causâ, quod diserte ei *Instructionem* petenti ab Ordinibus injunctum fuerat. Parlamentum tamen denuo *Isaacum Doreslarum*, Juris Doctorem, qui superiori anno missus huc fuerat, dein ut Fisci Advocatum se adversus Regem judicio capitali exhibuerat, ablegavit, ut ministrum *Residentem*. Is Hagam venit die IX. Maji, statim exceptus atroci rumore, quasi unum è regiis carnificibus egisset; utique Regis accusatorem Fiscalem in conspectu filii Regis, qui adhuc Hagæ morabatur & Principis Generi publico insignitum charactere versari, aulicis intolerandum videbatur. Monitus periculi *Doreslarus*, fidere se disciplinâ Justitiæ *Hollandicæ* & comitibus aliquot strenuis hominibus armatisque responderat. Sed triduo postquam appulerat, cum in diversorio, cui signum *Oloris*, vesperi mensæ frequenti adsideret, quinque personati, sex aliis apud ostium, pluribus in viâ publicâ stationem agentibus, sine strepitu domum ingressi, haustum vini petentes, cœnaculum invasere; vulnerato in capite *Valkensteinio* quodam inde brevi mortuo, mox errore cognito, *Doreslarum* petiere; cui tempus ad evadendum superfuerat, nisi in ostio quodam postico hæsisset aperiendo: unde compulsus in cami-

minum seque arreptâ sellâ anxiè defendens, undecim vulneribus, plerisque lethalibus crudeliter interfectus est. duobus etiam famulis, qui sclopeta exonerare frustra conati fuerant, graviter vulneratis. Quæ res juncta prioribus admittendi Legatos Angliæ difficultatibus: etsi Hollandiæ Curia præmium *mille Carolinorum* Indicibus sicariorum Edicto promiserat, in præsentibus tamen novæ Reipubl. Dominis indignationem altis animis reconditam movit & fixam tenuit, aliquando, si res ferret, in prætextus violentos erupturam. Quod *Hollandi* pro sua prudentiâ, conscii malum sibi maxime incubiturum, animadvertentes, cum *Striklandius* Parlamenti Legatus reditum in Angliam, nunquam adhuc impetrata ab *Ordinibus Generalibus* audientiâ, pararet, solenniter acriterque protestati sunt; Invitis sese toties repulsam tulisse *Striklandium*, seque reliquorum Nationum Legatos, *quorum malitia potius quam sociis ipsis hanc se imputare ludificationem*, reos habere malorum & incommodorum, quæ ex hac Audientiæ tam diu negatæ insolentiâ resultarent. Quâ re Adsessores quatuor Provinciarum, *Groninganis* absentibus, Zeelandis responsum differentibus, cum ab *Hollandis* ut protestationem revocarent enixe postulatum impetrare non potuissent, contra protestati sunt, de injuriâ sibi factâ, *imprimis quod prævaricationis erga dominos suos mandantes insimulati fuissent*. His protestationibus & invectivis nihil nisi ut Batavi, se Rectoribus Anglis sonorâ

voce purgaverint, actum. Res in eodem statu quo fuerat, mansit, nec in rebus Anglicanis, hoc anno quicquam apud Belgas amplius notabile gestum. Videamus, quomodo se Respubl. cum variis *Imperii Germanici* membris habuerit. Quippe cum Cæsare & universo Imperio res mansit in vetere statu, qui fuerat *Neutralitatis*, aliquanto majore tamen cum partibus Catholicis ipsoque Imperatore, quam pridem, amicitiæ fiduciâ. Pace quippe cum *Hispanis* ante pacatam Germaniam festinata, Protestantium postulata minorem aliquanto vim, Cæsar & Catholici bello inferiores minore metu in tractandis conditionibus versati fuerant; Proinde partes, ut Ordinum facto gaudebant vel dolebant, ita affectu cum illis reciproco utebantur: Quæ res ad *mutatum Europæ statum* invidiamque Gallicæ & Suecorum potentiæ, quam Fœderati Ordines simul ac formidare desierant Austriacos, haud obscurè conceperant, referri debet. Cum vicinis Imperii membris *Electore Brandeburgico*, *Coloniensi*, Comitatu *Frisiæ Orientalis* & *Oldenburgensi* aliisque variis de rebus actum magis quam transactum est. *Brandeburgicus* statim à publicata pace Belgico-Hispanicâ, Legatis missis, post gratulationem petiit restitutionem *Vesaliæ*, *Embricæ* & reliquarum *Cliviæ* Urbium, quas olim ab Hispanis occupatas Belgæ armis sibi vindicaverant præsidiisque suis custodiebant, salvo Electori ut Cliviæ Duci, jure Territoriali, Pace factâ nihil causæ videbatur eas diutius retinendi; Sed hac

hac parte nihil impetratum, etsi nec restitutionem Ordines negabant; nihil certi promittendo, impensas in custodiam factas moræ prætexentes. Alterum, quod petebant, erat renovatio fœderis olim facti pro defensione *Cliviæ*, *Montium* & *Marchiæ*, cum ampliatione ad *reliquas Electoris ditiones*, maxime sitas ad mare *Balticum*, producendæ. Sed hanc, etsi Princeps adfinis & hujus amici commendarent, *Hollandi* imprimis adhuc quidem inire gravati sunt. Auscultatum est etiam Cliviæ vicinarumque regionum Ordinibus, *ne quid in fœdere novando se inconsultis statueretur*; imprimis quod ab Electoralibus privilegia sua variis modis subverterentur, quorum vindicias Fœderati Belgæ jam olim in se recepissent. Sed Legatis, re minus ex sententiâ procedente, digressis, Ordines tamen Uniti suos Legatos ad baptismum Principis Electoralis splendido comitatu misere, cum donatione pensionis annuæ *quatuor millium florenorum*, cujus instrumentum juxta duos calices aureos *quinque millium florenorum*, inclusum est pyxidi aureæ *duorum millium*, præter honestissimas largitiones in ministeria puerperii & Aulæ: quæ tamen liberalitates pro dignitate *Belgii fœderati* & *Electoris*, cui nihil etiam in honorem nuptiarum datum fuerat, Aulicorum judicio minus amplæ videbantur. Cæterum, quod de Vesalia cæterisque Cliviæ locis *Brandeburgico* responsum fuerat, idem *Coloniensi* Archiepiscopo & Electori de *Rhenoberca* & *Orsoio*, in quibus eadem ratio militabat, per Legatos in-

stanter

ſtanter poſtulanti, comiter & multâ cum benevolentiæ obteſtatione repoſitum & declaratum eſt. Quemadmodum nec Arauſionenſis Princeps ceſſit *Bevergerdenſi* præfecturâ *Lingæ* Comitatui juncta, quæ ad Epiſcopatum Monaſterienſem pertineret. Æquum Germani Principes cenſebant, ut exteri quoque ſecundum pacis Germanicæ inſtrumentum antiquas poſſeſſiones reſtituerent, qui cum illo non tenerentur, commune jus vel morem Gentium, non facile res occupatas evacuantium, ſequi malebant, ut Rex *Hiſpaniæ* in civitate *Francothalienſi* his diebus ingente *Palatinatus* & totius *Germaniæ* incommodo demonſtravit. In Friſia *Orientali* ſedes adhuc tributorias habebant *Haſſi* & diſcordiæ inter *Comitem & Ordines Embdamque* civitatem nihilo ſecus durabant, etſi ad urgendam *Haſſorum* migrationem omnes conſentiebant. Non poterant tamen Ordines Friſiæ pati, ut milites à Comite ſuo hac occaſione conducti retinerentur, ita exiſtimantes, *ſatius eſſe temporarias exterorum invaſiones perpeti, quam ſe duraturo Comitis ſervitio, quod à manu militari pendebat, illigare.* Quapropter Unitarum Belgii Ordinum, ad quos arbitrium transamaſanarum rerum inde ab annis *quinquaginta* ſpectaverat, interceſſione, convenit, ut *milites dimitterentur, vectigalium ſtationes quæ ex veteribus pactis erant in Ordinum poteſtate, ſed à Comite occupatæ iiſdem reſtituerentur: Unde ſtipendia militum dimiſſorum, ab Ordinibus adhuc recuſata ſolverentur;* alia deinde plura à Comite per li-

cen-

centiam temporis armati adverſus pacta publica *legeſque*, ut Ordines querebantur, *fundamentales* inſtituta ad principia revocabantur, *Laudo*, quod dicunt, eâ de re pronuntiato *menſe Septembri* MDCXLVIII. Decembri menſe conceſſit in fata Comes *Ulricus*, relicto minore filio *Ennone Ludovico*, cujus mater *Juliana* Domus Haſſiacæ per literas Ordinibus ſignificavit, Curatores filii ſui, Teſtamento conſtitutos eſſe, juxta ſe *Chriſtianum Ludovicum* Brunſwicenſem, *Adolphum Fridericum* Meckelenburgenſem, Duces, & Principem *Arauſionenſem*; Executores autem Teſtamenti requiſitos eſſe *Ordines Belgii fœderati*; à quibus id oneris aut honoris per literas publicè miſſas acceptatum eſt *Idibus Martiis anni ſequentis*. Sed jus ſuum, parum abeſt, quin tranſtulerint in Principem *Arauſionenſem*, decreto facto, ut Princeps, *Haſſis*, quod expectabatur, digreſſis, ita *Friſiæ rebus Orientalis conſuleret, quemadmodum ipſi bono publico expedire videretur*. Cujuſmodi mandata in infinitum extendi poſſe atque ſolere, cum *Hollandi* non ignorarent, adſcribi curarunt Actis, ſeſe in illud decretum non conſentire, niſi præviâ communicatione cum ipſis *Hollandiæ Ordinibus* eorumque ſpeciali conſenſu interpoſito. Durantes ita in conſilio, quod erat illis ſub pectore fixum, operam dare, quâ *potentia Principis*, cui reliqui Socii nimis indulgerent, *intra limites contineretur*, idque non modo in domeſticis ſed etiam in rebus externis. At Friſii Ordines compoſitâ cum Domino ſuo lite,

ad-

adversus Embdanam civitatem, de stipendiis cohortium *Suedicarum*, quæ se Hassis adjunxerant, quibus solvendis *Embdani* nihil conferre volebant, disceptavere; Sed Ordines eam rem ad *Imperii Germanici* disciplinam pertinere judicantes, ejus arbitrium suscipere noluerunt. Cum *Oldenburgi* Comite res etiam fœderatis hoc anno fuit, super causâ vectigalis, quod is infra *Bremam* in flumine *Visurgi* à Cæsare & Electoribus olim impetraverat, inter alia hoc usus prætextu, *quod illud vectigal Belgas fœderatos*, qui Visurgim præ ceteris frequentant, *& Imperii subjectos multis modis exhauriunt*, ut ajebat, *maxime premeret*; operam quoque à Patre suo adversus eosdem Ordines pro domo Austriacâ navatam prædicabat suumque Cæsari contra eosdem Belgas affectum offerebat, hujus vectigalis præmio pignorandum. Antequam hæc res Ordinibus, ut erat, innotuisset, Comitem hominibus sibi conciliandis impigrum & felicem, pro Socio & amico habuerant, Danicis etiam pactis anno MDCXLV. initis incluserant. Edocti postea quid moliretur, roganti, ut paci cum Hispanis ineundæ includeretur, non modo negarunt, sed etiam decrevere, se vectigalis illius instituto *restituros*, id *amolituros & impedituros*; quæ verba *Ordines Hollandiæ*, Legato ejus deinde sic interpretati sunt, ut *oppositionem facti*, hoc est, *Vim* significarent. Comes nihil deterritus, singulari industria & occultâ apertâque liberalitate, quam maxime *in equis generosioribus* donandis exercebat, usus, insertio-

nem

nem vectigalis sui in Instrumento pacis Monasteriensis Germanico, etsi res ad belli controversias nullo modo spectabat, impetravit; utcunque *Bremenses* cœlum & terram querelis & protestationibus miscerent Ordinesque Fœderati insertionem omni modo impedire conati vectigalis exactionem, ipso facto se prohibituros testarentur. Interim genius Comitis equestris & argenteus non modo per *Germaniam*, sed etiam in *Belgium* penetrabat; *Transisalanis* & *Groning-Omlandis* rem ad se non pertinere declarantibus; operam dante Comiti, Ministro Principis *Arausionensis*, in gratiam fratris sui, Comitis ministro. Cum postea Comes ab Executoribus pacis, *Noribergæ* congregatis, ipsorum auctoritatem iisdem artibus ad executionem impetrasset, à fœderatis Ordinibus, ipsâ *Hollandiâ* dein languidius agente, nihil præter literas & legationes impetrari potuit, ac ita *Bremenses* ab omnibus destituti evanidos conatus per aliquot annos majore strepitu quam fructu continuarunt; minus felices aut efficaces arte argentoque reperti, quam fuerant *Hamburgenses* in simili *Regis Daniæ* super *Albim* vectigalis conatu, de quo *superius* actum, impediendo. Sequuntur Acta *Danica*; Venisse in Hollandiam à Rege Christiano IV. missum, amicitiæ cum *Belgis* stabiliendæ eosdemque à Suedis alienandi causâ *Corfitium Ulefeldium*, *superiore libro in Danicis* commemoravimus. Eodem cum uxore reversus anno MDCXLIX. mortem *Christiani IV.* electionem *Friderici* Regis III. comiter & amicè de-

denuntiavit, de pace factâ gratulationes addidit. Inexpectatum vero fuit, quod in publicâ concione habitâ ultimo die Martii, in pleno *Ordinum Generalium* Confessu, libertatem *Daniæ* Aristocraticam magnifice extollebat, addens, In *Nobilium & Regni Senatorum potestate fuisse, defuncto Rege, novum eligendi, vel Majestatem omnemque potestatem sibi vindicandi*, idemque dein apud *Commissarios* Ordinum amplioribus verbis repetiit, *Regemque* dixit *aquè Legibus in quas jurasset, alligatum esse, quam infimum quemque rusticum.* Etiam commemoravit, in Galliâ se Reginæ Regenti ausum dicere, *nullos se videre Nobiles in Galliâ*; ipsique magnum numerum sibi apparentium commonstranti, replicasse; non agnoscere se Nobiles, quos Rex, ubi vellet, in *Bastiliam* duci jubere posset; in Daniâ Nobiles esse, quos è Domo Rex evocare non posset, nisi tramite juris publico Regiis imperiis haudquaquam obnoxio. Cujusmodi libertatis ostentatione satis apparebat, eum *Hollandiæ* Procerum eodem studio flagrantium adfectare favorem. Sed nuntiata domum Regi, apud quem æmulationis causæ & incentores adversus *Vlefeldium* pridem nimis potentem, haud deerant, alto animo recondita non leve fomentum malis ei deinde impactis suppeditarunt, Regique salivam majoris quærendæ potestatis, si daretur occasio, seque è nobilium manu emancipandi moverunt. Sed tum quidem duas res *Vlefeldius* Hagæ proposuit, fœdus mutuæ *defensionis* & tractatum *Redemptionis*

nis vectigalium freti *Orezundici*, litigiis eâ de re, quasi Tenedicâ securi præcidendis; Redemptione factâ, notabilem pecuniæ summam repræsentari postulabat. De fœdere defensionis omnes fere Nationes, etsi mora deliberandi longa fuit, consentiebant: de *Redemptionis tractatu* non æque; *Hollandis* & *Frisiis* quidem paratis, sed reliquis aut dissentientibus aut deliberandum censentibus. Mense tamen *Octobri* Gelris, sub pacto ratihabitionis suorum *mandantium*, Transisalanis, sub conditione, *nisi quid Suedis adversum eo tractatu comprehenderetur*, consentientibus, Præses Frisius conclusionem formavit, *utramque conventionem cum Danis esse perficiendam*, protestantibus *Zeelandis*, absentibus *Ultrajectinis* & *Groning-Omlandis*. Adeo tamen gratanter, ab *Hollandis* potissimum, confecta res est, ut etiam epulo solenni extraordinem celebrandam, Legatumque donativo sex millium esse honorandum placuerit. Subscriptio tamen à solis *Hollandis* & Frisiis, quorum maxime intererat, haberi potuit; non detrectante *Ulefeldio* hanc imperfectionem, quod hæ duæ Provinciæ præstationi sufficerent, & quod *centum millia Imperialium* repræsentanda, ab Hollandis proficisci deberent. Tractatu *συμμαχίας*, id est, *defensivo* dictum fuit, ut *Danis & Belgis Fœderatis*, *ab ullo hoste*, *quicunque foret*, *excepto nemine*, *oppugnatis*, qui non esset invasus, alteri *quatuor millia peditum*, intra tres menses ex quo certior factus esset, suo sumptu, propriis sub ducibus,

ſed imperio ſummo Invaſi præſtaret & tranſmitteret; *niſi invaſus pecuniam aut commeatus bellicos mallet*, quo caſu *mille pedites quaternis Imperialium in ſpecie millibus* menſtruis æſtimarentur, pace nonniſi communicato conſilio & cum alterius incluſione componendâ. Exceptio mittendi auxilii adjecta eſt, *niſi fœderatorum alter, alios turbandis eorum commerciis & liberis navigationibus provocaſſet*; ideoque non præjudicaturum hoc fœdus conventionibus, *quæ cum Gallis, Suedis, Hanſeaticis intercederent*. Duraturum ad annum MDCLXXXVI. Summa Tractatus, qui *Redemptionis* dictus eſt, hæc fuit; *Naves Belgarum Fœderatorum teſtimonio publico de Belgiciſmo navium & oneris qualitate munitæ, cum mercibus ſuis, cujuſcunque ſint dominii, libere per fretum Orizundicum* commeanto, *ſine ulla præſtatione vectigalis aut oneris cujuſlibet, Rege tamen obligato ad eadem ſigna, luminaria, vaſaque fluctuantia quæ ad ſecuritatem navigantium adhuc præbuit, exhibenda & conſervanda. Si qua fraudis ſuſpicio ſit, exploratio navium fiat per homines Regis, Ordinum Fœderatorum conſenſu & commendatione ad eam rem conſtituros. Merces Belgarum alienigenis navibus vectæ non ſint liberæ. Daniæ Regi non licebit cum alio quoquam Principe vel populo vectigali ſubjecto, dum hæc conventio durabit, pactum de libertate illis impertienda inire, ſed conſuetum vectigal ab illis exigere tenebitur. Belgæ Fœderati pro hac redemptione vectigalis Orezundici, ſolvent Regi annua, centum quadraginta millia Imperialium.* Statim à ſubſcri-

ptione

ptione Tractatus, Regi numerarentur *centum millia* Imperialium, & post ratihabitionem ab illo exhibitam *ducenta millia*, quæ de pensionibus annuis identidem *viginti millia Imperialium*, deducerentur. *Conventio duraret annos* XXXVI, *finienda*, cum fœdere defensionis, anno MDCLXXXV. Signatum die VIII. *Octobris* MDCXLIX. Ordines fœderati conficiendæ pecuniæ, quam Dano solverent, mercibus è Baltico mari in suos portus invectis id vectigalis, quod redemptioni sufficeret, imposuerunt. Et quia tunc ita cursus erat mercaturæ, ut omnes populi merces suas in *Hollandiam* velut in commune forum deportarent idemque inter alios Suedi facere solebant, eâ re factum est, ut hi ipsi, quibus immunitas in freto *Orezundico* lege pacis indubitata competebat, idem vectigal in *Hollandiâ* solvere cogerentur. Contra quod Christina Regina jam ante pactiones initas à *Spiringio* Legato suo, quid ageretur, monita non omisit per literas protestari. Quæ res quem habuerit usum & quam Hollandi calculos suos, præ nimiâ cupiditate redigendi mercaturam penitus in suam potestatem, male posuerint, ad sequentes annos pertinet. Sueci in sinu irati, dum hæc à Danis in ipsorum invidiam elaborarentur, nihil admodum hoc anno cum Belgis agendum putarunt; & *Spieringium* Regina, non *Ordinum* aut inimicitiæ, sed hominis causâ revocavit, vel ut ipsa in literis suis loquebatur *advocavit*, quasi ad relationem & consilium suum; ut tamen res desineret in revo-

cationem, magis tamen quod illius pœniteret, quam irâ in Rempubl. quæ etsi non aberat, adhuc tamen inter querelas & jurgia veteris amicitiæ, fœderum necessitudo valebat; etsi fiducia transierat; notabili vicissitudinis rerum nec minus ancipiti specimine, quod Belgica dabat Respublica, dum veteres amicos Galliæ Sueciæque audacter offendit & destituit, eorumque & suis olim inimicis aperte se conjungit: Ita quasi palam præ se ferens, in eo statu se esse, ut sibi sufficeret nec à sociis Regibus dependere cogeretur: Horum potius obviam ire velle potentiæ & æquilibrio in *Europa* procurando operam navare. Qua ratione pacem, quomodo tum res erant, reliquis Potestatibus æqualitate virium distractis, sibi diuturnam augurabantur; Rectores etsi illa quidem spes, ut usu venit, in rebus humanis, eos deinceps & eis breve non parum fefellit. A Suedis in *Spiringii* locum eodem anno venit minister, *Haraldus Appelbomius*, cujus prima fuit oratio, ut demonstraret, novissimum cum Danis factum *Redemptionis* tractatum, Fœderis inter Suecos & Belgas initi legibus adversari, Suedicisque civibus, ingenti præjudicio per consequentiam vel potius directè futurum; Cui rei ut Ordines, re adhuc integrâ, in tempore mederentur & obviam irent, rogabat. Ita mense *Octobri*: Cui Ordines adhuc quidem nihil quam juxta disceptationem cum *Spiringio* habitam, Suedico fœderi satis à se consultum *artic.* XIV. hujus Tractatus, responderunt. Porro, cum aliis gentibus hoc

hoc anno nihil amplius actum; nisi quod magnus equitum *Melitensium Magister*, inita pace cum Hispanis, Ordinis sui jus à Belgis fœderatis, qui non spernenda bona ad eam Societatē pertinentia suis in ditionibus adhuc distincta præfecturis suis habebant, exigendum putavit, dimisso ad eam rem procurandam Prætore *Souvrao*, quem Ordines ut Legatum Principis supremi recipere non gravabantur, sed hac conditione prius ipsi insinuatâ; non agnoscere Belgas fœderatos qualitatem magni *Melitensis Magistri*, quantum ad Præturas vel præfecturas bonorum in suis ditionibus, quæ olim ad Ordinem illum pertinuissent, sitas. Ad quam denuntiationem *Souvraus*, qui adhuc extra Hagam morabatur, scripto respondit, *se decretum illud insinuatum nullo modo acceptare, sed expectasse ab Ordinum Belgicorum justitiâ, ut idem sibi quod alii Reges & Potestates Europæ concesserant, impertiri ne gravarentur. Quod secus fieri cum animadverteret, se protestari de non prajudicando*; atque ita non auditus retro cessit. Etsi res ipsa hoc primo conatu minime sopita, verum sæpe deinceps instanter ac instantissimè renovata sit, ut *anni sequentes docebunt*. Antequam ad res externas hoc anno gestas progrediamur, de rebus Africanæ & Americanæ Societatis, quam vulgò *Indiæ Occidentalis* appellant, paucis agendum. Jam parum aberat, quin æs alienum fines eorum substantiæ sive Sortis occupasset, cessante potiori lucro propter rebellionem incolarum *Brasiliæ*, maxima parte

Lusitanorum, contra quos magnis classibus & exercitibus novissime ductu *Schoppii* terrestri militiæ & *Witteni* classis præfecti, missis se exhauserant. Accessit mora Nationum Fœderatarum in solvendis Societati subsidiis publicè promissis; quorum reliqua hoc anno faciebant *sex milliones, sexcenta, quadraginta tria millia, ducentos nonaginta florenos & quinque asses.* Quibus exigendis cum inde ab anno MDCXXXV. parum aut nihil profecissent, quo magis Societatis adflictæ res, eo tardiores erant provinciæ; quasi metu ne fidem liberando, Societatem nihilo magis liberarent. Hujus anni principio res in Brasiliâ hoc modo se habebant. Societas Belgica tenebat portus & mare: Sed Lusitani terrâ prævalebant, ut omnem commeatum fructusque soli, quibus homines carere non possunt, illis interciperent, quæ proinde sumptu immenso multâque incertitudine petere cogebantur è Patria, recentibus autem & nativis fructibus alimentisque ne sic quidem potiebantur. Submovendis igitur hostibus parandæque majori copiæ, exercitum eduxere, trium millium Europæorum, cum ducentis indigenis, totidem nautis & sex tormentis campestribus, unoque *mortario*, quod vocant. Die XVIII. Februarii montem tenuere Garaspæ: Ex quo Lusitanos bis mille quadringentos, interque eos centum viginti equites, castra loco propinquo sed inaccesso habentes conspexerunt. Unde tamen illi, cum vellent, erumpere Belgasq; infestare poterant & solebant, impune, cum è vestigio

se in tutum reciperent; equites imprimis, quibus Belgæ carebant. Qui proinde post xxiv. horas se recipere, cum spe Lusitanos in æquum locum eliciendi, constituerunt. Sed hostes opportunitatem abeuntes invadendi non amisere; qui tali ordine non procedebant, ut æque pugnæ quam itineri essent intenti: Tempestatem imprimis equestrem ferre non poterant. Eâque posteriores cohortes oppressæ sunt; Quibus cum priores suppetias ferre deberent idque ductores naviter agerent, vulgus timore perculsum in fugam se præcipitavit: Interfecti *Centum* supra mille, cum *Brinkio* & *Alterivio* tribunis aliisque pluribus Ordinum ductoribus; Capta cum multis hominibus signa novendecim militaria, cum omni bellico apparatu & impedimentis. Ferme eodem tempore recepta est à Lusitanis Angola, cum munimento ad *Fanum Pauli de Loandâ* castellumque in Insulâ *divo Thomæ* sacrâ, pridem magnâ cum invidiâ à Belgis subita vi, an fraude occupata. E Classe, cui præerat *Wittenius*, ferro acer, consilio & constantiâ impar, querelæ adsiduæ & acerbissime audiebantur, *omnium se rerum laborare defectu, tam ad victum quam ad rem nauticam petinentium, nihil domo submitti*, nihil à *Brasiliæ* Rectoribus administrari, satius esse *Turcæ* quam Societati servire. Proinde omnia, sicut in rebus adversis usu venit, plena jurgiorum, domi & in Americâ; Dum Lusitani mirâ concordia diligentiâque in omnibus rebus

uterentur; Proinde sic fuit partium successus. Novissimæ nuntii cladis ingenti in Patria publicè, privatimque perturbatione auditi sunt, maxime in *Zeelandiâ*, cujus tres in *Valachriâ* civitates quintam fere totius sortis, quæ tum ad xxxv *milliones* excurrebat; (Sors Orientalis Indiæ primæva tantum est *sex millionum*) participabant; multorum fortunis ruinâ Societatis misere involutis aut involvendis. Susceperunt igitur Ordines hanc curam serio, quâ ratione, res Societatis instaurare possent. Huc pertinuere decreta quædam in hujus anni Principio facta. Primum, de Literis *Repressaliis* Societati, nomine Reipubl. dandis, ut liceret illis capere naves, quæ ex *Lusitania* in *Brasiliam*, vel inde retro commearent; quæ facultas etiam data est Orientalibus in suo Tractu, quatenus illi Ordinum jussu *sesqui-millionem* florenorum Occidentalibus mutuo datum ab ipsis recuperare non possent. Præterea, Consilium Status jussum est formare petitionem impensarum, pro *tribus millibus & quingentis militibus*, ad tuenda quæ superenant, Societati præstandis, sumptu Provinciarum. Quibus item serio ac instanter commendatum est, ut subsidia quæ dudum ex pacto deberent, quantocyus solverent. Consequenter id actum summâ opera, ut quibus in rebus Societas sumptuum facere posset compendium; etenim malæ administrationis insimulati fuerant ejus Procuratores; id instituaretur ac in usum actumque redigeretur. Quibus rebus ordi-

ordine constitutis, Consortes Societatis admonerentur, ut primam Sortem à se collatam *duodenis in centenos florenis* augerent, novosque induerent animos & vires compararent. Quod si hæc omnia, quemadmodum decreta, in effectum deducta fuissent, melior exitus quam brevi sequutus est, sperari potuisset. Sed ex Provinciis Frisii, expertes utriusque Societatis Indicæ, quicquam in hunc usum se collaturos negaverunt atque in his infitiis cum ratione perstiterunt: Nec à reliquis tam serio quam res flagitaret, opera data est; utcunque *Zeelandi* pro eo quod sua interesset ardentissimi, se paratos profiterentur, si reliquæ Nationes cunctarentur, *Lusitanos* omnes ubicunque reperirentur invadere & spoliare, quam solam restituendæ rei superesse putarent rationem: Secundum quod etiam *Hollandiæ* Ordines decreverunt, instruendas esse viginti naves bellicas majores & quinque minores, militibus refertas, quibus *Lusitani*, ad indemnitatem Societatis procurandam impeterentur. Incontinenti autem sex majores & totidem minores, seorsim ab illis viginti quinque, *cum bis mille & octingentis militibus* in *Brasiliam* mittendæ ab omnibus decretæ sunt. Quem impetum *Portugalliæ* Regis legatus abitum præ se ferens, at interim manens frustra inhibere conatus est, surdis omnium auribus, ob magnitudinem damnorum, ad alias quam satisfactionis aut vindictæ cohortationes. Eventum sequentes anni dabunt.

Per-

Pergamus ad res externas, è quibus nihil ANGLICANIS prævertendum, ob enormitatem actionum, quæ hoc anno in isto insulari theatro, cum stupore generis humani patrata sunt, exitu non tantum funesto & sanguineo, cujusmodi actionibus satis adsuefactus est mundus, sed maxime inexpectato atque inaudito; uti Rex à suis civibus, qui Regiam Majestatem præ cæteris gentibus venerari consueverant, in jus venire coactus, Ordine judiciali condemnatus & capitis supplicio manu carnificis publicè adfectus & peremptus sit. Rebelliones, bella civilia, expulsiones, denique cædes Regum armis devictorum minime res inusitatæ sunt in Historiâ Gentium: Sed ut populus Regem suum non jure belli & victoriæ, sed potestatis obtentu civilis atque superioris reum peragat & ordine judiciali condemnatum capite mulctet, adhuc usu non venerat. Fuit hoc specimen sententiæ, quam *Grotius* se non indignam protulit, diu antequam hoc exemplum ederetur; invalescere duas in Protestantibus existimationes, unde multum ipse prævideret incommodi: unam, *ex vaticiniorum interpretationibus*; alteram, quod *Rectores populorum nihil quam illorum mandatarii atque ministri sint, populumque semper jure Regnantibus esse superiorem:* Quam *Presbyterianis* ac *Independentibus* in magnâ *Britannia* sedisse opinionem, *præcedente libro* demonstravimus; eamque vivo jam exemplo generi humano inculcari posse, cum religionis etiam & pietatis prætextu;

tu, lætabantur. Etsi præcipuos victricis factionis Duces causam habuisse, majoris potentiæ quàm salvo Rege potiri potuissent, cupiditatem, manifestum sit; modum tamen è medio Regem tollendi ex *Brutinâ* institutione petitum esse, non potest dubitari. Quo pacto Judicium hoc memorabile sit administratum, postulat Historiæ integritas ut explicetur. Cum accusatio Regis & animadversio à paucis, qui supererant, in *Parlamento*, quorum præcipui erant Duces vel tribuni militum, omnes certe illis obnoxii, decreta esset, Regem, qui ab hoc tempore *Carolus Stuartus* simpliciter appellari cœpit, ex insula *Vecti* in *Hurstum* vetus castellum in adverso litore transvectum, exinde *Vindesoram* deduxerunt. Creditum est, in hoc itinere eum cogitasse de fugâ: Cum enim meridie quodam pransus vehiculum pensile suum peteret, illud prævertisse viam responsum est ab hominibus ejus. Equum igitur suum cum postularet, hunc pedem clavo illisisse dixerunt. Ergo adductus est ab Equite quodam è vicinia velox equus, quem Rex conscendit celeriter agitans: Sed nimis accurate observabatur ab equitibus æque expeditis, quam ut evadere posset. *Vindesoram* delato vetitum est amplius, regio more, genu flexo, ministeria præberi. Et tamen ipse nequaquam animo fractus majestati suæ vultu, sermone, gestu decore sufficiebat; etiam prædicans, seu persuasus ita, quod spes suas aliquoties, post cladem in ipsa captivitate vidisset resurgentes,

sive

ſive ut animi magnitudinem externâ ſpecie circumdaret, ſe non diu fore in illis anguſtiis, vel domi imminere pacem, vel foris auxilia præſto futura. Sed conjurati certiores inſtituti ſui, cum Proceres, qui exiguo numero adhuc erant in Domo Superiore, non laudarent hunc adverſus Regem Proceſſum, novo ſe Decreto ad ea quæ parabant præmuniendos putarunt. Quinque poſitionibus in ſummâ conſtabat, primo, *quod omnis & ſumma poteſtas Reipubl. à populo derivetur atque in eo reſideat.* Quod *jus populi conſiſtat in Delegatis ejus, congregatis in Domo Communi ſive Inferiore, quæ populum repræſentet.* Quod *ſtatuta Domus ejus habeant vim Legis, ſine ſuffragio Regis aut Procerum, qui non habeant à populo characterem.* Quod *crimini majeſtatis ſit imputandum, ſi quis arma contra Domum illam populum repræſentantem ſuſcipiat.* Quod Rex, *ſuſceptis contra Parlamentum armis, reus ſit ſanguinis omni hoc bello effuſi & quod hac cauſa judicio ſiſtendus & judicandus ſit.* Hoc præmiſſo decreto, ſtatuunt, erigendam eſſe Curiam extraordinariam & Supremam *Adſeſſoribus centum & quinquaginta conſtituram*, quos inter ſex è Proceribus & aliquot è Judicibus Regni recens electis; qui tamen cum hoc inſtitutum, etſi factionis alioqui conſortes, improbarent, numero judicum partiumque ſimul gratiâ ſunt exempti: ut tandem Judicum numerus in *quinque & triginta ſupra centum* ſubſtiterit. Præcipui fuere *Fairfaxius, Cromwellius, Ibretonus, Duces Generales,* & ple-

& plerique Tribuni militum, quibus accessere Decuriones aliquot Londinenses & Jurisperiti quidam ad actionem in Judicii speciem gubernandam, quos inter *Johannes Bradshavius* Legum Minister Præses electus est, ore disertus, animo confidens homo, qui sic in examinando tractandoque Rege versatus est, ac si, ut è spectatoribus quidam Nobilis Anglus Hagæ deinde referebat, per omnem vitam nihil quam Regibus judicandis operam dedisset; quanquam & Rex ad hanc indignissimam redactus conditionem, omni destitutus spe consilioque mortali, excellente constantiâ prudentiâque cum pari facundiâ conjunctâ sit usus: Evidenti argumento, bonitatem & facilitatem nimiam, quâ se aliquando suis obnoxium præbuerat, ingenii vim animique magnitudinem non sustulisse neque minuisse; Verum in causa fuisse duntaxat, ut hæ virtutes ipsi quandoque minus utiles & efficaces in rebus agendis evaderent. Parlamentum, sic enim vocandum est, etsi ne quarta quidem pars ejus superesset, vel potius *Inferior Domus*, cujus nomen omnia decreta de Judicio Regis solum præferunt, *sine Proceribus*, in decreto *Commissionis* de Curiâ Judicum, hanc causam præ se tulit; *Carolum Stuartum* non contentum prærogativis ab Antecessoribus suis contra populi jus & libertatem usurpatis hoc egisse, *ut absolutam, arbitrariam & tyrannicam potestatem in populos suos acquireret*, idque cum aliis modis tum igne ferroque & atroci

bello

bello Civili ſategiſſe. Quâ cauſâ dudum illum *ut magnæ proditionis reum* Judicio ſiſti potuiſſe; Verum Ordines expectaſſe, dum captivitatis conditione ſubactus ad rationem & pœnitentiam rediret. Quod cum in contrarium verti neque turbas & bella, dum viveret, deſitura viderent, Judicium diutius non putaſſe differendum, ſed exemplo inculcandum, *ne quis Summus præfectus aut Magiſtratus populum Anglicanum in Servitutem redigere & impunitatem ſperare in animum ſuum induceret.* Quare ſe Curiam Judicum, qui recenſentur, inſtituiſſe, uti pariter, aut viginti non pauciores ex illis, *Carolum Stuartum vocent, audiant, interrogent,* ſuper cauſâ prædicta, teſtes juratos *examinent,* conſequenter, aut ſi reus reſpondere nolit, ut adverſus *contumacem*, ſententiam pronuntient eamque ſine morâ & proſopolepſiâ exequentur. Ita illi, ſatis indicantes, *Victoriæ non reddi rationem*, & quodlibet, licere victoribus; Quam hæc dicta veritati congrua vel adverſa ſint, ex ſuperiori libro colligi poteſt. Quam etiam illi ſextam domus popularis partem fere exhibentes, populi nomen rectè prætulerint, è motu totius Angliæ, quæ modo ad Regem liberandum impetu conſurrexerat, intelligi poteſt. Infiniti libelli, epiſtolæ, proteſtationes ab omnium Ordinum hominibus, non modo à *Presbyterianis* ſed etiam ab *Independentibus* quibuſdam, dehortantes, execrantes, deplorantes id quod agebatur, in lucem prodiere. Sed nec defuere, Concio-

cionatores, qui inſtitutum conjuratorum defenderent, laudarent & cœleſti præconio exornarent. *Veniſſe tempus, quo ſancti Reges & Magnates Terræ vincirent & judicarent. Carolum Stuartum* eſſe *Benhadadum*, quem è manibus impunitum ne dimitterent. Ita *Hugo Petri*, *Goodvinus* ita, qui dein librum ſcripſit mere ſcripturarium, ſententiæ in Regem apologeticum, aliique ſine numero. Prima Judicum Congregatio fuit in Camera Picta, quæ dicitur, *ad d.* VIII. *Januar.* anno MDCXLIX. ſtylo *Juliano*. Non aderant plures LIV, qui tempus conveniendi ad inchoandum judicium ſtatuerunt in *diem* X. *Januar.* in eundem locum, idque per Fecialem turmis aliquot ſtipatum poſtridie in Aula Weſtmonaſterienſi, Foro Vetere Londinenſi, *Burſam* vocant, *Cheapſida*, vico urbis primario, ſub clangore Tubarum ſignificatum eſt. Die dictâ, Præſes modo nominatus, abſens & Procuratores Fiſcales, *Askius*, *Steelius*, *Doreſlarus & Coockius* electi ſunt, juſſuſque fuit rogari Fairfaxius, ut juſtum Curiæ præſidium militare ſuppeditaret. Prima ſeſſio fuit in Aula Weſt-monaſterienſi *die* XX. *Januarii*, quo Præſes, ante quem gladius Juſtitiæ nudus portabatur, cum Judicibus è Camera pictâ ſe contulit, admiſſâque hominum turba, diploma Poteſtatis Curiæ altâ voce legi præcepit. Quo facto, Rex è Domo Cuſtodiæ ſuæ à *Thomliſſono & Hackero* tribunis cum XXXII Ordinum ductoribus haſtatis deductus & à Feciali obviam progreſſo in conſpectum Cu-

riæ adductus in sella serico tecta, supra simile velum in solo stratum collocatus est, vultu interrito ac adseverato, nec ullo scilicet honoris adversus Curiam gestu, oculos primò in circumfusam multitudinem semel ac iterum severo intuitu conjiciens, dein judices in serium compositus intuebatur. Præses ex alto tribunali sella serico rubro tectâ, habens præ se pulpitum similiter tectum, ejusdem coloris Pulvinari instructum, aliquanto quam Rex adseveratior eum allocutus causam Conventus & Summam accusationis breviter exposuit. E continenti *Cookius*, *Procurator generalis* Accusationem oblaturus loqui parabat: quem Rex arundine tactum Indica leniter, ut prior locuturus, interrupit; Sed jubente Præside, *Coockius* oratione brevi, *adferre se nomine populi Anglicani accusationem magnæ proditionis* adversus *Carolum Stuartum* Angliæ Regem, dixit & Accusatio lecta est è scripto, hac summâ; *Carolum Stuartum Angliæ Regem, admissum potestate limitatâ secundum leges in populi bonum, cepisse malignum propositum erigendi & sustinendi potestatem absolutam atque tyrannicam, subvertendi jus & libertatem populi, tollendi cuncta remedia legibus regni fundamentalibus constituta frequentibus in Parlamentis contra pravum regimen exercenda.* In quem finem arma eum cepisse contra Parlamentum, *expressis belli cœpti temporibus, commissionibus & flebilibus malis, idque non modo per se, verum etiam per filium aliosque Duces ipsosque per Hibernos rebelles*, qui adhuc

An-

Angliæ minentur; In ſuam familiæque ſuæ privatam, contra publicam, utilitatem. Quapropter ſe *Carolum Stuartum* accuſare ut auctorem omnium malorum, quibus Anglia adflicta ſit, ut *tyrannum, proditoram, Letronem publicum & inreconciliabilem Angliæ hoſtem*; Rogare, ut reus ad reſpondendum teneatur & dein procedatur *ad cauſæ cognitionem, inquiſitionem & ſententiam*, ſecundum leges Juſtitiæ. Dum hæc à *Coockio* legebantur, Rex oculos in Judices, populum, milites circumferens, auditis non movebatur, niſi ad verba, *Proditorem, latronem*, quæ riſu in Judices ſardonico excepit. Sed Præſes eum reſpondere juſſit; Rex, *Antequam reſpondeam*, inquit, *oportet intelligam, quo jure in hunc locum vocatus ſim*; Retulit dein, quid ſecum eſſet actum in Vecti inſulâ, quam parum à concluſione pacis abfuerint, quam deinde ſit habitus indigne; hæc ſe comparare non poſſe. Monuit eos ſerio, quid adverſus Regem ſuum Legitimum inſtituerent. Denique, ad exceptionem fori relapſus, *quo jure vocatus eſſet*, interrogavit. Præſes reſpondit; *Auctoritate populi Anglicani*, qui te Regem elegit, *Parlamento* repræſentati. *Nego*, ait Rex, *Anglicanum eſſe electivum Regnum*; fuit ſucceſſivum inde à mille & amplius annis. *Populi & domus popularis ego magis quam alius quiſquam Patronus ſum: Niſi doceatis, quâ poteſtate vocatus ſim, non reſpondebo.* Per vim huc adductus *ſum, non veni, ut huic Curiæ me ſubjicerem. Ubi eſt domus Procerum,*

ad exhibendum Parlamentum? Eſtne hoc Regem adducere ad Ordines ſuos; hoccene finem imponere Tractatui incœpto? Habetis poteſtatem, fateor, ſed hæc facta non eſt ad pacem regno dandam. Officium meum juratus ego ad ultimum uſque ſpiritum ſervabo. Satisfacite mihi de juriſdictione quam vobis arrogatis. Uſurpatio injuſta eſt, de quâ Deo rationem reddetis. Si juſtam probaveritis reſpondebo, Alioqui meum & populi mei jus non prodam. Adhæc Præſes, nihil; *quam ſe demonſtraſſe poteſtatem qua freti juriſdictionem in illum exercerent; Contra quam ipſi diſputare non liceret. Seſſionem à ſe differri in proximam diem Lunæ*; tum erat Saturni dies: Si tum nihil aliud reſponderet, *fore ut ulterius Curia procederet. Bene ſecum, quid opus facto, perpenderet.* Replicantem Regem abduci juſſit, nullum rurſus ſignum reverentiæ dantem vel accipientem. E turba quidam ſubornati, *Juſtitiam* clamitabant. Seſſio clauſa eſt voce miniſtri publicâ, *Deus conſervet regnum* (loco Regis) *Anglicum. Die* XXII *Januarii* adverſus Regem iterum in Jus adductum, à Procuratore Generali, Curiæ officium imploratum eſt, ut niſi Rex ſine circuitu reſponderet, ſilentium pro contumacia haberetur. Quam rem Præſes, accepto eâ de re Curiæ mandato, Regi pluribus verbis injunxit. Hic vero præfatione gravi defunctus orationem, quare ſe huic Curiæ ſubmittere non poſſet, ingrediebatur. Sed Præſes eum interrumpens negavit, hoc modo ei licere pergere; provocans ad ſtylum

Cu-

Curiarum & judicia omnium practicorum. Non *ſum*, ait Rex, *Legulejus, ſed Angliæ leges æque mihi notæ ſunt quam ſunt pleriſque nobilibus regni. Puto etiam in omnibus Curiis licere Reis declinare forum & ſuper hac præſcriptione audiendos eſſe, ſaltem ratio vult, ne ſine ratione vobis credam.* Præſes. *Ratio eſt voluntas populi in Parlamento repreſentati. Curia rationes tuas bene ponderavit, ſed eas rejecit. Hoc tibi ſufficiat, oportet. Sicut ipſi ſufficit auctoritas populi, à quo ſæpius uſu venit, ut ex Antecesſoribus tuis præcipui ad rationes reddendas compulſi* ſint. *Nego*, inquit, Rex *cedò exemplum.* Præſes; *non te decet ita me turbare nomine Curiæ loquentem. Hæc imperat adhuc, ut reſpondeas.* Rex; *Ecquando domus inferior facta eſt Curia juridicialis?* Præſes; *Si nihil habeas aliud proferendum*; *Scriba lege.* Scriba, *CAROLE Stuarte*, Rex *Angliæ. Accuſatus es, nomine populi Anglicani*, ut audiviſti. *Curia poſtulat, ut peremptoriè reſpondeas, utrum fatearis, an neges facta in Accuſationis libello comprehenſa.* Rex eadem repetiit & cum Præſide plura in eandem ſententiam verba commutavit; quæ hic abrupit, jubens ſatellites abducere captivum, & Regis contumaciam Actis inſinuari juſſit. Placuit tamen denuo reum poſtulari, uti ter contumax liquidius condemnari poſſet. Id actum die XXIV Januarii; Rex præfatione uſus, in hoc deſiit, an loquendi libertatem habiturus eſſet. Reſponſum, de capitibus accuſationis habiturum quicquid vellet libertatis, de fori præſcri-

ptione nihil. Rex idem tamen aliis verbis & rationibus urgere. Sed Præfes eum bis interrumpens; *Quando*, inquit, *actum agis*, *fcriba fac officium:* qui rurfus legit, ut antea. Rex, *Accufationem flocci facio*, *fed Curiam novam legibus regni & populi juribus adverfam non agnofcere certum eft.* Præfes, *jam ter illufifti Curiæ; Quæ tua pro populi juribus intentio fuerit*, *fanguineis per Angliam literis confignafti. Scias te effe Reum coram Supremâ Juftitiæ Curiâ. Abducite reum fatellites*, *& nota contumaciam Scriba.* Rex admurmurans, agnofcere fe, quod effet inter homines, qui poteftatem haberent, ut prius, immoto geftu abiit. Quod Rex in declinatoriâ perfeveravit, haud dubie rectè confuluit: Etfi *Doreflarus* Hagæ deinde jactaverit, fi caufæ cognitionem fubire voluiffet, non fuiffe futurum, ut ad mortem damnaretur. Forte, quod culpam faffus & veniam humillimè precatus, ad carcerem perpetuum eniti potuiffe dictum voluit. Hoc autem ille merito quavis morte indignius reputaffet; quemadmodum auctores habeo, qui poft fententiam latam à Militibus fpem vitæ fervandæ illi certis conditionibus effe factam referunt, quas ille non plane lectas in ignem conjecerit. Submiffionem & Difceptationem adverfus caufidicos rectè vidit juris & innocentiæ fuæ majeftatem fuiffe dehoneftaturam, nec ad fummam fibi profecturam; quando res erat manifefta, callidos & præferoces homines huc ufque non effe progreffos, ut nihil agerent. Judices exinde occu-

occupati fuerunt in examinandis testibus, quos ex abundanti, scilicet, cum alioqui sufficeret contumacia, interrogandos putarunt; quatuor & triginta numero fuerunt; omnes de bellicis actionibus à Rege contra Parlamentarios institutis, nihil de aliis rebus, quarum in Edictis suis Regem toties atrocissimè insimulaverant, testimonia plerique singularia deposuerunt. Lecta etiam sunt instrumenta literæque Regis variæ, super quibus, ob causam contumaciæ, refutandis non fuit auditus. Judices statim post causæ cognitionem sententias dixerunt & convenerunt in hisce capitibus; *Curiam procedere debere ad sententiam adversus Carolum Stuartum condemnatoriam. Hanc esse debere sicut adversus tyrannum, proditorem & latronem. Eundem esse declarandum hostem regni Anglicani publicum; Condemnationem esse debere ad mortem.* Proposito, numquid ante sententiam vel ejus executionem Regia dignitate exuendus esset, dilata est in aliud tempus deliberatio. Sed qui potestatem populi supra Regem ostentare gestiebant, facile obtinuerunt, hoc non esse committendum. Imo fuisse è judicibus qui vellent, eum coronâ regiisque ornamentis insignitum in ferale theatrum duci, & caput coronatum securi subjici, quasi ut regnum uno cum Rege supplicio tolleretur, & evidentius esset jus populi super Regem, habeo qui scribunt. Sed die Veneris XXVI Januarii sententia suffragiis collatis concepta fuit & Pronuntiatio in diem sequen-

tem, qui fuit Saturni, constituta. Quo circa meridiem Rege rursus in Aulam adducto, frequens clamor à satellitibus & militibus, non à reliqua turba, de *Justitia* & *Executione* sublatus est. Quo sedato, Præses rubra togâ insignis ad populum surgens, se convertit; *Cives*, inquit, *Angli*, Sed Rex eum interrumpens. *Volo*, inquit, *ut me audias, antequam feras sententiam*; *Habeo quod proponam adhuc non propositum*. Præses; *Audieris ante sententiam*; *Interim tacebis*. Rex, *Audiendum me spondes ante sententiam?* Præses, *Spondeo*. Pergens, exposuit, quâ ratione Curia ad sententiam ferendam parata esset. Quia tamen reus, inquit, ante pronuntiationem audiri cupit, placitum est illum audiri; *modo*, ait ad Regem, *nihil de jurisdictione Curiæ dicas*; *hujusmodi enim oratio tibi non permittetur*. Rex oratione deinde nervosâ, questus sibi dudum res vitâ sua cariores, conscientiam & honorem esse violatas; petiit, antequam sententia ferretur, *audiri* in Camerâ pictâ, *ab utrâque Domo Parlamenti*; *Propositurum se, quæ ad pacem regni pertinerent*. Post aliquot tergiversationes & cavillationes, quasi hæc res ad declinationem fori prohibitam spectaret, Præses tandem concessit in hoc, ut ad Curiam seorsim de hoc Regis desiderio referret, & digressi sunt omnes, Rege tantisper etiam seducto. Sed cautio fuit illis abunde, ne rem permitterent, quæ deformitatem & nuditatem Parlamenti prostitueret, Regisque causam mora &

misc-

miſeratione omnium involveret. Poſt dimidium horæ, captivo reducto, Curiâ ſedente, Præſes reſpondit; Curiam ita cenſere, nihil eſſe cauſæ, quare id quod rogaverat, moræ ſaltem captandæ ſerviens, ei concederetur. Poſt aliquos hac de re ſermones commutatos, Præſes imperato Regi ſilentio, longiorem inſtituit orationem, cujus hæc ſumma fuit: Regem legibus eſſe ſubjectum; harum autem, quia Reus contenderet ſe leges obſervaſſe, Parlamentum eſſe interpretem, populum vero Anglicanum etiam ſuprà leges eſſe quas mutare poſſet: Ergo etiam ſupra Regem, qui ut ſingulis major, ita minor univerſis ſit; quod probat ex vetere dicto Juris Anglicani, *Regem eſſe ſubjectum Deo, legibus & Baronibus, qui Regi effreni ponere debeant frenum*, quod etiam ſæpe factitaverint; hoc autem tempore, Baronibus officium ſuum negligentibus, has fuiſſe populi partes, qui Regem ſuo bono conſtitutum & perverſe conſulentem coercendi jus habeat. Quod cum aliter quam in Parlamento fieri nequeat, hoc antiquo inſtituto habuiſſe jus de Regis, Reginæ filiorumque regiorum injuriis cognoſcendi & judicandi. Sed è Regibus plures odiſſe Parlamenta, quos inter ipſe fuerit unus è præcipuis, quod pluribus ex antea narratis illuſtrat & exaggerat. Objectionem deinde, quod hic modus cum Rege procedendi careat exemplo, pluribus citatis occupat; imprimis ex Arragoniæ regno, ubi Magiſtratus fuerit, *Juſtitia* dictus, cui inter Re-

gem & populum jus cognoscendi datum erat. Nec Ephoros omittit Spartanos, neque Tribunos Romanæ plebis, quorum jus ait Anglicano convenire Parlamento. Neronem quoque à Senatu Romano damnatum adducit, & tandem missis exteris, è Scotiæ Regibus, quorum hic Carolus esset *nonus supra centesimum*, quamplurimos à populo docet fuisse præteritos, abdicatos, expulsos & interfectos; inter quos ipsius aviam fuisse *Mariam Stuartam*. Nec in Angliâ ipsâ defuisse id genus exempla, tam ante, quam post *Conquæstum*, ut loquuntur. A quo tempore vigesimum quartum esse Regem hunc *Carolum* & partem dimidiam antecessorum ejus ab Ordinibus admissos, non mero jure Nativitatis imperasse. Proximos quidem plerumque vocari, sed justâ causa remotiores à populo posse præferri. Inter Regem & populum esse contractum, cujus fides jurejurando Regis confirmetur; contractum esse reciprocum, hinc protectionis, inde subjectionis; priore deficiente posterioris vinculum æquè dissolvi; quod etiam in regno maximè successivo valeat, ut ex maleficio in commissum cadere possit. Atqui Reum manifesto non protectorem sed destructorem egisse populi & oppressorem; Esse Regem dum bene regit, Esse tyrannum, qui populum sibi creditum violenta opprimit dominatione. Talem fuisse Carolum ipsis rerum probari argumentis, *Tyrannum*, quod arbitrarium regimen violenter adfectaverit: *Proditorem*, quod fidem

popu-

populo datam violasset; *Latronem*, tot cædibus & incendiis per omne regnum patratis; Cædis pœnam esse capitalem lege divina, quæ Reges non magis excipiat quam rusticos, etsi nemo privatus illos punire queat; populum tamen ut superiorem, Regi vel unius homicidii reo capitis supplicium irrogare posse. Desinit, in voto, uti Rex ita Deum ob oculos, recordando & agnoscendo delicta sua habeat, quam ipsi numen ejus in sententia ferenda in conspectu habuerint; Se vero minas Regiorum (nimis id quidem in eo rerum statu frigide) hac causa forti in Deum fiduciâ refutaturos. Rex, antequam Præses perorasset, *Rogo*, inquit, *ut me audias purgaturum me de probris tam indigne mihi objectis.* Sed Præses; *male me turbas*, inquit, *haud procul sum à Sententiâ.* Instantem Regem interrumpit & refutat. *Audies*, inquit, *Sententiam*; quæ proinde lecta est; cujus argumentum ex antea dictis præsumi potest. Incipit ita; *Communes*, id est, *Plebs Angliæ in Parlamento congregata*; Proceres enim non consenserant; *Condemnatur Carolus Angliæ Rex ut Tyrannus, Proditor, Latro & publicus hostis ad mortem, per separationem Capitis à corpore faciendam.* Prælectione facta, Judices qui aderant LXVII numero, quæ pars erat dimidia, *Fairfaxio* inter alios absente, simul consurrexerunt. Rege denuo loqui parante, Præses abrupte, post sententiam negavit audiendum & reduci jussit in custodiam. Mandato executionis, eodem tempore decretæ

in

in diem Martis sequentem Januarii xxx. constituto, inter horam decimam & quintam pomeridianam, Præses & LVIII. judices solummodo subscripserunt. Adeo qui se audacter invidiæ obtulere, pauci fuerunt. Omnes tamen in proposito persistebant; etsi *Fairfaxio* minus fidere viderentur *Cromwellius* & reliqui militares. Cum Legati Ordinum Belgicorum ad deprecandum missi Fairfaxium ægre convenissent, incontinenti Cromwellius aliique magno numero tribuni aderant, ut quid ageretur, audirent, viderent; Literas sibi inscriptas, ut & Cromwellio, corã omnibus aperiri volebant. Responsio militariũ fuit civilis & generalis, referens se ad id quod Parlamento videretur. Etsi Legatis à rerũ peritis inde ab initio, nulla mortali ope consilioq; Regis vitã servari posse, fuerat indicatum; Re tamen cum Legatis Scotorum communicatâ, instanter audientiam ab utrâque Domo petierunt & impetrarunt. Heemstedius orationem tempori hominibusque attemperatam habuit. In domo Procerum paucissimi erant Adsessores; in domo populari circiter octuaginta. Propositio fuit post amicitiæ testationes, *conservationem Regiæ personæ ad pacem regni stabiliendam videri necessariam*, eique rationi cohortatio & deprecatio, causæ merito conveniens, saltem ad executionem aliquantisper differendam adjuncta. Proceres, quando Rege appellato, Legati capita sua detegerent, idem factitabant; Plebeji, non æquè; sed appellatis Belgii Ordinibus, non cessabant imitari Legatos. Responsio

Pro-

Procerum fuit, ſe paratos eſſe confeſtim ſuper argumento habitæ orationis vota cum populari domo conferre; ſed hujus Adſeſſores cum Legati peroraſſent, ſurrexerunt, neque reſponſum, niſi poſt rem peractam, de quo *ſuperius* dictum, ediderunt. Deſtinati erant Regi ad præparationem migrationis in æternitatem, quatuor miniſtri ſacrorum, quos audire noluit, contentus *Juxone* Londinenſi olim Epiſcopo, pridem illi à Curiâ conceſſo, qui ſacra ipſi Anglicano more adminiſtravit, non ſine inriſu militum, qui nec aliis licentiæ barbariſmis in damnatum abſtinuerunt, ut quidam auctores ſunt, de quibus alii tacent, etſi non ſunt incredibiles. Literas à Walliæ Principe, Regi inſcriptas, Parlamentum niſi à ſe lectas tradi vetuit, verum ita traditas ſibi Rex legere noluit, ſed cum reliquis ſuis chartis in ignem conjecit. Inde duos ex liberis ſuis vidit *Elizabethen* & *Henricum* Gloceſtriæ Ducem; illam tredecennem, hunc novennem. Puellæ luctum nullus calamus exprimere poteſt. Puero Rex in genua ſublato inculcavit, ne ſe Regem creari pateretur; id enim ſuſpicabatur; quamdiu Carolus & Jacobus fratres ejus viverent: quod puer ita accepit, ut ſe membratim diſcerpi malle adfirmaret. Nihil conſtantiam Regis adflixit, quam hæc puerilis converſatio, à qua pauliſper in lectulo ſe collegit. Electori Palatino ſororis filio, qui Londini aliquandiu egerat, ad ipſum viſitare cupienti ſe excuſavit, quietis & perturbationis vitandæ obtentu: ſed

eſt

est verum, Electorem se pridem Parlamento applicuisse, quasi inde speraret opem: quâ de re per literas eum Rex reprehendendum putaverat. Suprema nocte memorant, eum è somno, qui, ut erat animatus, ei non defuit, excitatum vidisse lumen extinctum, ideoque *Greenwicho* nobili à cubiculo, qui ante lectum ejus cubabat inclamasse, ut cereum accenderet, Illo non audiente, requievisse Regem; at somno rursus captum & denuo experrectum, vidisse lumen ardens. Greenwichum interrogatum negasse, lumen se scire fuisse extinctum neque rursus accendisse; nec alius in cubiculo quisquam fuerat. Proinde Regem sublatis ad cœlum oculis dixisse, *Bone Deus, quid de me familiâque meâ decrevisti!* Hoc à Regis filii amicis Hagæ Batavorum, cum is restituendus esset, adseveratum, Legati Ordinum Frisiæ à gratulatione facta reversi, me audiente, retulerunt, quod heic adjicere visum. Die Martis ante meridiem horâ decimâ Rex è fano seu Palatio Jacobino per ambulacrum magnum pedibus in *Withalium*, ipse celerius incedens & addens gradum militibus, à satellitibus & *Regimento* militum, signis explicitis, sonante tympano, ex quo jus belli agnosceres, deductus est; ut proximi tamen capitibus nudis eum alloquerentur; mansionem fecit in cubiculo quieti ipsius, dum Rex erat, usitato, tantisper, dum precibus ad Deum vacaret & corpus Domini è manibus Episcopi perciperet; prandio abstinuit; antequam exiret, haustum vini duntaxat

&

& panis aliquantulum sumsit. Inde à *Thomlisono* & *Hackero* tribunis cæterisque satellitibus, habens à latere Doctorem *Juxonem*, per medios solopetarios ordine longo cóllocatos, in aulam magnam quæ domus epularis vocatur, deductus est. Ibi pictus erat in tabulato Rex pater ejus *Jacobus*, quasi in cœlum adscendens; ad quem oculos attollere visus est, quasi illum sequi paratus & fatum domus reputans. Ferale theatrum erat in vico publico, propé palatii portam, in quod per unam à fenestris in ostii usum redactam transitus patebat. Heic palam innumerâ spectante turba consistens, stipitem in quo caput erat amputandum, ferreos uncos, funes, quibus in genua, si flectere nollet, deprimeretur, & duos caarnifices fictis capillis atque barbis indutos intrepide spectavit; stipitis humilitatem, qua fieret, ut in ventrem procumbere cogeretur, arguit, acquievit tamen, cum ita usu venisse responderetur. Orationem deinde nervosam & cordatam habuit, Innocentiæ suæ animique Christiani conscientiam demonstrans. Unicum, de quo reus factus & damnatus erat, diluens, inchoati belli crimen, eo quod ex Actis publicis constare diceret, Ordines bellum movisse priores; se de juribus illorum nihil delibasse; at illos nullum finem fecisse jura sua rodendi, initio à militiâ facto, quam ad ipsum pertinere falsi, expedire dixerant, ut ad se transferretur. Causam & initium belli à se amolitus reliqua sponte evanescere crimina, quorum se puram

ram habere conſcientiam. Non æquè ſententiæ aliquando iniquæ à ſe permiſſæ adverſus *Staffordium* Comitem; cujus ſe pœnam accipere juſtam à Deo, per hominum injuſtitiam. De animo Chriſtiano teſtari, ſe omnibus ignoſcere & precari pœnitentiam reditumque in rectam viam, quæ hæc eſſet, ut redderent Deo quæ Dei ſunt, & Regi quæ ad Regem pertinerent, *Populus libertate perſonarum & proprietate rerum gauderet, in partem Imperii nè vocaretur*; Id ei nullo modo deberi. Aliter pacem in regno non conſtituram. Cæterum, nolle ſe cuiquam imputatum, quod *Martyr* populi moreretur. Cum peroraſſet, monitus à Juxone, ſubjecit, actis Epiſcopo gratiis; mori ſe Chriſtianum fidelem *ſecundum Anglicanæ Confeſſionem Eccleſiæ*. Inde ſe morti interritus dedit; pallio depoſito, exuto thorace, capillos nocturno capitis tegumento complexus, at mox ſe pallio rurſus, ob frigus hyemis acre pauliſper involvit; interim excitatus ab Epiſcopo & excitans ſe ipſe, ad occurſum numinis in æternitatem alacribus & ſacræ plenis fiduciæ dictis; adſeverante *Juxone*, illum fore beatum & *glorioſum Regem* (quod Ordines aliquando in Edicto ſe facturos profeſſi, nunc, ſcilicet, impletum dabant.) Nec diu cunctatus, Thomliſono, daret operam, ne longiore cruciatu mactaretur, commendavit; ad carnificem, *cum manus expandam, ferito*, inquit, *nec prius*. Tum manibus oculiſque ad cœlos ſublatis, pauca locutus promptè caput & jugulum ſtipiti impoſuit, vetans iterum,

ani-

animadverſo carnificis motu, ne ſignum præverteret. Quod ille pollicitus, ſigno mox dato, caput uno ictu amputavit, idque ſublatum populo oſtendit, ita proclamans, *Deus ſervet populum Anglicanum*, utpote Rege jam nullo: factâ ſtatim proclamatione Edicti, ne quis *Carolum* aut alium mortui regis filium ullumve mortalem, pro Rege haberet aut agnoſceret: ſublata quoque noviſſimi Regis ſtatuâ è porticu fori ſive Burſæ Londinenſis, hac inſcriptione loco vacuo impoſitâ; *Exiit Tyrannus Regum ultimus, anno reſtitutæ libertatis primo.* d. xxx. *Januar.* CIↃ IↃC XLIX. Sed populus ſenſit, oligarchicum militare jugum cum Regio nulla parte comparandum, idque brevi in unius arbitrariam poteſtatem vidit converſum. Cadaver aliquandiu publice à militibus, ſtipe à ſpectatoribus exactâ, oſtentatum, poſtquam à medicis diſſectum corpus plenum ſanitatis & longæ ſpei vitæ repertum fuerat. Elogium ejus pridem in rebus geſtis occupatum eſt. Ingenium & mores *Caroli* hoſtes varie deſcripſerunt. E duobus Fiſci advocatis, à quibus accuſatus eſt, *Coockius* edito libello, ingenium & doctrinam ejus laudavit, mores & inſtituta inſectatus eſt. *Doreſlarus* Hagæ contrà & contemptim de animi dotibus ejus loquebatur; Objicienti de *memoriali* Regio, quod ejus nomine poſtumum prodiit, id judicii non vulgaris videri, ſubridens, *Perkinus Warbeek* ait; quod eſt nomen famoſi illius Impoſtoris tempore *Henrici VII.* qui ſe filium *Eduardi IV.* diceret, tenebrione aliquo

liarum Regis filiâ superstites reliquit liberos, *Carolum* XIII. *Maji.* MDCXXIX. natum. Cujus oratio natalitia cum, Patre præsente, sub dio haberetur, claro meridie, Stella fulgens apparuit; quod aulici ut lætum omen, alii secus accipiebant. Jacobus 13. *Octobris*, anno seculi XXXIII. natus est. de Maria Principi Arausionensi nupta dictum, ut & de Henrico Glocestriæ Duce ac Elizabethe. Ultima nata est *Henrietta* Exestriæ, die 16. *Junii* 1644. Duo priores regnarunt. Cæterũ cadaver regio sepulchro Vindesoræ illatũ est. Rem peractam omnes populi & principes orbis Terrarum in sinu nec non palam, sed privatim detestabantur; publicè tamen Auctoribus adulati plerique, suo commodo, illorum amicitiam quærere non cessarunt, Regem vero filium à fortunâ destitutum neglexerunt, nec doloris quidem aut gratulationis *complementa*, quæ dicuntur, impertiti sunt. Sola Christina Suetiæ Regina, literis ad *Carolum II.* scriptis animi sensum generose exposuit, his usa latinis verbis; *Perculit quam vehementissimè animum nostrum & ineffabili dolore pectus nostrum adfecit tam tristis & funestus nuntius facinoris, inaudito prioribus seculis exemplo commissi, & illatarum Regi cruentarum manuum: Cujus horrendi facti atrocitatem &c. Nunc cum eò insolentiæ progressi sint, ut de Principis sui vitâ ad indignum plane modum statuerint, viderint ipsi, quam iram Numinis divini & quas pœnas perpetratæ cædis in se posterosque suos traxerint &c.* Postea tamen & ipsa rationem *Status* quam

vocant, generositati præferre non dubitavit. Actores hujus tragœdiæ specimen dedere, quo constet, nullum genus hominũ melius adsequi rem haud minus difficilem quam bonum esse perfectè, *esse perfecte malum*, quam eos qui indutam animis religionem ambitioni suæ prætexunt. Adeo diligenter id actum ab illis, ne quid audaciæ facinorum suum deesse videretur. Inter quæ Juxonem Episcopum, cui Rex ordinis signum equestris filio tradendum & margaritam eximiam auri suæ detractam filiæ Principi Arausionensi dandam & instrumenta quædam chartacea commiserat, custodiæ datũ vexatumq; tradere quæ vellent, compulerunt. Extincto regno, sub prætextu popularis Status, Oligarchiam formare certi, domum Parlamenti superiorem à paucissimis adhuc repræsentatam Proceribus, ut Regiæ potestatis sectam à populo non habentem characterem sustulerunt. Decretum aboliti Regni & Procerum domus, liberæque Reipublicæ, ut ajebant, constitutæ cum Prætor Londinensis, fœderi Nationali obstrictum se professus, publicare nollet, eum duobus librarum millibus Sterlini ponderis mulctatum dignitate spoliarunt, multosque Senatores, Syndicum, Graphiarium aliosque civitatis ministros idem sentientes; plerique enim erant Presbyteriani; locis suis amoverunt, imparibus & obnoxiis, ut par erat, substitutis. Administrationem regiminis quotidiani *Consilio Status* duodequadraginta virorum, qui Custodes dicti libertatis, commiserunt, annua potestate, quos

inter

inter præcipui è ducibus militum, tres etiam quatuorve Proceres, & *Bradshovius* heic etiam Præsidis dignationem tenuit. At hæc, qui libertatem vere popularem desiderabant, ut novas Angliæ catenas & vincula, Regiis nihilo meliora, publicè licet in vanum, execrabantur. Hi parabant novum liberis universi populi suffragiis eligere cœtum, qui vere populum repræsentaret, dimissis antiqui Parlamenti pudendis reliquiis: in quo desiderio cunctos Regni ordines habebant consentientes. Neque jam verbis contenti distinguere factionem in exercitu, cogere manum instituebant, quam veteres harum artium Cromwellius & socii, priusquam coalesceret, facile dissiparunt & paucorum supplicio territum vulgus coercuerunt. Sed prius adhuc theatrum sanguine Regiorum Ducum, quibus post dominum suum nihil supplicii recusandum erat, funestari oportuit. Irritis jam pridem factis Parlamenti Presbyteriani suffragiis, quibus absoluti vel mulctati fuerant, *Hamiltonius* Dux, in Angliâ Comes Cambritzensis dictus; *Hollandiæ* Comes, *Capellus* & *Gorinius*, Barones in ultimo pro Rege belli conatu oppressi captique. Hamiltonius è custodiâ Vindesoriensi elapsus, cum non haberet prospectū, quo se tuto conferret, in suburbio Londinensi mane pulsans ostiū diversorii agnitus & denuo captus est. Pauci equites ordinumque ductores evaserunt. Sed captivi quinquaginta numero, apud Curiam, Bradshovio adhuc Præside accusati, sunt. Hamiltonius de Foro excepit,

ſe Scotum nec Anglicæ juriſdictioni ſubjectum; denique, datam ſibi eſſe fidem, cum caperetur, (*ſervandæ*) vitæ. Sed rejecta eſt utraque exceptio, quod pater ejus Angliæ civis eſſet factus, & quod fides in campo data præſenti illum periculo cædis, non judicio publico eximeret. Non profuit etiã defenſio, quod nomine juſſuq; Scotiæ Ordinum hoſtilia adverſus Anglos induiſſet; nec ideo ſe ut proditorem ſed jure belli habendũ. Condemnatus eſt ut proditor, nec id è Regiis multi immerito illi; credentes in causã Regis eſſe prævaricatũ, accidiſſe putabant: Libellus etiã exiit, cum inſcriptione, *Digitus Dei in Ducẽ.* In oratione funebri nonnihil ad purgandum ſe hac de re protulit. Poſt eum Comes Hollandiæ ſecuri percuſſus eſt; Hic Regi aliàs à cubiculo, contra eum militaverat. Poſtea ad eum defecerat. Iterum ad Parlamentum transfugerat, pollicitus conſtantiam. Poſtremo tamen, Rege periclitante, ad illum eripiendum ſe reliquis adjunxerat; gloriatus, ſe brevi XII. millia armatorum & Parlamentum in poteſtate habiturum, ut Accuſator objiciebat. Provocabat, ut Hamiltonius, ad fidem ſibi, dum caperetur, datam; ſuffragiis judicum primò dubiis, mox in negativam inclinantibus. In oratione funebri, mutationes ſuas rebus mutatis imputabat. De religione, pro Rege uterq; eadẽ loquutus. Sed *Capellus* magni viri animi cauſam apud Judices acerrimè dixerat, de Rege, de jure belli, de veniâ ſibi datâ fidenter & libere; Judices nullo dignatus adſpectu, in oratione

tione ſuâ populum utrimque adfuſum intuitus. Ut plane eſſet opinio, Judices ducesſque non minus eum metu ſuſtuliſſe quam odio. In oratione ſuprema Regem defunctum & ſucceſſorem magnificè laudavit. Hujus filius fuit Eſſexiæ Comes, in turre Londinenſi extremo Caroli II. tempore jugulatus, ſua, an, ut creditum, alienâ manu, auctorum ſuſpicione deformi. *Gorinius* criminis ſocius Ihretoni favore condemnationem evaſit: Quâ ſpe, multo ſubmiſſius in causâ dicenda quam Capellus ſe geſſerat. Reliqui partim à Judicio militari ſuppliciis ſubjecti, partim abſoluti, dimiſſi, aliterve multati ſunt: Arbitrio victorum, qui jure gladii inclementer uſi, ſuas intra decennium, qui ſuperfuere, vices, ſecundum illud dictum, *Occides hunc tu & te occidet alius*, ſubierunt. At tum quidem oppreſſo quicquid reſtiterat, novum jusjurandum, quo fides *Reipubl. Anglicanæ ſine Rege domoque Procerum* adſtringebatur, publicè propoſuerunt, & recuſantes mulctis & relegationibus, quæ magno numero ſunt irrogatæ, perſecuti fuerunt. Pauliſper in *Scotiam* digrediamur, quo nuntius de morte Regis eodem, quo in Hollandiam die delatus miſeratione cunctorum animos & ira violati fœderis nationalis, quo Regia Majeſtas ſarta tecta ſervanda erat, implevit. Ergo Ordines regni hoc tempore congregati, ſine cunctatione *Carolum II.* Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Regem proclamarunt, hac tamen adjectâ lege, ne ad exercitium Regiæ poteſtatis,

nisi *Fœdus Nationale*, quod *Convenantum* vocant, prius approbasset, admitteretur; qua de re Legatos ad eum se missuros in eodem Edicto declarabant. Hujus rei nuntii ad Regem Hagæ Batavorum agentem delati minus ejus ministros, quam consentaneum videretur, adfecerunt. Argathelium Comitem Regiarum partium, veterem inimicum & Presbyterianos, à quibus dejecti fuerant, adhuc in Scotiâ prævalere videbant; qui non modo de *Convenanto*, sed etiam de pravis novi Regis Consiliariis, id est, fidelissimis ejus amicis prius amovendis loquerentur. Subscriptione *Convenanti* totam partium hypothesin deseri veteresque sectatores, imprimis Hiberniam amissum iri. Argathelium conscientiæ cædis Regiæ, certè ejusdem venditione infamem similis in hunc Regē proditionis futuræ suspectum esse debere. Porrò etiam Angliæ Rectores Scotis irascebantur, quod Regem suum non Scotiæ, sed magnæ Britanniæ, Angliam complexi, Regem declarassent, quod illi Anglorum exemplo defendebant, qui post obitum *Jacobi* Regis ita præivissent. Patebat, amicitiam, quæ fuerat inter Cromwellianos & Argathelianos esse divulsam brevique in bellum desituram. Interim Legati Scotorum ad Regem, principe Legationis *Cassellio* Comite, pervenere, Submissionem populi & Ordinum ei deferentes, non segnes etiam in genubus flectendis, sed nihilo segniores in edendis postulatis suis, quæ hæc erant, I. ut Rex subscriberet utrique *Convenanto*, *tam Scotico proprio*

prio quam cum Anglis communi. II. *Conſentiret in abolitionem regiminis Epiſcopalis & Liturgiæ.* III. Relegaret à ſe, *Lanium*, *Cottingtonium*, *Heydum*, *Colpeperum* & imprimis *Montroſſium.* IV. Approbaret omnia Parlamenti Scotici acta, nominatim *Huntlæi* Comitis ſupplicium, qui poſt ipſam novi Regis proclamationem, etſi partium Dux Regiarum, capite mulctatus fuerat: Quod imprimis ominoſum Regiis videbatur. Verum Scotis ita ſedebat; nihil mutare, quâ parte ab Anglis quoque diſſidebant, de veteribus inſtitutis; Eſſe, manere Presbyterianos; Regem velle, ſed Legibus & Eccleſiæ ſubjectum; odiſſe, perſequi Epiſcopales atque Politicos. Hæc novo Regi non verbis tantum, ſed re & exemplo inculcare ſatagebant. At hic Epiſcopalibus & Politicis cinctus in illas conditiones conſentiendum non putavit; nec ut Legatos qui miſſi erant recipere voluit, ut ſubjectos recepit; cujus rei humillimo geſtu non recuſarunt imitamentum, ſed vim regiam ne admitterent, cautio nihilo minor fuit. Adeò enim de poſtulatis ſuis & tum & deinde cum Bredæ agerent, nil remittere voluerunt, ut Princeps Arauſionenſis, non opus fuiſſe Legatis, Fecialem mitti ſatius fuiſſe non immerito dixerit. Tum quidem, ut in Belgicis obiter indicavimus, infectâ re Legati in Scotiam, Rex in Galliam, profecti ſunt, hic præ ſe ferens iter in Hiberniam, quæ ductu & vigilantiâ Comitis *Ormondii* tota fere partibus Regiis addicta erat, excepto Dublino aliiſque paucis in Orien-

tali litore locis. Sed Ormondius obſidione Dublini inſtitutâ ſpem fecerat, ultimam manum Hiberniæ reducendæ impoſitum iri, idque Regii apud Hagam, fore prædicabant, hunc ſolummodo eventum expectari, dum ipſe Rex in illud fertile regnum, ut loquebantur, trajiceret: Unde facilis in Scotiam tranſitus & opportunitas Anglicanos obſervando motus rem totam reſtituendi. Sed hæ ſpes inexpectato nuntio, quod eruptione factâ (res in uſu belli rariſſima) Dublinenſes Ormondium cum ſuis profligaſſent, eluſæ & diſſipatæ ſunt: Etſi vires ad reliquam Hiberniam Anglis ſubjiciendam vel minores progreſſus faciendos non aderant Dublinenſibus, ea laude ſcilicet, *Cromwellio* ſervatâ. Nunc ad res GALLICAS hoc anno geſtas ordo monet, ut tranſeamus: ubi ſpiritus ſeditionis haud diſſimilis britannico, motus graviſſimos, etſi bello foris adhuc ardente, movit inteſtinos: quorum initia cauſæque ſuperiori anno commiſſæ, præcedente libro commemoratæ ſunt. Progreſſus & incrementa fuerunt ejuſmodi ut die VI. *Januarii* MDCXLIX. Regina Regens & Mazarinius primo mane Regem ad fanum Germani, relictis Pariſiis adſiduo tumultuantibus, abduxerint, quem Dux Aurelianenſis & Princeps Condæus adhuc *Cardinali* concordes, quia inter ſe diſcordes erant, ſequuti ſunt. Sed Pariſinis impedimenta Regia detinentibus, ſatis incommodo ſuo, vix cibi & culcitarum Regii comites nacti copiam, primos dies exegerunt,

gerunt, Edictum tamen Regis nomine publicatum est, in quo Parlamentum Parisiense Majestatis crimine postulabatur, ut inobediens, ingratum & rebelle, communia cum hostibus consilia fovens. Amoliendæ autem Rex invidiæ ab exactionibus tributorum & vectigalium collectæ, referebat, se XXIV milliones annuos populo remisisse, redactis suis reditibus ad XXXVI milliones, quos ne sic quidem pensionibus longinquis solvendos percipere posset. Magnus Senatus, id est, Parlamentum, Edicto non minus acri *Mazarinium* læsæ Majestatis reum declaravit, eumque cis XXIV horas ab Aula, cis octiduum è regno relegavit. Decretum, Præsidii ab Rege nihil admittendum intra Lutetiam; milites in suam & urbis defensionem conscribendos. Parlamento & oppidanis se adjunxere Principes *Contiaus* & *Longavillius*, ille Dux militum Supremus, hic Bellici consilii Præses. Duces *Vendomius*, *Boulionæus* & *Mota-Hodencourtius* Legati creantur. *Beaufortius* Dux, à Crimine, de quo pridem accusatus & carcere conclusus fuerat, absolutus & Equitatus Præfecturâ donatus est. Argentum mira promptitudine conferebatur. Cardinalis supellex, bibliotheca, res mobiles reliquæ vendebantur, ne Regiis quidem bonis parcebatur, multo minus libellis & invectivis in Cardinalem ipsamque Reginam. Turennius Boulionæi frater è Germaniâ cum exercitu vocabatur, quem tamen plerique milites & Ordinum Ductores Regiam causam

præ-

præferentes, reliquerunt. Id enim inter Gallici & Britannici tumultus ingenium evidenter interfuit, quod neque fax religionis, nec ſtudium populare libertatis odiumque poteſtatis Regiæ Galliarum populos, ſic ut Anglos & Scotos, animabat. Quare primus hic etiam Gallorum motus Levi momento, ut eſt ingenium gentis, ſcilicet, expeditione verſus interiora Regni Hiſpanicâ diſcuſſus atque ſedatus eſt. Cum enim Hiſpani has turbas aliquantiſper, hyeme anni quoque progreſſum in campos prohibente, contemplati eſſent, Archidux occaſioni deeſſe nolens, cum ſeptem millibus militum ſe Cameracum uſque provexit. Unde publicato Edicto, *ſe non venire ut hoſtem, verum ad pacem promovendam*, cujus leges ſe Parlamenti Pariſienſis arbitrio commiſſurum, fines Gallicos ingreſſus eſt; Scopum quem profitebatur, etſi alio quam vellet modo, conſequutus. Nam populus & Parlamentares à ſuis militibus, non minus quam à Regiis urbem obſidentibus coarctati, & hoſtili invaſione, memores Reipubl. facti, miſſis brevi poſtea Legatis in Aulam, cum Reginâ convenerunt; adeo male jam concordes & parum conſtantes, ut tametſi decretum eſſet, haud aliter quam excluſo *Mazarinio* eſſe tractandum, nemo tamen auſus ſit, illum ſponte præſentem arcere à Conſilio, vel excludere à Tractatu, cujus fuere conditiones in talibus haud inſolitæ, Remiſſio & amneſtia univerſalis; Abolitio Edictorum hinc inde, poſt

No-

Nonas Januarias emissorum. Adsignatio quorundam locorum in securitatem Principum fœderatorum. Seriò agendum esse de Pace cum Hispanis, ad cujus tractatum Parlamento Legatum mittere liceret: Sed hunc Mazarinius, ut antea pridem instituerat, omni modo ac arte elusit. Domestico tractatu absoluto, Hispani, numeris suis plurimum imminutis, nihil à se profici posse videntes, vestigia sua relegerunt. *Ipras* interim & fanum *Venanti* in Flandriâ per Comitem *Fuensaldanium* recuperarunt; Rex autem & Regina Lutetiam Parisiorum reversi sunt, sopitis paulisper magis quam extinctis turbarum civilium causis, quæ sequentes adhuc annos aliquot occupaverunt. Tum quidem Regii milites à Parisinis dimissos incontinenti suis stipendiis adjunxere, tam ut belli civilis materiam tollerent, quam ut supplementa in Flandriam, Italiam & Cataloniam mitterent. GERMANIA interim Pacis tot annis desideratæ fructus nondum hoc anno, Ratihabitione licet partium factâ instrumentisque commutatis, percipiebat; exercitibus amicorum veterumque inimicorum pressa & exhausta; nullis adhuc copiis bellatorum dimissis aut dimittendis, antequam nova super Executione Pacis Conventio, quæ *Noribergæ* tractabatur, ad exitum perducta foret; Res non multo minoris, quam ipsum Pacis negotium, difficultatis, ut ne toto quidem hoc anno perfici potuerit. Interim non exteri modo, sed ipsi Principes suis populis gra-

ves

ves erant exactionibus, eas cum Ducibus exterorum militum, quæ de multis opinio fuit, dividentes. Cujusmodi Societatis non defuerunt in Cliviâ, qui Principem Electorem aut ejus saltem ministros insimularent; auctâ suspicione, postquam Elector Clivensium precibus Ordinum, apud Belgas fœderatos, ut hi secundum Veteres pactiones auxilio sibi essent, in amovendis exterorum cohortibus, obviam per Legatos eundum, rogandosque Belgas, ne se huic negotio mere Germanico ingerere vellent, putaverat. Etsi vero belli incommoda per Germaniam non cessabant, bellum tamen ipsum à partibus studiose vitabatur; sola Leodiensium Civitate communis experte boni: Non passa quiete se frui, per factiones antea commemoratas; quarum plebeja, post oppressam *Warfusei* proditionem, Optimatibus prævaluerat. Episcopus idemque Princeps Leodiensis, qui Ferdinandus erat, Elector & Archiepiscopus Coloniensis, jampridem in Civitate parum auctoritatis, minus etiam potestatis habuerat, ipse quidem Imperatori & Hispanis addictus, cum prævalentes in urbe Gallis & Belgis faverent: Etsi horum prærogativa minus esset notabilis, validâ factione contrariâ & in suos fines acrius intentâ. Persuasum fuit Electori, si ipse ad urbem accederet, fore, ut suæ sectæ tantum animorum numerique accederet, ut superior & victrix evaderet, idque si modo intrare potuisset urbem, facultatem habiturum fuisse videtur. Profectus
igi-

igitur, cum paucis ab urbe milliaribus abesset, nuntiatur ei, ne ultra progrederetur, civitatem in armis esse, portam quâ ipsi intrandum sit, tormentis bellicis muniri, planeque ita usu venit, ut pars popularis minime tutum rata, Principis adventum expectare, navem onerariam, quâ supellex & impedimenta Principis vehebantur, ni mallet expilari, prono amne regredi juberet ac etiam cogeret. Exclusus Princeps operam dedit, ut *Maximilianus Henricus* è Bavariæ Ducibus, Agnatus & Coadjutor suus Archiepiscopalis, cum modicâ manu, sed ab Othone *Spar-rio* cohortibus Westphalicis Imperialibus Præfecto non excedentibus *tria millia septingentos* auctus, accessus Urbis potius, quam ipsam obsideret. Concordi civitati nihil erat metuendum, & cum popularis pars de Fœderatis Belgarum Ordinibus bene merita esset, auxilium inde, quod jam Hollandiæ Ordines decreverant, nec non à Gallis sperare potuissent. Sed discordiis ipsi fluctuantes inducias *Augusto* mense pepigerunt earumque beneficio partes inter se colloquia & commercia, rebus in Urbe confusis, neque certi Imperii vigore cohibitis, exercebant. Quam aucupati occasionem Colonienses, Urbem die XXIX Augusti sine magnâ vi in potestatem redegerunt, non multo sanguine fuso, nisi duorum plebejæ factionis capitum; Valteri *Henneti* & Bartholomæi *Rolandi* Consulum. Civitas præcisâ libertate, quâ majore quam expediret ipsi, inde ab antiquo gaudebat, sub impe-

imperio Principis Epiſcopi multo quam dudum quietius egit; addito pignore tranquillitatis coactæ, Arce, quam in Caſtri uſum jure victoriæ Princeps muniendam curavit: Nec mora fuit exinde, quominus ad nutum ejus idem *Maximilianus Henricus* heic etiam *Coadjutor*, id eſt, ſucceſſor Epiſcopatus & Principatus eligeretur. Per Germaniam nihil hoc anno prætérea memorabile geſtum, neque in *Regnis Septentrionalibus*, præter ea quæ Belgicis innexa rebus antea collocavimus. Inter Suecos ſaltem & Polonos de Induciis, etſi finis earum procul adhuc aberat, ſopiendiſque litigiis interim exortis, agebatur, loco ad hunc tractatum deſignato *Lubecâ*, requiſitis ad parariam operam ab utrâque parte Venetis, qui Contarinum *Monaſterii* Conciliatoris officio cum laude defunctum rerumque tranſalpinarum intelligentem eò deſtinarunt. Sed de ipſo Tractatu nihil uſu venit hoc anno. In *Polonia* poſt mortem *Vladiſlai* Regis ſine liberis *priore libro* commemoratam, in Comitiis actum de ſucceſſione. Quanquam de *Johanne Caſimiro* defuncti Regis fratre non dubitaretur, juris tamen uſurpandi cauſâ, de duobus aliis agitatum eſt, de Principe *Radzivilio* & Electore *Brandeburgico*, utroque Reformatæ religionis, ideoque ab Electionis in Regno longe majori parte Pontificio, facultate remotis; Ita ut nominatorum qualitas electionem Caſimiri certiorem demonſtrarent. Electus Rex viduam fratris *Louiſam Neverienſem*, cum diſpen-

diſpenſatione Pontificis in uxorem duxit, mulierem callidam, ambitioſam & factioni Gallicanæ in Poloniâ fovendæ idoneam & addictam. Sed lætitia ex electione Regis clamore ab ultimis regni finibus exorto, de cædibus, incendiis & Vaſtationibus Tartarorum & Coſaccorum, quæ hoc & ſequ. anno ſine notabili ultione tranſierunt, interrupta & funeſtata fuit; barbaris audacioribus factis præſumptâ novi Regis imbelliâ, qui militarem vitæ Profeſſionem Jeſuiticâ, mox Cardinalitiâ purpura mutaverat; Quibus fortè gerendis aptior, quam ad ſceptrum & arma fuiſſet. Nec aliter experimenta fuere; quorum primum hoc anno cæteris omen tulit ſiniſtrum. Producto enim contra Tartaros & Coſaccos exercitu *Caſimirus*, in eas brevi ſe redactum vidit anguſtias, ut barbarorum commodo, bellum pace, donec illis libitum fuiſſet, duraturâ, indecorè ſopiret. In ITALIA Gallorum & Hiſpanorum, illis domi turbatis, arma quieſcebant, niſi quod hi Ducem Modonenſem à Gallis deſtitutum, exercitu in ejus ditionem ſub Comite Caraçenâ miſſo, ad fœdus ſecum renovandum, quod unice cupiebant, reddito ſibi Correggio, compulerunt. Pontifex etiam Caſtri urbem, *Eduardo Farneſio* Parmæ Duce mortuo, redegit in poteſtatem, à Camera Pontificiâ cum Ducatu ſuo poſſidendam, donec Creditoribus hypothecæ jus habentibus ſatisfactum foret; quo intra certum tempus facto, pignus ſcil., reſtitueretur. Gotfredus Gallus miniſter *favoris* apud ju-

venem Ducem, ficut apud Patrem fuerat, bello id ulcifci conatus, cum clade rejectus, & domi, verfo in faftidium favore, capite mulctatus eft. Soli Veneti potentiffimi hoftis Turcæ vim ægrè fuftinebant, nullo auxilio à Chriftianis Principibus, nec ab ipfo Pontifice fuis ditandis unice intento fublevati, Hifpanis multa promisfa jactantibus & juffiones ad Neapoleos & Mediolanenfes Proreges evanidas iterantibus. Quod etiam plane refrixit, poftquam Turcicus in Hifpaniâ legatus novo exemplo gratanter receptus, ac alium inde Conftantinopolim hoc anno misfum vidit & mirata eft Europa; Gallis adhuc amicitia Turcica folis fere gavifis; nunc civilium, ut videtur, bellorum famâ fequiore loco habitis, opibufque Hifpaniæ Venetos inter & Turcas fpectatioribus, adfectatâ amicitiâ retardari poffe auxilia Venetis fubmittenda non temere in animum barbari induxerunt. Per fumptus interim infinitos exhaufta pecuniis hominibufque Refpublica, fame etiam publicâ urgente, pacem anhelabat, ut tamen Candiâ nonnifi ad extrema per vim belli redactâ cedendum putaret. Ibrahimo Sultano à fuis interfecto nil prius vifum fuit, quam tentare fuper hac re mentem regnantium; forte an mutatio tam fubita & violenta novis hac parte confiliis locum feciffet. Ideo per Venetum Prætorem Conftantinopoli refidentem Vizirio magno defiderium Pacis juftæ, cum gratulatione novi Imperii, de quâ caufa Legatum extra ordinem fe
mit-

mittere decrevisse, decore significarunt. Ad hæc responsum fuit à Vizirio, literis ad Senatum benevolis & honorificis, etsi de belli eventu potentiâque Sultani minacibus, Pacem haberi posse, procul habitis conditionibus durissimis à Priore Sultano Vizirioque propositis, solâ cessione Candiæ & restitutione Clissæ, defungi posse Senatum. Has literas per viatorem proprium, cui junctus erat comes Veneti Prætoris interpres, ad Senatum misit, isque in urbem appulsus, portare se pacem jactanter adfirmabat. Quæ res cum ingentem in omnium animis attentionem & curiositatem excitasset, è continenti in contrarium vertit, cognito Senatus responso constante & officioso. Quod cum à Prætore, Vizirio, qui pro insolentia suâ de Senatus adsensu non dubitabat, relatum esset, hominem immani replevit ira, quam inconditis clamoribus & minis furiose testatus, Prætorem cum suis omnibus in carcerem indignissimè conjecit & vix à morte illi irroganda temperturus sibi visus est, donec à Legato Gallico placatus in laxiore illum custodiâ haberi jussit. Sed Thalassiarcha Venetus, Riva, barbaricam hanc insolentiam notabiliter ultus est; Postquam Hellesponti angustias per omnem hyemem ita occlusas tenuisset, ut ab ea parte nihil in Urbem dominantem commeare posset, Mense Majo Turcicam classem in portu *Fochiensi* secure jacentem aggressus ex parte destruxit & quominus totam perderet, ventus mutatus obstitit, quem-

admodum terra propinqua Ducem & plerosque milites subduxit; Veneti quindecim homines, sed naves amisere nullas: Turcæ duodecim, quarum tres captæ, reliquæ incensæ, quas inter, ea quæ pecunias pro *Cussenio* Duce Turcarum in Candia portabat. Cujus rei fama sicut Venetos extulit gaudio & solatio, sic Vizirium more illius Aulæ è successibus homines æstimantes, perdidit; electo in ejus locum *Amurathe* Janizarorum Præfecto, qui antecessorem in exilium proficiscentem strangulari jussit, Prætorem autem Venetum cum suis libertati restituit. Sed Riva perculsos in portu *Fochiensi* nimis properè dereliquit; unde factum, ut novo incumbente Vizirio Præfectoque classis, ad reparandum dedecus acceptum, brevi classem Venetâ longe majorem in altum provexerint, cum quâ suis in Candiâ copiarum omnis generis & militaria supplementa intrepidè, Venetos prætervecti nec congredi ausos, subvexerunt: At cum Præfectus idem classis, impetu inconsulto Sudam aggrederetur, ictu gravioris tormenti caput ipsi & exercitui ablatum irritam fecit oppugnationem. In Urbe Candia *Gillio d'Assio*, quem præsidiarii diutius ferre non poterant, surrogatus erat *Coloredus* Comes: Cussenius Turca rebus omnibus, exceptâ pecuniâ, quæ perierat apud Fochien abundans seditione militum gravissimâ ægre defunctus, Urbem à parte Occidentali summâ vi aggressus est, maximè ubi munimentum erat, cui nomen *Bethleemo*, prætex-

tex-

textum *Mediâ Lunâ* & opere Mozenigo, quod vocabant. Hoc cum noctu invaderent ſine ſpe & propoſito occupandi, à Gallis præſidiariis abſurdo metu deſertum & ab ipſis occupatum eſt: ipſâ quoque mediâ Luna ſimili vecordiâ à cuſtodibus derelictâ. Sed poſtridie animadverſo errore damnoque, priuſquam Turcæ adhuc plane ſe compoſuiſſent, Georgius *Moroſinus* Proviſor exercitus, Dominicus *Pizzamanus*, *Diedus* & alii, quibus ſe pudore nocturnæ fugæ junxerunt ſtationis deſertores, tanta vi in Turcas irruperunt, ut illos è mediâ Luna præcipites ejecerint; Sed Cuſſenius nihilo ſegnius impetu renovato, cum præcipuus oppidanorum eâ parte propugnator Georgius *Cruta* cecidiſſet, mediam Lunam recuperavit. Rei momentum fecit, ut obſeſſi rurſus novis & firmis ordinibus, majore etiam audaciâ ad repellendos Turcas prodirent, qui locum diu pertinaciſſimè ſuper cadavera defenſum, poſtremò amiſſis plus mille militibus & quatuordecim ſignis, frendente Cuſſenio, reliquerunt. Idem fere uſu venit ad munimentum *Panigræ:* Sed & tertia adverſus Coronam S. Mariæ dictam vis irrito conatu & jactura non levi hoſtium refutata eſt. Quibus rebus factum eſt, ut Cuſſenius vim oppugnandi in laborem fodiendi & cuniculos agendi converterit, æquè tamen evanido ſucceſſu, per operas obſeſſorum ſubterraneas in contrarium inſtitutas. Reliquum tempus, adſiduâ tempeſtate bombarbarum & imprimis bombarum, qui-

bus castra multo magis quam urbs infestata fuerunt, aliquando & eruptionibus, ita exactum est, ut Cussenius Octobri fere medio in tutum se recipere & longinqui obsidii munimentis sese occultare coactus sit; Obsessis, portu libero, Venetis mari prævalentibus, nulla rerum necessariarum inopiâ laborantibus, sed etiam munitiones suas augentibus & emendantibus. Interim Turcica classis occursum Venetæ jam fugiens Constantinopolim se recepit, parte tamen extra Hellespontum relicta, quæ occasiones subvehendi commeatus bellicos & supplementa Cussenio observaret. A quâ brevi postea in Candiam expositus est *Aga* sive *Præfectus* Janizarorum, quem Cussenius missum credens, ut sibi caput auferret, tantum quod ingressum insulam, interfici curavit. Intellexerat, esse, qui accusarent ipsum, quod ambitione prava suoque commodo bellum continuaret; quos ille negligentiæ submittendi auxilia & supplementa redarguens, è tuto & è longinquo suos labores atque pericula despicere & insectari querebatur, Verâ causâ utrimque dissimulatâ, quod Constantinopolitani hominem prævalidum *Ibrahimi* Sultani favore imbutum & conspirationis adversus eum expertem in Imperio vitâque relinquere periculosum putabant, Cussenius se contra illorum machinationes præmunire, nec Imperio præsentis belli cedere fas credebat, Expers tamen fuit consilii rebellionis in Asiâ: quam Equites junctis sibi Janizarorum sedecim millibus

bus ſub *Caidario Bacha*, moverunt, auſi copias ſuas Urbi admovere, poſtulantes capita Muftii, ſive Pontificis, & Judicum, qui ſacrilegam adverſus *Ibrahimum* Imperatorem ſententiam protulerant; ſecretis ex Aula hortamentis eorum, qui præſentem Vizirium ſublatum cuperent, invitati. Sed Amurathes Patronum ſe Muftii & ſacri Judicum Alcorani interpretum ordinis Profeſſus, ſublato *Mahometis* prophetæ ſigno maximo, è continenti quadraginta hominum millia collegit, cum quibus rebelles ex improviſo aggreſſus, haud difficulter eos oppreſſit & diſſipavit, captivis apud Urbem infami ſupplicio adfectis. Muftius tamen imparem ſe invidiæ magnitudini ſentiens, abdicato Pontificatu, privatæ fortunæ latebris ſecuritati ſuæ conſulendum putavit. In Illyrico tentatum aliquid à Venetis ad deſiderium Albaniæ populorum, ſemper ad excutiendum Turcici Imperii jugum paratorum; quibus accedebat exſul Turcicus, *Iaccha* Sultanus, qui ſe Verum Othomanicæ domus heredem, narratione dramatica prædicabat; aliquandiu ſuſtentatus à magno *Hetruriæ* Duce, nomen ibi adſumſerat *Alexandri* Comitis *Monteneri*; cujus operâ Venetis uti viſum eſt, ad faciendum periculum, quid inopina res apud barbaros aut prætextum defectionis quærentes efficere poſſet. Effecit hoc, quod ſolent exulum ſpes imaginariæ, ut magno conatu nihil ageretur, *à Bartolomæo Cornaro* cum claſſe non ſpernenda, tribus peditum millibus &

ducentis equitibus in Dalmatiam misso, in qua hoc anno præter excursiones mutuas, in quibus *Morlachi* partes suas egregie administrabant, nihil actum; Peste, præter humanas clades, horrendum in modum in illo tractu urbes agrosque depopulata. Sic explicitus est annus MDCXIIX.

Principium anni *sequentis* ad res BELGICAS orationem nostram reduxit. Durabant ibi contentiones de minuendis Reipubl. sumptibus, dimittendis cohortibus & contrahendis reliquarum numeris: *Hollandis* à reliquis nationibus & à Principe adhuc discrepantibus; etiam verò *Zeelandis*, sed in diversum; quando nullas omnino dimitti cohortes vel ad minores numeros reduci volebant; cum reliquæ, nonnisi in quantitate, Provinciæ ab *Hollandis* dissentirent, quibus *Zeelandi* postremo se conjunxerunt. Hollandi refutandis sociis inter alias rationes, sic instituerunt; Se comparatione reliquorum sociorum nimis esse gravatos in contributione pro causâ communi. Ejus rei argumentum esse, cum, quod socii tam liberales essent præ quam ipsi ferre possent in alenda militiâ, tum quod illi rationes ærarii sui facilius expedirent; adducto *Frisiorum* exemplo, qui abrogato ingente vectigalium numero, *ducenta florenorum millia* in acceptis amplius quam in expensis annuis haberent; cum ipsi retentis omnibus tributis & vectigalibus, tamen *decies centena florenorum millia* quotannis ad expensas desiderarent. Proinde socios recte consulturos idque factu opus esse, quo nova partitio inter na-

nationes inſtitueretur, onuſque Hollandiæ levatum pro ratâ cæteris accreſceret, ejuſque rei hanc rationem propoſuerunt. Hollandia, quæ nunc de centum florenis daret 58 cum ſex ſtuf. duobus & quadrante minutis, dehinc ſolveret 42. Gelria 7 pro 5--12--3. Zeelandia 13, pro veteri ſummâ 9--3- 8 Ultrajectini 8 pro veteribus 5--16--7¼. Friſia 17 pro 11--13--2¼, uti nunc ſolveret. Tranſiſalania 5 pro 3--15--5. Groningani 8 pro 5--16--7. Quod ita non adeo ut obtinerent, quàm ut ſocii in ſententiam illorum tranſirent, movebatur. etſi in neutram partem valuit, utriſque & ſingulis tam in opinione de re controverſa quàm de contribuendi proportione perſeverantibus. Quin etiam indignè reliqui ferebant, Hollandos adeo eſſe obſtinatos in causâ, quæ non ultra *centum imperialium millia* in univerſo diſcrimine contineret. Concitatis tamen & ſenſim exacerbatis partium animis, nihil tam modicum fuit, quod divortio animorum fovendo non ſufficeret; Neque tolli potuit diſcrepantia, poſtquam Hollandi ſub finem menſis Maji in certas Principis & Ordinum Generalium propoſitiones conſenſerant, quæ tres fuerunt. I. Ut *quinquaginta quinque centuriæ peditum exterorum & XII. Equitum dimitterentur*, II. *Ut reliquæ turmæ reducerentur à* LX. *equitibus ad quinquaginta*; III. *Ut equites gravis armaturæ, quos* Curaſſerios vocant, in *ſclopetigeros mutarentur*. Viciſſim poſtulabant, aliter in prioribus non acquieſcentes, ut ſocii concederent in hos articulos; I. *Ut ſtipendia mili-*

litaria Ducum & ordines ducentium ita minuerentur, quemadmodum ab ipsis antea propositum fuisset. II. *Ne ordinum ductores dimissi ullis gauderent stipendiis*, quod Princeps & Ordines Generales, illis suppliciter rogitantibus, æquum censuerant. III. *Ut mercedes hospitiorum, quæ* servitia dicuntur, *stipendiis exactè solvendis, abolerentur.* IV. *Ut peditum centuriæ à numeris* LXX *ad* LX *reducerentur; turmæ vero adhuc octo, præter* XII *superiores dimitterentur.* Hæc si intra sex septimanas à sociis concederentur, Hollandiam pro tempore in his acquieturam. Ventilata sunt hæc in Consessu Ordinum Generalium, Principe, *Wilhelmo Nassovio* Frisiæ præfecto & Consilio Status die XXIX. *Maji.* & decretum; Placere, quod Ordines Hollandiæ, Sociis in quibusdam rebus adsensum præbuissent; sperare atque rogare, ut in cæteris etiam se conformare vellent; in quibus non videri causam *Ordinibus Generalibus*, Principi, Præfecto Frisiæ & Consilio Status quicquam mutandi. Sed Hollandiæ Ordinibus ita visum est; quo magis ipsi reliquis facilitatem suam accommodarent, eo majorem in illis spectari duritiem & pervicaciam. Ideo *pridiè Nonarum* Junii, sive *Pentecostes*, elaborato consensu, quem tamen non habuerunt unanimem, decreverunt initium facere dimissionis separatæ, neque solutus est Ordinum *Hollandiæ* conventus, antequam literæ scriptæ & signatæ fuissent ad *duodecim* equitum ductores *unumque & triginta* peditum centuriones, Hollandicæ par-

partitionis, quibus significatum est, illos esse dimissos nec amplius quicquam illis ex Hollandiæ ærario pro se militibusque suis solutum iri; quod etiam procuratoribus eorum stipendia sollicitantibus insinuatum, ne quid iisdem centuriis, ut fieri solet, amplius prorogarent. Quo facto, credentes, se rem suam bene solidéque curasse, lætique Rempublicam agnoscere jus & vim suam, ad sacra diesque festos celebrandos domum se contulerunt, Hac re cognitâ, Princeps *Arausionensis*, cui persuasum erat, optimatibus id sedere consilii, Rempubl. suo arbitratu regere, Principem & Præfectos habere pro ministris, eosque tali potestate, quâ se altius efferre possent, exuere vimque militarem idcirco dissolvere; neque dictis aut rationibus, ut erant ingenia præcipuorum, quicquam hac parte mutationis esse sperandum, ita statuit; *Si flectere non posset hæc consilia*, frangi debere, dum possent & frangendi facultas adesset. Non deerant, qui id Eum jure facere posse contenderent eique inculcarent, non esse faciendum, ut se ad ministerii subjectionem redigi pateretur. Ipsum partes Præfecturæ sibi delatæ *jure Principatus* tenere, tanquam à reliquâ Facultate regendi Rempubl. decisas, in quibus Majestatem Reipubl. sine respectu ad Optimates ac independenter ab illis *repræsentaret*, quod ex ipsius *Grotii Optimatium Patroni*, *libro de jure Reipubl. Batavæ*, referentis Batavos, abdicato Hispaniæ Rege, Rempubl. *non sine Principatu*, qui penes Arausionensem colloca-

locatus sit, constituisse, probari solet. Verum hanc rationem tum quidẽ præferre nihil opus esse visum fuit, *Ordinum Generalium* auctoritas & potestas ex obligatione fœderis sive *Unionis Ultrajectinæ*, quâ *Hollandi* ipsi juxta reliquos Fœderatos ad alias provincias vi cogendas non semel usi fuerant, sufficere judicata est. Quapropter *Nonis Juniis*, ipso *Pentecostes* festo die, statim à primâ concione sacra, Consilium Status, Princeps & Præfectus Frisiæ cum Ordinibus Generalibus in horum diæta Conventum egerunt ibique præses Consilii Status hoc modo loquutus fertur. *Celsissimus Princeps, Excellentissimus Comes, & Consilium Status*, Domini Potentissimi, *hunc Conventum extra ordinem indicendum putarunt, in quo de negotio ad summam Rempubl. pertinente referrent & decretum hujus Celsissimi Ordinis implorarent. Factum est die hesterno, ut Nobiles & potentes Ordines Hollandiæ decretum in suâ Diæta fecerint, quo turmas & centurias sui, partitionis, ærarii, seorsim contraque voluntatem Sociarum nationum dimitti jubent, eamque rem è vestigio imperiis ad Ordinum ductores perscriptis executioni mandarunt. Quam rem ejusmodi esse intelleximus, ut non sine eximio animi dolore & sollicitudine sequelas ejus præsumere possimus. Non potestis non meminisse, Domini potentissimi, decreto vestro die* x. *Aprilis facto nobis esse mandatum, ut daremus operam, ne qua dimissio vel diminutio copiarum militarium separata, jussu scilicet unius alteriusve Provinciæ fieret. Proinde recte atque ordine nos esse facturos credidimus,*

si Or-

si Ordinum ductoribus scriberemus, uti factum est, ne milites dilabi paterentur, sed jurisjurandi vestris Celsitudinibus præstiti recordati, vestrum vel Celsissimi Principis jussum expectarent. Quod illos quidem ita facturos confidimus; sed cum hæc sit provisio duntaxat temporaria, facile, Celsi Potentes Domini intelligitis, aliis opus esse rationibus & remediis, quibus hoc malum & incommoda inde resultatura præveniantur. Quod ut sine morâ pro auctoritate prudentiâque vestra satagatis, momentum negotii postulat, & Celsissimus Princeps, Excellentissimus Comes & nos obnixe rogamus atque hortamur, ita quemadmodum ad concordiam, quietem & utilitatem publicam expedire judicabitis. Hac relatione factâ, placuit majori præsentium parti, ut primo ad Ordines Hollandiæ, hoc est, ad singula membra civitatesque Provinciæ fieret ac institueretur admodum notabilis legatio, quæ omni meliore modo rogaret atque suaderet, ut dimissione turmarum & Centuriarum omnique diminutione numerorum militiæ receptæ, sine consensu Ordinum *Generalium* abstinere vel supersedere vellent. A quibus autem ista legatio adsingulas civitates obeunda videretur, id arbitrio & electioni Principis committebatur. *Eidem fiebat potestas, curandi & prospiciendi, ut Respublica in pace & quiete conservaretur, inprimis ut Unio sive fœdus Nationale cum sequelis & annexis suis vindicaretur & ex adverso impediretur obviamque iretur omnibus, quæ in contrarium instituerentur.* Cujusmodi generale mandatum habuerat etiam

Man-

Mauritius Princeps, paulo antequam mutationes anni MDCXVIII. ſunt perpetratæ; quarum memoria Optimatibus, ne ad extrema cum Præfecto ſuo contenderent, exemplum præbere potuiſſet. Tum quidem declaravere, *ſe nullo modo conſentire in id quod eâ ſeſſione decretum eſſet*, ſed repetitum velle, quod antehac ſæpe pro jure Dominorum ſuorum demonſtraſſent iiſdemque ſe reſervare facultatem contra decretum hoc ſtatuendi & faciendi, quod ipſis videretur. Gelri quoque delegati ſimplicem conſenſum non adhibuere, ſed libertatem ſtipulati ſunt, proximo conventu dictandi quod è republicâ videretur. Princeps Legationis procurandæ certus, ſed monitus, fieri poſſe, uti quædam vel omnes Hollandiæ civitates Amſtelodamenſium ante decennium exemplo, negarent audientiam Legatis, niſi pondus aliquod majoris auctoritatis accederet, ipſe caput Legationis ſe fore profeſſus eſt & ſex Collegas elegit, Dominos, Capellum *Aertsbergium*, *Renſwoudium* & *Clantium* ex Ordinum Generalium Collegio; *Aſperenium*, *Lucam* & *Braſſerum* è Conſilio Status, pro quibus poſtridie petiit ac impetravit literas auctoramenti, quod Ordines Generales cum multâ Præfatione laudis, ob zelum, quo ſe Princeps huic labori ultro, ne quidem rogatus offerebat, impertiti ſunt, Hollandis iterum, ut antea, proteſtatis: Gelriſque totam rem ſuis Dominis reſervantibus. Cum autem in vulgus hæc conſilia & diſceptationes exirent, non defuere

ſtu-

ſtudia & cenſores in utramque partem. Concionatores, quibus auſcultabat promiſcua plebs addicta Principi, iniqua optimatibus, quorum multi *Remonſtrantes* aut eorum factionis conſortes erant, nihil ajebant certius eſſe, quam hoc agi, ut *Unio* Nationalis rumperetur, exagitabant ingratitudinem adverſus illuſtrem domum Naſſavicam atque Militiam; nec minus affectum erga Hiſpanos arguebant, quorum Legatus quibuſdam Hollandiæ Procerum familiaris & nuper argenti pondere, nocturno tempore, inuſitato ſtipatus eſſet, quo amicos faceret ac animaret. Plane eâdem viâ, qua tempore duodecennalium induciarum, hoc tempore procedi; modo ſaltem diſpari, tunc Religionem nunc Militiam omnia turbandi ſuppeditare prætextum. *Ab alterâ parte*, jus optimatium, nomina Libertatis & Hollandiæ prærogativa magnificari, Nationes reliquas huic invidere, ideoque Principem ſequi, Cui cœca plebs adhæreat, Pauci Proceres ſuæ utilitatis ergo adulentur. *Quem alium Pacis fructum, quam ut milites dimittantur; quam aliam eſſe minuendi æris alieni, Principum ambitione contracti, rationem, quam ſanctiſſimum parſimoniæ inſtitutum, quo nemo lædatur, populus allevetur? Summam eſſe impudentiam huic inſtituto velle reluctari.* Hæc aliaque concionum, colloquiorum libellorumque frequentem materiam, alimentum & Præſagium majoris motus ſuppeditabant. Poſtquam *Hollandorum* Adſeſſores in *Ordinum Generalium Collegio*

revo-

revocationem decreti de Legatis per *Hollandiam* mittendis, oblata Ordinum suorum extraordinaria convocatione, non impetrassent; quia non poterant neque volebant implere conditionem illis propositam, si *literas separatæ militum dimissionis revocarent*, Princeps & Legati sine mora die VIII Junii, ingente Nobilium ordinumque ductorum, sua studia libenter scilicet conferentium, comitatu, profecti sunt *Dordracum*, cui ut Urbium Vetustissimæ primus honos debebatur. Quum illic horâ noctis undecimâ, postquam civium cohortes & præcipui Rectorum Principi honorem habituri, jam essent digressi, appulissent, primo mane rogatus est Consul, ut *Senatum juxta Scabinos & Octoviros* convocaret; Qui sub protestatione *de non præjudicando*, quandoquidem hæc esset novitas insolens, solius Principis respectu, facturum se, quod rogatus erat, promisit. Cum illuc esset ventum, *Capellus* Aertsbergius idem qui Frisios aliquando tam valide tractaverat, habuit orationem hujus argumenti, quæ & in cæteris urbibus iisdem verbis est repetita. *In Belgio fœderato ingens ortum esse incommodum è separatâ dimissione atque diminutione militum ab Hollandiæ Ordinibus institutâ, contra sententiam reliquorum Sociorum, Celsissimi Principis, & Consilii Status, ad quos Militiæ arbitrium inde ab initio Fœderis Ultrajectini pertinuisset. Mutationem modo inchoatam inferre periculum maximæ Confusionis & Fœderis illius violationis, quæ Nationes*

iterum

iterum faceret obnoxias veteribus malis oppressæ Religionis & libertatis, quam hostes igne ferroque rursus essent persequuturi. Cui manifesto discrimini præveniendo hanc legationem esse decretam, cui Celsissimum Principem, singulari pietatis erga Patriæ salutem suorumque majorum exemplo, aggregare se non esse gravatum. Notum esse reformati initium Euangelii, quantis ejus Confessores malis conflictati sint, quanta Antichristi & ejus satellitum irâ oppressi, quantum sanguinis haustum: Testari *Zutfenam*, *Naerdenam*, *Leidam*, *Oudewateram*, *Harlemum*, ipsumque Ducem *Albanum* de Octodecim millibus Carnificum manibus sublatis gloriatum (hæc & reliqua de ferro & flammâ à multis frigidè arcessita videbantur) Principem *Wilhelmum I.* solâ miseratione Patriæ & Religionis oppressæ suum corpus ruinæ supposuisse, reperto inter alia præsidio Fœderis Ultrajectini; Cujus observantiâ Fœderatum Belgicum opibus & gloria esse auctum, esse augendum; neglectu ejus omnia pessum itura; quo spectent novissimæ disputationes & conatus contra jus Fœderis sanctissimi, *Qua de re superius acta referuntur.* Persuadendis Hollandiæ Ordinibus primo Legatos ad Conventum eorum Hagiensem officiose missos inrito successu; Ideo præsentem Legationem extra ordinem esse decretam; Levandos esse populos, parendum æri alieno, id omnes intelligere Nationes; sed esse modum in rebus, nec hostibus exponendam inermem Patriam, Separatum

tas utique missiones militumque diminutiones ab ipsis Hollandiæ Ordinibus, ut fœderi contrarias, antehac esse vituperatas. Idcirco petere se ab hac civitate Dordracena, ut in illo Fœdere perseverare velit & reparare quod in contrarium nuper ipsorum quoque Legati in Ordinum Hollandiæ Consessu designaverint. *Quo nomine teneantur & obnoxii sint, per artic. Unionis* XXXIII *vinculo personalis obligationis & pignore rerum suarum remediisque coactivis.* Secundum quæ rogari Senatum, ut cum Sociis Nationibus consensum præsentaneum testari & promittere velit. Digresso Principe Legatisque, re deliberata, responsum est; *Civitatem Dordracenam Legatos suos ad proxima Comitia mittendos instructuram esse Mandato, quid respectu optimi publici, Libertatis & juris Supremi Hollandiæ potissimum expedire judicaret.* Hæc responsio cum non satisfaceret Principi & Legatis, postridie rursus in Senatum, non sine repetita protestatione Consulis, admissi in hanc sententiam per eundem *Capellum* loquuti sunt; *Scitote* Viri Spectabiles, *Legatis eo Responso, quod Principi Celsissimo & ipsis heri dedistis, minime satisfactum esse; nec in animo illos habere, prius hinc discedere, quam rotunde declaraveritis, utrum in Nationale fœdus, è quo exiistis, redire velitis, an secus: Nec adeo, antequam ad propositionem nostram adepti fuerimus responsionem certam, nitidam, positivam, cathegoricam & peremptoriam in scriptis; & prius quam efficaciter prompteque reparaveritis Unionis violatio-*

tionem, cujus juxta consortes Vestros rei facti estis, obnoxii pœnis corporalibus & patrimonialibus, vi legis XXIII. *prædicti Fœderis Ultrajectini. Quod si adhuc dilatorio responso Legatos eludendos putatis, est quod diversas rationes, deinde proferendas expectetis, Dixi.* Habitâ super hac oratione fulminante, deliberatione, placuit hoc modo Legatis per unum è Commissariis responderi. *Audivimus*, Viri Nobilissimi, *Orationem ultimam vestro nomine in Consessu nostro habitam. Ad quam respondere jussi sumus; non esse Senatui in animo, quicquam amplius, quam heri factum, dare vobis responsi. Sed quia vobis placuit, uti dictis duris & comminatoriis, ore Capelli prolatis, scitote, Senatum illis summopere læsum atque offensum esse, ejusque rei sensum quovis modo & occasione executurum. Et quoniam illa dicta fuere calumniosa & contumeliosa contra jus Supremum, Libertatem, existimationem, syncerumque propositum totius Provinciæ, singularumque Civitatum ejus & membrorum, dabimus operam, ut Nobiles & Præpotentes Hollandiæ Westfrisiæque Ordines quamprimum, quid heic actum sit, intelligant, ut debitam & efficacem hujus insolentiæ reparationem in loco & in tempore suo consequamur, Dixi.* Tam infestæ orationes Principe coram habitæ, solo ferro dirimi posse videri poterant. Et, si Optimates vim ejusmodi verba sequuturam non præsumserint, rationes suas, sicut eventus docuit, minus perite putaverunt. Tum quidem Princeps nihil quam moderatè petiit, ut rem denuo ad Senatum re-

ferre vellent, quod ubi recusarunt, inde profecti sunt *Gornichemium*, ubi propositio reverenter audita & responsio cum gratiarum actione fuit adstipulatoria. Sed in eadem civitate duo Commissarii Amstelodamenses adfuerunt, *Oetgenius* & *Hasselarius*, qui nomine Consulum & Senatus Amstelodamensis Principi Legatisque denuntiarunt, Eventurum esse, ut *Audientiam*, si Amstelodamum accederent, in *Senatu non impetrarent*. Inde *Schoonhovium* digressi, responsum ex voto acceperunt. *Goudæ* prius decretum erat, non esse audiendos in Senatu Principem & Legatos; sed quibusdam à Principe compellatis, majori parti secus visum est; At responsio fuit generalis & sine scripto. *Roterodami* & *Brielæ* bene recepti & responsum adsentiens acceperunt, verum sine scripto & cum relatione ad id quod in Consessu Ordinum essent prolaturi. *Schiedamenses* nihil responderunt, nisi in loco se exprompturos animi sui sententiam: Idcirco Princeps inde subiratus & impransus abiit. Similiter apud *Delphenses*, qui ut Principi aditum in Senatum concedebant, ita *Legatis Ordinum Generalium* negarunt, Comitibus etiam Principis hospitia ad pernoctandum adsignare noluerunt; Idcirco inde recta se receperunt *Hagam*. Postea rursus ad iter accincti *Alcmariam* petierunt, ubi benevole auditi par responsum acceperunt, verbis tamen generalibus & ore duntaxat. Eodem modo apud *Hornam* & *Enkhusam* excepti sunt, nec aliter in minoribus oppidis:

pidis: Nisi quod *Medenblicenses* obviam misere, qui Principem rogarent, ne suam urbem intrare vellet, esse vias fœdas & sibi deesse copiam decore Principem cum suis excipiendi. Quas preces etsi è quo principio venirent intelligeret Princeps, vel admittendas vel una cum oppido spernendas putavit. Non eâdem erga *Amstelodamenses* usus est indulgentiâ vel *indifferentiâ:* Cum enim *Edamum* rursus ad eum à Rectoribus Amstelodami *Geelvinkius* & *Spiegelius* venissent, iterum rogantes, ut urbem suam præterveherentur, *ne Magistratus aliquid Principi ingratum facere cogerentur*, nihilo secus cum Legatis, non metuens repulsam, in ipsam urbem perrexit. Ubi cives, sicut ubique, in armis, Consules Principi adventum gratulati sunt, paratos se dicentes, ut Præfecto Provinciæ omnem ipsi honorem exhibere; sed rogati audientiam in pleno Senatu Principi legatisque impertiri, ad infitias iverunt & in iis perstiterunt, dicentes; *si quid vellent, hoc eos Consulibus exponere posse, qui cum Senatu, ut mos Civitatis esset, agerent.* Legatis igitur refutatis, Principi Amstelodamenses ulterius tentare eorumque injuriam adversus suam dignitatem visum est facere conspectionem: Quasi *Gubernator* Provinciæ petiit audiri, super negotio, cujus antea Consules fecerat certiores. Qui de hoc Principis desiderio cum ad Senatum se relaturos dixissent, postridiè responderunt, *Principi ut Provinciæ Gubernatori audientiam in Senatu non posse concedi.* Inde igitur

haud obſcurâ offenſione diſceſſum eſt, ſine prandio vel lautitiis, quas Conſules enixe paratas offerebant. Sed Princeps nihil uſus circuitione, *Quo pariter edamus & bibamus*, inquit, *oportet amicos eſſe meliores quam ſumus.* Ab *Harlemenſibus* nihilo melius cum Legatis habitus, audientiâ quoque negatâ, *Leidam* conceſſit, ubi pranſi, auditi & æquo reſponſo dimiſſi ſunt, generali tamen & verbali, nec ſine proteſtatione *de non præjudicando.* Eodem die xxv Junii *Hagam* reverſi poſtridiè Ordinibus Generalibus, Legati, coram Principe, quid uſu veniſſet, retulerunt, ipſiſque & maxime Principi gratiis prolixe actis, preces & vota pro ſucceſſu ulteriore ſubjunctæ ſunt. Princeps ejuſdem menſis die xxx in Conſeſſu *Ordinum Hillandiæ* quid ſibi eveniſſet, retulit; de *Amſtelodamenſibus* imprimis queſtus, ab illis ſe contra decus & dignitatem ſuam nec ſine dedecore Provinciæ, quæ ſibi Præfecturam detuliſſet, exceptum, petens injuriæ illius ab Ordinibus reparationem. In oratione pronuntianda animadverſum eſt ab auditoribus; Eum alias placide loquutum, nomen AMSTELODAMI intentiore commotâque voce extuliſſe, dum mox ad placidum rediret tenorem. *Amſtelodamenſes* brevi poſtea ſuam cauſam publico ſcripto defenderunt; In qua præter relationem facti prolixam, declarant, *in eâ ſe fuiſſe animi ſententiâ, totum illud inſtitutum Legationis ad ſingulas Civitates ſuper negotio, quod ad communem Provinciæ deliberationem perti-*

tine-

tineret, ad divisionem excitandam & eversionem Decreti Provincialis excogitatum, esse novum & exempli noxii, nec ideo admittendos in urbem nedum ad publicam audientiam, qui hac gratiâ venirent. Quamobrem binos ad Principem Legatosque missos esse *Commissarios*, ad avertendum Legationis illius in urbem suam adventum. In qua sententiâ se quoque fuisse anno MDCXXXIX. etsi tum res minus haberet difficultatis, eo quod Princeps ipse non adesset, cujus præsentiam ut præcipuum gravamen animadverterent; etiam non omissa lite Dordracena minisque *Capelli* oratoris, illius urbis Rectoribus insinuatis. *Quod autem Principi deinde soli tanquam Provinciæ Præfecto accessum & audientiam in Senatu negassent, ideo factum*, ajunt, *quod characterem* à Commissione Ordinum Generalium non deponeret, quod audiri cuperet super negotio ab eâdem *Commissione* dependente, videlicet, super eo quod *Commissarii* Amstelodamenses ipsi apud *Gorinchemum* insinuassent; Postremo, quod Instructione Præfecti examinatâ, non reperissent, illi jus esse datum, officii ratione, per urbes Hollandiæ circumire, & orationes in Curiis habere: *Sed Præfecto hactenus eodem jure utendum, quo privatis, qui audiri cupientes in Senatu, veniam petere debent à Consulibus, qui si negandam putent dicendi copiam in pleno Senatu, petitoribus utendum esse patientiâ:* Tantumque abesse, uti Gubernatoribus in eo quicquam præcipui sit tribuendum, ut potius illis minus licere debeat;

ne, si quando *Illustres Hollandiæ Ordines* pro summâ Potestate sua aliquid decernerent, quod Præfecto displiceret, is è continenti circum urbes ambulare, cœtus agere in Curiis & blanditiis minisve singulos universosque Rectores aggredi posset, ut de minis per Capellum Dordraci tam notabiliter factum sit; *Quare se petere, Decretum fieri ab Ordinibus, quo imposterum Civitates Hollandiæ & Westfrisiæ ab ejusmodi importunis Legationibus & audientiis liberentur, etiam vero ut de minis injuriisque Dordracenis reparatio injungatur Capello & aliis, qui Celsissimum Principem ad ejusmodi deforme Legationis officium concitaverint.* Denique, id agatur, ut Militia contracta, stipendiis exacte solutis, ordine justo disciplinâque coërceatur & pudendæ fraudes in lustrationibus impediantur; quo ita populus aliquando pacis optatæ fructibus, quos aliæ quædam Nationes Sociæ civibus suis jam bonâ ex parte præstiterint, etiam frui & gaudere possit, Hæc fere illi, minimè fracti animis, ut apparet, & jure viribusque suis præfidentes. Interim Ordines Hollandiæ in diætâ Reipubl. communi, quæ est *Hagæ*, congregati, in hoc toti fuerunt, ut comparatis inter se consiliis & rationibus, globum suum consensionis firmarent & stabilirent, decretumque Provinciale adversus Socias Nationes, quantâ fieri posset maximâ suffragiorum prærogativâ tuerentur. Qua in re totum causæ momentum constituebant Viri sapientes, destinati, ut novo exemplo, quam

sit

ſit inanis & noxia Togatorum adverſus armatos extrema pervicacia, demonſtrarent. Satis alioquin auctoritate rationibus & morâ profecerant, eò redactâ militum dimiſſione jam pridem, ut tam exigua inter ipſorum & ſociarum gentium propoſitum ſupereſſet diſcrepantia, vix uti diſceptatione verborum, nedum tanto animorum motu digna res videri poſſet. Sanè poterant eſſe contenti hoc progreſſu, & Principi ſociiſque adſtipulari, duntaxat ad tempus; donec aliam adducendi ſocios in ſuam ſententiam nacti eſſent occaſionem; quæ rebus ita ferentibus, deeſſe non poterat, reliquis æque remisſiones onerum publicorum ac ipſi, deſideraturis. Sed elucebant affectus & ſtudia poteſtatis Ariſtocraticæ oſtentandæ in præcipuis Hollandiæ Rectoribus, hoc tempus idoneum eſſe ratis, ad ſtabiliendum evehendumque jus optimatium ſupra Præfectum & inter reliquas nationes pro virium ſuarum modo excellendum. Nec apud Principem, elati animi juvenem, qui avum, Patruum Patremque meminerat ita præfuiſſe Reipubl. ut Principatum, ceſſante nominis invidia, reverâ nec ſine ſplendore multoque applauſu exercerent, non defuere, qui nunc eundem ludum parari, quem Induciarum tempore *Barneveldius*, *Grotius* aliique egiſſent, eumque nec aliter quam tunc oppreſſus fuerat, refutari poſſe monerent. Semel ſtatuendum, velletne Princeps ita ſe Optimatium decretis, etiam in re militari, ſubmittere, ut deinceps opponendi facultatem

amitteret, an tempestive, dum vires, studia & ministri adessent, obviam ire conatibus hominum ambitiosorum, qui non essent quieturi, donec Gubernatoris officium eò redegissent, ut ne more Mauritiano in ordinem redigi nec amplius ullo modo coërceri possent. Quod si Præfecturæ dignitatem & potestatem inde ab initiis Reipubl. sartam rectam hucusque conservatam suâ negligentia & pusillanimitate diminutam & obrutam nollet, *hoc esse tempus, quo fractâ paucorum contumaciâ, exemplum statueret in eos, qui salutare Reipubl. temperamentum ex unius & paucorum potestate prudenter à majoribus adornatum dissolvere & oligarchicæ factionis dominatione Principem æquè ac populum subigere vellent.* Hujusmodi & forsitan acrioribus hortamentis æger & offensus generosi juvenis animus facile ad experiendam vim adversus capita factionis oppositæ excitatus & magis magisque confirmatus est. Per aliquot tamen dies adhuc propositionibus hinc inde conciliandi causa factis collaboratum est. Ordines etiam Hollandiæ decretum, quo Legationem circularem improbabant, orationemque Legatorum in urbibus habitam refellebant, hactenus inhibuere, ne, quod erat constitutum, *Ordinibus Generalibus* illud exhiberent Actisque eorum inseri curarent. *Commissarios* etiam è suo corpore, qui cum Principe de medio inter sententias oppositas cernendo agerent, misere, quod facile, si ratio affectui & studio contentionis par fuisset, inveniri potuerat; Inter

illos

illos tamen expediri non potuit. Ideo Princeps & Consilium Status ultimum controversiæ temperamentum scripto comprehensum *Ordinibus Generalibus* exhibuerunt; In quo primo omnium facto opus esse ponebatur, ut cohortes turmæque seorsim ab Hollandis dimissæ interim stipendia sua perciperent. Porro dimitterentur adhuc sedecim turmæ, facientes numerum MCCCXL *equitum*, & manerent in stipendio *tria millia*. Mutatio *Curasseriorum* in sclopetigeros fieret, exceptis Prætorianis tam Principis quam *Wilhelmi* Comitis turmâ, de peditibus mitterentur centuriæ LV, cæteræ quinis hominibus minuerentur, mittendis ita hominũ MMMDCCLV, mansuris tunc in stipendio, centuriis CDXV. numero XXVI *millium*, CCCXV, qui numerus minor esset, quam fuerat induciarum tempore, licet tum Regis Galliæ stipendio insuper extra ordinem alerentur duæ turmæ & triginta peditum centuriæ. Porro mercedes hospitiorum parte dimidiâ minuerentur, Sub exactâ solutione stipendiorum. At ordinum ductores qui mitterentur, honestis stipendiis esse fovendos, dum viverent, aut dum heic vel alibi rursus adhiberentur. Tribunis etiam qui adhuc retinerentur & præfectis locorum in limitibus, adsignanda stipendia, quibus honeste se tueri possent, quorum summa exprimebatur. Hæc ita proponi, non quod securitati Reipubl. hoc tempore sufficiant, verum ut finis aliquando contentionum fiat & confusio militiæ atque ærarii præveniatur,

tur. Hac propositione ab Hollandiæ Ordinibus examinatâ, visum est illis etiam propius accedere; mansitque discrepantia in his articulis. *Socii mittunt* XVI *turmas, Hollandi* XX. In centuriis mittendis conveniunt; Sed reliquis Hollandi detrahunt denos, *Socii quinos milites; Mercedes hospitiorum à sociis parte mediâ diminutæ ab Hollandis abolentur. Ductoribus Ordinum dimissis, paulo minora destinant Hollandi stipendia, quam Princeps & socii fecerant; Veluti ductoribus turmarum hi dant* MCC. *illi mille florenos. Centurionibus hi* DCCC, *ill* DCC *florenos tribuunt, ac ita fere in pauculis aliis.* Ut jam manifestum esset, si adhuc contentio duraret, statuendum, animos studio contentionis potius quam salutis publicæ respectu manere divulsos & esse prorsus inreconciliabiles. Hollandi quidem rationes suas prolixâ epistola singulis Nationibus exposuerunt, datâ die XXVII Julii, neque difficulter obtinuisset, si cum solis nationibus fœderatis res fuissent; At hæ Principis auctoritate in diversum trahebantur; qui hoc tempore in ipso *Ordinum Generalium* Cœtu præsens, febri correptus, domum & cubitum concessit. Post venæ sectionem aliasque adhibitas curationes tum quidem periculum majoris mali, quod à morbillis, qui dicuntur, metuebatur, liberatus est; neque jam tum deerat, qui diceret, *Si Princeps moreretur, Hollandos non accepturos alium Gubernatorem,* quod sine apocalypsi facile prædici poterat. Sed vota, vaticinia, literæ, libelli rationesque disce-

diſceptatæ jam parum ad rem controverſam pertinebant, *Arauſionenſi* Principe diverſam ingreſſo decidendi viam. Habebat ſibi concordem & obſequentem *Wilhelmum Fridericum* Friſiæ Gubernatorem, etſi coactum ei cedere Provinciam ſuam, uſufructu ſibi reſervato, ut pridem intelleximus; quem Hollandi, mores ejus & inſtituta alioquin eximiè probantes, libenter æmulum Principi & ſpes ſuas ab illo dividere voluerant. Quod ſi in mentem illi veniſſet, conſecutis temporibus ad majora non leve momentum illi conferre potuiſſe, dein videri voluerunt. Cum hoc Princeps occupandæ *Amſtelodami* conſilium ſtratagemate militari communicavit. Urbs in alta pace procul à Limitibus ſita nullas cuſtodiæ cautiones in mœnibus aut in portis obſervabat. Princeps habebat jus *patentium*, quod vocant, id eſt, imperiorum, quibus moventur & agere jubentur milites. Quicquid ad Vahalin, *Rhenum* & *Iſalam* cohortium turmarumque agebat in præſidiis, ſub noctem d. XXIX Julii, ſecreto juſſum erat *Abcoudam* ſe conferre, quo poſt mediam noctem venit *Wilhelmus Fridericus*; cui ſic erat mandatum; ante lucem vel prima luce ingredi *Amſtelodamum*, per portam *Antoniabnam*, quam à *Gentilloto Gallo* cum quinquaginta ſelectis militibus *Ultrajecto* nave onerariâ appulſo, ſine ſtrepitu occupatam eſſe oporteret. Nihil hoſtile deſignandum erat, ne quidem ſi armis aut ſclopetis impeterentur, *niſi admodum enormis illata vis foret*, quam vi propulſare liceret;

ret;

ret; Dicerent, *se venire ut amicos, pacis & concordiæ causa* restituendæ, stabiliendæ. Procederent ita stabili & tranquillo gradu in forum, Curiam & portas occuparent: darent operam, ut rationem eorum, quæ in civitate fierent, reddere possent. Turmarum ductores præditi erant auri signati copiâ notabili, tam ut equitibus suppeditarent, quam ut plebis oppidanæ promptiores auro potius quam plumbo vel *ferro* pacarent. Quominus hæc ita, ut in conclavi disposita erant, in opere administrarentur, duabus imprimis rationibus factum est, quibus usa est divina providentia ad impediendam rem ancipitis eventus & periculi plenam. Quippe, pars equitum *Neomago*, *Arnhemio* & illinc viciniæ venientes à viâ militari nocturnis tenebris, quæ etsi mediâ æstate densissimæ, pluvia effusâ magis implicuerunt iter facientes, aberraverant, ita ut *Wilhelmus* Comes nonnisi quatuor turmas sub Barone de *Donâ* & *Somelsdijckio* Abcoudæ offenderit, nec ante lucem reliquas habere potuerit. Altera causa fuit ab insigni negligentiâ, quod ductoribus saltem qui longius venerant, nihil aliud mandatum esset, quàm ut turmas suas *Abcoudam* adducerent, non etiam ut vias obsiderent & sisterent iter facientes. Quâ re factum est, ut Cursor *Hamburgensis*, *Amstelodamum* properans, in urbe nuntiaverit, se transvectum esse per medias equitum turmas & cohortes, ut putabat *Lotharingicas*, tendentes *Amstelodamum*, quod à Prætore Muideno dein equo

cele-

celere in urbem vecto clarius adfirmatum est. Quo factum, ut cum *Wilhelmus* Comes jam provectâ luce cum omnibus copiis portæ Antonianæ, quam *Gentillotus* in tempore præsens, at copias à quibus sustineretur, non videns, occupare non ausus erat, appropinquaret, illam non modo clausam, sed etiam muros armatis instructos, tormenta foras obversa, detectum & oppressum stratagema suum animadverterit. Nam Consul *Bickerus*, reliquis absentibus, audito Nuntio, civibus ad arma vocatis, pontibus sublatis, mœnia tormentis ex armamentario subvectis instruxit, nec quicquam incustoditum reliquit. *Wilhelmus Comes* habito super statu rerum præsenti Consilio militari, cum eo rem adductam videret, ut neque dissimulari neque salva dignitate retrocedi posset, ne quid de instituto, præter quod res erat, sinistri præsumeretur, faciendum putavit, ut Epistolam, quæ, si res habuisset successum, Magistratibus tradenda fuerat, per tubicinem in urbem mitteret, his verbis conceptam, *PRINCEPS ARAUSIONENSIS; Honorabiles, Prudentes, admodum discreti, speciales, boni Amici. Nuper in urbe vestrâ Reipub. causa agentes adeo præter morem à vobis excepti sumus, ut Wilhelmum Comitem Nassavium cum adjunctis militaribus copiis, in urbem vestram, ne quid simile rursus pati necesse sit, mittendum putaverimus, cum hoc mandato, ut in omnibus quieti & tranquillitati consulat. Ne quod adhuc vobis de publicis negotiis proponendum habemus,*

mus, per aliquos male adfectos impediatur: Idque ut adjuvare velitis, rogamus. Hac fiduciâ divinæ protectioni vos committimus, & manemus, Vester bonus amicus G. P. Orangius. Datum Hagæ die XXIX *Julii* CIↃ IↃC L. Erant, qui reprehenderent hanc epistolæ tempore non suo traditionem, quasi consilio Principis eo modo inutiliter divulgato. Sed cùm hoc ipsa res satis indicaret eaque suspicionibus obnoxia esset iniquioribus, nonnisi rectè consultum est, quod literæ animum Principis quam mollissime explicantes, argumento Comiti *Wilhelmo* satis cognito, è continenti publicatæ sunt. Verum ex Urbe post meridiem in armatâ celoce prodiere duo Senatus *Amstelodamensis Commissarii*, *Marsseveenius & Vanderdoesius*, qui Wilhelmum Comitem in circulo militariter cum ductoribus Ordinum deliberantem allocutus, ita in summâ dixit, *Consules & Senatum ad literas à Principe missas respondere non posse, prius quam ab Hollandiæ Ordinibus, ad quos Nuntium miserant, mandatum accepissent. Interim rogare se Comitem, ne proprius ad urbem accedat eique parcat; alioqui se quovis modo vim vi propulsaturos.* Wilhelmus Comes, quid hoc rerum statu agendum esset, incertus, non nimis erat promptus in respondendo; quod illi in metus argumentum trahentes, non veriti sunt addere consilium minax; nihil esse potius quam ut procul ab urbe violentis hominibus plenâ recederet, illic eum minime tuto loco esse videri. Tum vero Comes, nihil aliud, quam se ad

Prin-

Principem *Aransionensem*, cui cœnanti demum rem ut erat significatam fuisse volunt, relaturum esse, declaravit. Hic verò apud *Hagam*, quo malum ad paucos, metus ad omnes perveniret, hanc iniit rationem. Inter horam octavam & nonam matutinam, vocari jusserat ad se, *Jacobum de Wit*, Dordracenum, *De Walium & Reulium* Harlemenses, *Duistium à Voorhout* Delfensem, *Keiserum* Hornanum & *Stellingwervium* Medemblicensem, inter Ordinum *Hollandiæ* viros consilio animisque promptissimos & reliquorum Duces auctoresque habitos. Cum in Auditorium Principis venissent, singulis à legato Prætorianorum *Metcrenio* compellatis indicatum est, eos jussu Principis habitum iri in Custodia, trinisque traditi sunt militibus in diversas abducendi diætas. In quibus ubi essent conclusi, Princeps *Jacobum Catzium* Hollandiæ Ordinibus à consiliis & relationibus, Advocatum sive Syndicum, vulgo *Pensionarium*, vocavit eique rem gestam exposuit; se misisse Comitem *Wilhelmum* cum turmis & cohortibus ad occupandam Amstelodamum, & viros illos inclusisse, quod ut Ordinibus *Hollandiæ* referret, jussit, causantique memoriæ periculum ipse scribendi instrumentum è porticu vicinâ Princeps attulit & nomina dictavit. Rogatus, quâ auctoritate niteretur, respondit, auctoritatem suam esse Decretum *Nonis Junii* novissimis factum ab *Ordinibus Generalibus & Unionem Ultrajectinam*, idemque Ordinibus ipsis Generalibus per

Bronchorstium Præsidem significavit, latiorem illis rationum suarum expositionem pollicitus. Et hi quidem, nihil aliud quam relationem illam esse factam, in Acta retulerunt. Hollandi vero Proceres ingenti consternatione perculsi domum quisque suam se proripuere, proximâ hebdomade reversuri. Palatium interim & Haga cohortibus atque turmis undique arcessitis adversus omnes motus custodiebantur, sermones cohiberi non poterant; Aliis ut pessimum factum & supra Hispaniæ Regum insolentiam insectantibus; aliis necessarium ad tuendam Reipubl. unionem nihilque aliud in eo agnoscentibus, quam quod adversus alias nationes fœderatas & novissime contra *Frisios* ipsorum operâ consilioque Hollandorum, quia Fœderis Ultrajectini legibus non satisfacerent, institutum fuerat. Nec in æquo fœdere propter opum inæqualitatem diversum jus statuendum; Denique, si hoc factum ad exemplum ejus quod *anno* MDCXVIII. gestum erat, ut optimates arguebant, accedere videretur, non pœnitere comparationis; siquidem illâ severitate Reipubl. quietem restitutam & potentiam plurimum auctam fuisse constaret. Princeps interim ad reliquarum Provinciarum Ordines literas dedit, quibus rem, auctoritatem & scopum suum conservandi Unionem & Religionem, Præveniendi vero utriusque labefactationem & dissipationem exposuit eorumque ad tam sanctum opus opem consiliumque imploravit. Postridiè, propter abortum stratage-

ma-

matis, non destituere propositum certus, ingenti stipatus agmine se contulit in castra apud *Amstelovcenam*. Non ignorabant *Amstelodamenses* omnesque Hollandiæ Rectores, hunc actum fore præjudicialem universi status Aristocratici: Ut si Optimates succumberent, nihil imposterum Præfecto suo peremptorie negare se posse vel ausuros intelligerent. Si vim sustinerent, Principem non facile posthac ad ejusmodi violentam invidiosamque dictaturam progressurum. Quod si constantiam induerent, facile præsumi poterat, non duraturam Principi, cujus in successu stratagematis summa consiliorum fuerat, ad bellum civile inflammandum, voluntatem, neque in Republ. vel sociis Gentibus inesse tantum irarum, ut à potentissimâ Belgarum urbe talis controversiæ causâ, in omnem Patriam belli incendium oriri & propagari paterentur. Quin jam *Ordines Generales* legationem numerosam, de vi utrimque dissuadenda viâque concordiæ ineundâ decreverant, neque decretum Principi ingratum esse consensus amicorum ejus arguebat, ut si res parum succederet, cum honore se recipere posset. Non est dubium, quin eis paucos dies æquis conditionibus defuncturi fuerint *Amstelodamenses*, si ratio & concordia Civitatis consilio præfuisset. Hoc autem fundamento deficiente, corruit Optimatium causa plenissimâque potitus est victoriâ Princeps. Emolliti sunt *Amstelodamenses* eo quod ab reliquis Hollandiæ Civitatibus se destitui videbant,

mo omnium, quia, cum rogassent, ut Legatos suos ad se mitterent, quorum consilio ad pacem vel ad bellum uterentur, atque uti Princeps omnem Hollandiam oppugnare judicaretur, nemo accesserat; deinde, quod *Harlemenses* sibi proximos, urbem suam militibus apertam liberosque commeatus permittere, *Leidenses* autem quælibet ad castrorum & oppugnationis usum necessaria inde peti vel transvehi concedere, nec adeo quenquam sua gratiâ se movere cernerent. Quamdiu tamen metus obsidionis & oppugnationis ob oculos erat, satis fuere concordes in urbe, quo vim vi propulsarent; viliorem plebem denis in diem assibus sibi armatoque servitio pignorabant, celoces armabant; parum etiam abfuit, quin aggeres perfodi & circumjecta inundationibus, quarum per cataractas initium fecerant, obrui decernerent, duobus tantum suffragiis ad prærogativam ejus Consilii deficientibus, quorum unius auctor erat *Andreas Bicker*, hauddubie prævidens invidiæ magnitudinem, quando se fratremque in oculis esse maxime, non ignorabat. Cæterum, ubi primum in Castra delatus Princeps, homine in urbem misso, amicam obtulit reconciliationem, incontinenti refrixit ardor civium & inter Rectores invidia & æmulatio occulte operari cœpit in iis, qui mutationem regiminis è conclusione tractatus & dispari super ea re studio distructionem prævalentis in urbe potentiæ prævidebant. *Omnibus in conspectum venit parvitas discre-*

discrepantia, ex qua tanti motus ortum esset certamen, magisque de potentiâ Principis aut Optimatium quam de salute Reipubl. agi; Rem minime esse dignam, cujus causa Civitas incommoda belli & interruptionem commercii, quod pacatis unicè rebus gaudet, pateretur. Jam in Foro, *Bursam* vocant, epistolæ *Genuenses, Hamburgenses, Dantiscanæ* proferebantur, ante tres hebdomadas scriptæ, è quibus liquebat, famam obsidionis, ipsam prævenisse; videlicet, exteris, ex his quæ pridem acta, disceptata fuerant, facilius quid futurum esset conjicientibus ac inde vaticinantibus, quam studia partium in re præsenti, judiciis præstrictis, domi præsumere passa fuerant. Porro serpere etiam & à Magistratibus reformidari plebis erga Principem antiquus favor & obliquus erga præcipuos Rectores animus, utroque *Bickero* præ cæteris invidiæ publicæ obnoxio. Quare tertio obsidionis die missi sunt in Castra *De Gravius* Exconsule, *Vanderdoesius* & *Tulpius* Exscabinis & *Cloeckius* Senator. Postridie circa meridiem convenerat de omnibus, quæ Princeps postulaverat & de quibus antea disceptatum fuerat. *Civitas promittebat, se consensum in id quod Princeps & Consiliū Status super dimissione & diminutione copiarum militarium & reliquo Belli Statu, qui dicitur, novissime proposuerant, esse præbituram; daretque operam Princeps, uti reliquæ Nationes fœderatæ in id ipsum consentirent: Quod si non fieret, sequendam esse præsentem rei militaris dispositionem, duntaxat, dum in viciniâ bellum inter Gallos & Hispanos duraret, haud tamen diutius*

triennio vel quadriennio. Militibus interim, qui separati ab Hollandiæ Ordinibus abdicati fuerant, stipendia præterita & futura solverentur. Si quando Princeps Amstelodamum venire vellet, fore, ut omni cum reverentia reciperetur; & si tanquam Provinciæ Gubernator in Senatu cuperet audiri, liberum ei fore aditum & audientiam præbitum iri. Amstelodamenses cum Principe diligenter imposterum communicaturos rationes & consilia, quibus omnia discordiæ semina diligenter extinguantur & mutua fiducia excolatur. Nihil amplius in controversiâ fuerat, nec erat quod præter hæc ad plenam victoriam Principi adjudicandam deesset; tamen ut evidentior esset prærogativa juris & facti, atque ut Princeps animo suo honorique satisfaceret adversus duos civitatis facile principes sibi maxime adversatos, postulatum est; ut *Andreas & Cornelius Bickeri à Reipubl. administratione removerentur, nunquam ei rursus adhibendi, nisi Princeps, auditis illis, aliter statuisset; Salvâ ipsis fama bonisque, siquidem præsentis rerum status respectu duntaxat id fieret.* Cum in hoc articulo præcipua difficultas esse videretur, Bickeri, horrentes odii magnitudinem in futurum, si propter se pax & salus urbis retardaretur, nec quâ essent apud vulgus invidia neque secretas imminentium vestigiis suis cogitationes ignorantes, ultro in abdicationem consenserunt. Etsi auctor est *Aitzema*, cum Senatus in eâ re conctaretur, duos è *Commissariis* ad Tractatum venisse in Secretarium, unde *bacillum & sigillum*

petie-

petiere, quibus in tractatu jam scilicet à Senatu approbato, signando uterentur. Accessisse verò è *Bickeris* alterum, qui diceret, Senatum adhuc censere, non esse consentiendum in Exchisiónem; Dandam esse operam, ut Princeps ab eo proposito dimoveretur: Sed illos duos, *nihil actum iri illâ in diversum instantiâ*, respondisse, ablatisque bacillo & sigillo in Castra se contulisse ibique omnia nomine Civitatis consummasse. Vix autem illis digressis, Hagâ venisse *Cortenhoevium*, qui res ibi actas & quam majori cum dignitate minorique jacturâ, *mediis Ordinum Legatis, tractari* posset, demonstraverat; paulo serius quam ut res integra servari posset, quemadmodum exiguis sæpe momentis humanæ res vertuntur, confirmatione Tractatus interim festinatâ, factâque subscriptione *die* 111. *Augusti*; præcipitantibus rem, quorum scilicet, intererat, *Bickeros* ad privatam redigi fortunam. Omnibus absolutis, adfuerunt eâdem vesperâ Legati *Ordinum Generalium*, qui cuncta reperientes confecta, cœnam gratulatoriam læti celebraverunt; ubi nec jocis, ut fit, aliquanto etiam acrioribus abstinuere convivantes; *Elementum Aqua*, dicebant Amstelodamenses, *pro nobis fuisset. Et pro me* Princeps, *elementum Ignis*: quæ risu excepta & diluta elemento vini jucunditatem convivii non interruperunt. Populi Belgarum, ut incredibili horrore famam belli civilis acceperant; ut sciam, fuisse familias, quæ solum ideo verterint; non

minore lætitia solutam obsidionem intellexerunt: Quemadmodum è vestigio soluta est, dimissis ad præsidia sua turmis & cohortibus, Princeps verò sine strepitu vel ostentatione triumphi *Hagam* circa meridiem diei sequentis reversus est. Eventu lætus prospero tam adversis initiis, etsi alienissimus ab eo, quod inimici virulentis libellis, quorum nunquam major volitavit copia, exprobrabant, eum in hoc conatu non substiturum, sed novis insidiis imminere *Amstelodamo*, ubi per omnem æstatem continuata est navium visitatio appellentium & conduplicatio vigiliarum; Fossas urbis stipitibus acutis aut trabibus obsepiebant, moenia sua pectorali quem vocant aggere muniebant, centurias civium à numero XXIV ad LIV augebant, quibus duas cohortes mercenarias, præter veteres, adjunxerunt: Etiam muniendi artificem *Antwerpiâ*, nullis fidentes indigenis, Principi scilicet obnoxiis, arcessiverunt. Quæ remedia post amissam causam supervacuæ cautionis visa fuere, nisi quod plebem in metu odioque Principis alebant; de quo satis constat, eum in hac sententiâ post experimentum illud anceps fuisse; Non potuisse omitti, quin optimatibus demonstraret, eum se non esse, qui acceptam ab Antecessoribus dignitatem notabiliter imminui, quod ab illis agi persuasus erat, aut vilescere passurus foret. Hoc si obtineret, nihilo magis optimatium, nedum libertatis communis oppressionem agitare se, quam Patruus &

Pater

Pater eam concupiviſſent, vel expedire ſibi judicaſſent. Hunc animum, quem intimi illius amici, vivo & mortuo illo, ubi nulla mentiendi merces, adſeruerunt, quominus rerum argumentis approbaret, fato, quod eum Patriæ duntaxat oſtendit, impeditus eſt. Tum quidem temporis nihil quam ut telam inchoatam pertexeret, quo finem ſibi propoſitum conſequeretur, expectari poterat. De ſex igitur Proceribus Hagæ captis abſolvendum erat. Poſtridiè quam capti fuerant, duobus vehiculis penſilibus tectis, trini cum trinis incluſi militibus, ſtipati equitibus LXXV & ſclopetariis *quinquaginta* in arcem *Lovenſteinium*, ubi olim *Grotius* & *Hogerbetius* ſederant, abducti ſunt. Heic primo, credentes, Amſtelodamum & reliquas Hollandiæ Civitates maſcule reſtitutas, conſtantiam præ ſe ferebant. Ubi omnes ſuccumbere, neminem voluntati Principis non cedere intellexerunt, nec eſſe, cui darent operam, nullam ſibi portam niſi *Bickerianam* patere videntes, eâdem libertatem ſibi quærendam exiſtimarunt. Primus ex illis *Duyſtius à Voorhout* undeſeptuaginta natus annos, ſecundum leges Delphenſes poſt annum ipſo jure defunctus adminiſtratione Reipubl. ſpontaneam, obtulit & præſtitit abdicationem, à Delfenſibus confirmatam, quâ contentus Princeps eum ſalvo honore, famâ boniſque dimiſit. Idem filiis *Dewittii, Cornelio & Johanni*, qui poſtea par illud memorabile fratrum fuere, ſvaſum & ab illis recuſatum fuiſſe volunt, negantibus, ſe Patrem ad ta-

citam culpæ confessionem addacturos. *Dordraceni* tamen Rectores, juxta *Harlemenses*, *Hornanos* & *Medemblicenses* hoc officio pro suis ministris functi sunt, ut volentes eos dignitatibus suis exoneraverint, atque ita libertatem illorum impetraverint, Principe re ipsa contento neque modum scilicet, quem illi declinabant, exigente supplicationis. Ita omnes *Louvestenio* excesserunt, animis, ut credi par est, dolentibus ac infestis, portantes secum materiam factionis, quæ exinde *Hollandiam* distraxit, ab hujus loci memoriâ dictæ *Louvesteniana*, quæ per annos ter septem parti oppositæ, quam *Arausionensem* vocarunt, prævaluit quidem; sed quod intenderat, ut populos paulatim in suam sententiam & subjectionem *Aristocraticam* transduceret, obstante nativa Reipubl. constitutione, perficere non potuit. Cæterum, isthæc omnia per se Princeps sine speciali *Ordinum Generalium* consensu, significata duntaxat illis, administravit, vi Decreti tamen *Nonis Juniis* ab iisdem facti, quo Principi potestas, *videndi, ut omnia in quiete & observantia Fœderis Nationalis conservarentur*, *facta fuerat.* Intelligebat autem, præter invectivas libellis in vulgus sparsis maledicentissimis, à Proceribus & populis ampliorem causarum, quæ ad tam extraordinariam executionem illum impulissent, expositionem desiderari, quam proinde à *Muschio Graphiario* dictatam, at suo sigillo munitam *Generalibus* & *Hollandiæ* Ordinibus tradidit. Non poterat esse nisi brevis & generalis, in eo quod sæpe

ſæpe dictum erat unicèque dici poterat, fundata, ſcilicet; *Amſtelodamenſes & ſex viros fuiſſe præcipuos auctores ſeparatæ miſſionis, quæ contra fœdus inſtituta eſſet Ultrajectinum, Ex quo reliquis Fœderatis dari jus cogendi non auſcultantes admonitionibus inſtanter & inſtantiſſime factis.* Addita erat comparatio Remedii, quo utimur in publico Incendio, ut *ſi flamma aliter extingui nequeat, proxima domus ruinâ finiatur.* Sanè potuiſſet, etiam debuit Apologia, tametſi in ſummâ non poterat eſſe alia, preſſius elaborari, quam *Muſchio*, qui mane quodam, dum ſe amiciret, ut poſtea conſtitit, uni ex amanuenſibus ſuis, eam nimis obiter dictaverat, viſum eſt neceſſarium. Sive autem hæc ratio quibuſdam cognita, ſive, quod inutile judicaretur, novam ſermonibus materiam dari, viſum eſt, in utroque Ordinum Collegio, Scripturam Principis ſigillo munitam, ita, ut erat, clauſam, quemadmodum manſit uſque poſt obitum ejus, ſeponi. Verum, quod deerat huic apologiæ ſuppletum eſt ratihabitionibus Ordinum ſingularum Nationum, præter *Hollandos & GroningOmlandos*, quorum hi inter illas res geſtas & mortem Principis, alioqui non diſſentientes, congregati non fuerunt. Omnium primi fuere *Zeelandi*, qui decreto d. XVI. *Aug.* facto, & Hagam hac gratiâ profecti, ſolenniter ac Ordinum more, ſalutato Principe, declaraverunt, *obſidionem Amſtelodamenſem & prehenſionem ſex-Virorum jure videri factam eoque rectè applicitum fuiſſe decretum de Nonis Juniis;* Agere ſe gratias

Prin-

Principi pro laboribus officiisque in eâ re adhibitis illumque hortari, ut in eo proposito perseverare vellet. Triduo postea Frisii decreto literisque ad Principem scriptis, egerunt ei gratias pro *molestiâ, labore, providentiâ in conservandâ unione nationum & procuranda consensione circa statum rei militaris; quando quod actum esset (nihil tamen exprimebant) unica fuisset ratio prohibendi confusionem in statu nationum fœderatarum*; Denique *in eâ curâ boni publici perseverare vellet*, rogabant; Ad Præfectum suum *Wilhelmum Fridericum* adhuc apud Principem agentem in eandem fere sententiam scripserunt. Gelri usque ad XXVI Septembris præstolati, de nullo actu Speciali, sed *de universo Principis officio in sopiendis controversiis gratias egerunt, hac fiducia, Illum nunquam desiturum jura & Privilegia Patriæ tueri.* Transisalani uno die prius, expresserunt *obsidionem & prehensionem, utramque se credere Principem instituisse justis rationibus & maturo consilio. Secundum ea gratulari se de successu & agere gratias pro labore, cum voto futuræ prosperitatis.* Ultrajectini die XI Octobris, obsidionem & prehensionem in suis literis memorabant; *Intelligere se, Principem rationes facti sui scripto expositas Ordinibus tradidisse Generalibus, quæ adhuc ibi sepositæ custodiantur; de quibus non dubitent, quin sint prægnantis justitiæ. Secundum quas se approbare, quod Princeps ad conservandam Unionem instituerit & gratias agere pro officiis bono publico adhibitis, amiceque adhortari ad continuationem affectus erga pacem & concordiam commu-*

nem

nem atque imprimis in ſtudio conſervandi religionem Reformatam; quæ clauſula Ultrajectinis propria fuit, adjecta ſine dubio à nonnullis, qui partem oppoſitam minus ab Arminianiſmo alienam putarent. Non deerant in *Ordinum Generalium* Conſeſſu, qui Supplicationem hac occaſione per omnes Eccleſias inſtituendam putarent. Sed hæc ab Hollandis impedita, nec à reliquis omnibus æquè probata fuit, cùm, quod nimis ſolennem præ ſe ferret approbationem & gratiarum actionem pro rebus ancipiti hominum judicio geſtis, tum quod Concionatoribus anſam nimis libere de publicis Actis & conſiliis agendi præbuiſſet. Hollandi ſatis ægrè indigneque ferebant illas gratulationes & laudationes Principi à Sociis nationibus factas; parum memores, etſi comparationem ejus quod ipſis nunc evenerat cum eo quod *Ultrajectini*, *Groningani* & imprimis *Friſii* à Sociis, prætextu vindicati Fœderis nationalis olim variè perpeſſi fuerant, non agnoſcerent; reliquos tamen habere cauſam reputandi, in æquo fœdere nihil præcipui potentioribus eſſe tribuendum, neque moleſte ferendi, quo deinceps adverſus alios in hoc genere cunctantiores fierent. Non fuiſſe tamen cauſam, propter quam violati fœderis rei agerentur & cogerentur, ita quemadmodum factum erat, apologiis deinde ſcriptis probare ſategerunt, cum nemo reſcribere vellet aut proſcribere poſſet. Extrema manus huic operi admota eſt decreto omnium Sociorum facto die XVIII *Augu-*

ſti,

Principi pro laboribus officiisque in eâ re adhibitis illumque hortari, ut in eo proposito perseverare vellet. Triduo postea Frisii decreto literisque ad Principem scriptis, egerunt ei gratias pro *molestiâ, labore, providentiâ in conservandâ unione nationum & procuranda consensione circa statum rei militaris; quando quod actum esset (nihil tamen exprimebant) unica fuisset ratio prohibendi confusionem in statu nationum fœderatarum*; Denique *in eâ curâ boni publici perseverare vellet*, rogabant; Ad Præfectum suum *Wilhelmum Fridericum* adhuc apud Principem agentem in eandem fere sententiam scripserunt. Gelri usque ad XXVI Septembris præstolati, de nullo actu Speciali, sed *de universo Principis officio in sopiendis controversiis gratias egerunt, hac fiducia, Illum nunquam desiturum jura & Privilegia Patriæ tueri.* Transisalani uno die prius, expresserunt *obsidionem* & *prehensionem*, *utramque se credere Principem instituisse justis rationibus & maturo consilio. Secundum ea gratulari se de successu & agere gratias pro labore, cum voto futuræ prosperitatis.* Ultrajectini die XI Octobris, obsidionem & prehensionem in suis literis memorabant; *Intelligere se, Principem rationes facti sui scripto expositas Ordinibus tradidisse Generalibus, quæ adhuc ibi seposita custodiantur; de quibus non dubitent, quin sint prægnantis justitiæ. Secundum quas se approbare, quod Princeps ad conservandam Unionem instituerit & gratias agere pro officiis bono publico adhibitis, amiceque adhortari ad continuationem affectus erga pacem & concordiam commu-*

nem

nem atque imprimis in studio conservandi religionem Reformatam; quæ clausula Ultrajectinis propria fuit, adjecta sine dubio à nonnullis, qui partem oppositam minus ab Arminianismo alienam putarent. Non deerant in *Ordinum Generalium* Consessu, qui Supplicationem hac occasione per omnes Ecclesias instituendam putarent. Sed hæc ab Hollandis impedita, nec à reliquis omnibus æquè probata fuit, cùm, quod nimis solennem præ se ferret approbationem & gratiarum actionem pro rebus ancipiti hominum judicio gestis, tum quod Concionatoribus ansam nimis libere de publicis Actis & consiliis agendi præbuisset. Hollandi satis ægrè indigneque ferebant illas gratulationes & laudationes Principi à Sociis nationibus factas; parum memores, etsi comparationem ejus quod ipsis nunc evenerat cum eo quod *Ultrajectini*, *Groningani* & imprimis *Frisii* à Sociis, prætextu vindicati Fœderis nationalis olim variè perpessi fuerant, non agnoscerent; reliquos tamen habere causam reputandi, in æquo fœdere nihil præcipui potentioribus esse tribuendum, neque moleste ferendi, quo deinceps adversus alios in hoc genere cunctantiores fierent. Non fuisse tamen causam, propter quam violati fœderis rei agerentur & cogerentur, ita quemadmodum factum erat, apologiis deinde scriptis probare fategerunt, cum nemo rescribere vellet aut proscribere posset. Extrema manus huic operi admota est decreto omnium Sociorum facto die XVIII *Augu-*

sti,

sti, quo status rei militaris approbatus & constitutus est eo modo, qui à Principe, Comite & Consilio Status d. xv Junii conciliandi causâ propositus fuerat, secundum quem *missio* atque *reductio* institueretur, quemadmodum instituta fuit, *quinquaginta quinque* centuriarum exteræ nationis & sedecim turmarum. Additum in decreto, Renovari Legem antehac non semel fixam, *Nulli Provinciarum fas fore quicquam militum seorsim sine consensu reliquarum nationum dimittere; Controversiæ autem super ea re nascituræ amicabilibus colloquiis finirentur, aut per viam compromissi à Præfectis Provinciarum deciderentur.* Omni hoc negotio ita composito, Princeps & *Wilhelmus Comes*, in Velaviam, ubi prior *Dierensem* domum illustrem, amœnam loco & venationibus opportunam comparaverat, digressi sunt; & Regia Princeps, factum alto utero depositum præferens *Te lingam* concessit: Animi & corporis omnes à tetricis curis recreandi causâ; quanquam & Princeps oculos in Comitia Gelrica, quæ Zutphaniæ tunc agebantur, habere credebatur, quo Primus ibi Nobilis, possessor in eâ Provinciâ Notabilis jam factus, crearetur. Sed quam in vanum spes suas homines in longum nectant, seque in rebus hujus vitæ minimis, etsi maximæ videantur, fatigent, novum in hoc illustri Principe datum est exemplum. Qui cum rebus ex animi sui sententiâ transactis, in longum consuluisse videretur, atque in hoc esset, ut beneficientiâ publicique boni studio se Belgarum

popu-

populis, alio latere quam nuper, conſpiciendum præberet; Fata viam hanc ipſi necopinato præciderunt. Acrimonia ſanguinis, quæ vere adulto febrim & latentis mali formidinem moverat, venationibus in Velavia continuis & violentis exercitiis, aëre pluvio & ventoſo, excitata ſub finem Octobris die XXVII morbum reduxerat. Fatigaverat ſe prius luſu quodam palmario ad ſudorem uſque abundantem, dein per ſeptem horas equo per campos ſub jove frigido vectus fuerat. Unde domum reverſus, dolorem infra coſtas & mox hemicranii ſenſit. Ex quo poſtridie lecto adfixus, à ſuis prono Rheno Hagam die Saturni, menſis XXIX devectus eſt. Hiſtoria morbi à Medicis edita tribus, enarrat, die Lunæ morbillos ſe prodidiſſe, cum febri continuâ & dyſpnæâ. Morbillis autem provehendis operam eſſe datam; clyſteribus etiam ſimilibuſque alvi levandæ exonerandæque remediis, aliquoties adhibitis & linteis ob ſudorem & fœtorem ſæpiuſcule mutatis, quod in illo morbo quidam reprehenderent; exeuntibus interim in vulgus rumoribus, in melius ire valetudinem Principis, nihilque eſſe periculi; Quod & ipſi perſuaſum ab aulicis potius quam à Medicis; nam Verbi Divini Miniſtris; eo uſque durat in Aulis adulatio; vetitum erat de extremis loqui: donec ſub noctem diei Dominicæ, quæ fuit VI *Novembris* & decima morbi, auctâ febri & anguſtiâ pectoris hora fatalis appropinquare viſa eſt. Cujus rei certior eſt facta Mater, non æque adhuc

con-

Conjux ; Cui ad extremam fere partitudinem provectæ nonnisi post obitum voce Pastoris sui res significata est. Sed Pastor Ecclesiæ *Sterremontius* subito vocatus, animam agentem & jam vix oculis ad cœlos sublatis loquentem, hortatus est ad fidem & occursum Servatoris sui, accepto semel responso adfirmante suam spem, ut Sterremontius dein edito scripto testatus est, utcunque alii Principem usu vocis jam caruisse scribant; quâ in re Pastori potius, opinor, credendum magis quam inominosa adjectione, quâ scriptum suum obsignavit; dum ait, extinctum esse Principem, *hora quasi nona vespertina diei* VI *Novembris, anno interitum Reipubl. præsagiente* MDCL. Aliter Amstelodamenses sentiebant, qui se nihilo pejores Prophetas quam *Sterremontium* crederent, & hora post mediam noctem tertiâ certum de hoc fatali eventu habebant nuntium, quem ut à fundatâ Reipubl. lætissimum celebrarunt, optimates scilicet & qui his favebant, cum Remonstrantibus omni Hollandiâ diffusis. Ne quidem insolentiâ mortuo insultandi abstinendum putarunt, cuso vel fuso nummo, qui ab uno latere *Amstelodamum* præferebat obsessum, in altero *Phaetontem* ex alto in undas labentem, cum hac inscriptione, *Magnis tamen excidit ausis*. Quod de vi Fati verum esse res loquitur: Nam quod ad ipsorum operam attinet, nihil erat de quo gloriarentur, ut ex superioribus intelligi potest. Cæterum, populus Reformatus & duces eorum in sacris nihil boni è

tanti

tanti revolutione momenti augurabantur. Noverant, Optimates ſemper ordini ſuo iniquos eſſe habitos, & novationem in Religione ſub eorum patrocinio metuebant; Populi, Arauſionenſium præſidio ſveti & memores ſub illorum ductu Remp. è parvis rebus magnam & potentem eſſe factam, illo ſublato, alia omnia reformidabant. Sed de his animorum motibus & quæ inde conſequuta ſunt, alius agendi locus dabitur. Principis defuncti cadaver, quod alias in Magnatibus fieri ſolet & factum erat in ejus Anteceſſoribus, publicè non placuit viſendum exponi, tam ob deformitatem è morbillis, quam reſpectu viduæ Principis tot tantisque malis adflictæ domeſticis, ſuprà luctum recentem verſantis in ultimâ partitudine; in quam animi populorum mirificè erant intenti; ne major è promiſcuo concurſu moleſtia crearetur. Annum ætatis egerat Princeps quintum ſuprà viceſimum, Anteceſſorum quam ſuâ rerum geſtarum gloriâ illuſtrior, filio autem poſt fata longe illuſtriſſimus; eo tamen ingenio & vigore tam præſtantis naturæ dotatus, ut à Patrui, Patris avique laude tam militari quam civili, ſi fato pulcherrima ſpes abrupta non fuiſſet, minimè degeneraturus videretur. Nam ut inimicorum acerbitatem & aulicorum adulationes mittamus, id ex actis ejus temporis & incorruptis Procerum, qui cum illo verſati ſunt, teſtimoniis, etiam è Commentariis ipſius manu ſcriptis & poſt obitum repertis accepimus, Illum ingenio & facundia fuiſſe expromptum, judicio ſolido & fa-

cultate res conceptas æquabili tenore administrandi & exequendi validum; Præterea magnanimum & liberalem; ſed à comitate populari & blandâ vultus hilaritate alienum, Patruo Mauritio hac parte quam avo Patrique ſimiliorem. Ad arma tractanda natus & factus adverſam habuit temporis factionem, quâ tamen non obſtante, credi par eſt, Fortunam, excellendi occaſionem ei non fuiſſe denegaturam. Sed eâdem veſperâ, qua fatalem horam implevit, *Ordines Generales* ſubito coacti, fœderatis Nationibus quod evenerat per literas ſignificarunt, atque uti conſilia ſententiaſque ſuas ſuper eo, quod tam inexpectato caſu facere ex uſu foret, in commune conferrent, monuerunt. Collegiis etiam maritimis & Legatis apud exteros eadem res per literas indicata, & his injunctum, ut habitu luctum publicum præferente foris etiam teſtatum facerent, quo loco Princeps Arauſionenſis apud Ordines Belgarum fœderatorum fuiſſet, & quam hi jacturam in hoc fatali caſu Reipubl. imputarent. Sed Hollandiæ Civitates, quid de noviſſimis Actis judicarent, è veſtigio poſt obitum Principis ſignificarunt, reſtituendo ſex Viros Loeveſtenianos priſtinis ſuis dignitatibus, unde Principis arbitrio remoti fuerant; Dordraceni primò *Dewittium*; Sequenti hebdomade Delfenſes & Harlemenſes *Duyſtium* & *Ruilium* pari modo honorarunt d. xv Novembris. Idem honor habitus eſt *Keiſero* ab Hornanis, & *Stellingvervio* à Medemblicenſibus. Amſtelodamenſes quaſi

teſtan-

testandæ moderationis & gravitatis suæ, postremi *Bickeros*, sed majore cum applausu & gratulatione publica in Curiam reductos denuo, cessante per tantam mutationem æmulatione, Reipubl. admoverunt die XXII ejusdem mensis. Atque hæc fere sunt ea, quæ hoc anno apud Belgas fœderatos in Domesticis rebus acta, disputata, transacta sunt. Res cum Exteris ejusdem anni sequuntur. Quos inter cum *Hispanis* controversiæ de finibus & observatione Legum pacis adhuc vigebant; A Debrunio Legato mense Aprili habita fuit oratio prolixa de commissis Ordinum contra pacis obligationem; Ecclesiasticos Romanenses capi & male haberi, contra secundum, quartum & undecimum pacis articulum; Regem turbari in possessione transmosanâ, contra III articulum. Ejusdem domania reditusque in agro Limburgensi detineri. Regias naves spoliari: Non erigi tribunal bipartitum, ut cautum articulo XXI. Executioni dari sententias contra non auditos. Impediri Hispanienses, capere possessionem bonorum heic antea publicatorum, quæ restitui deberent ex *artic.* XXIV. Monasteriis non permitti reditibus suis in Ordinum ditionibus sitis frui, contra *artic.* LXIII Sevenbergæ destrui cultum Catholicum, contra pacta cum Principe Arausionensi inita & contra *artic.* LXV. Ordines sibi vindicare bona diversarum Ecclesiarum, quæ nullo modo ad ipsos pertinerent. Captum esse Virum, qui ducta cum veniâ Pontificis, filiâ fratris sui, inde post decennium fi-

duciâ pacis Ultrajectum habitatum concesserat, eumque reum incestus peragi, etiam ab uxore seorsim haberi, & id genus alia. Non omnia de nihilo, quæ serio reparari petebat, ut suos reparasse dicebat ea, de quibus Legati Ordinum indicem factum ipsis exhibuerant; quod quidem adhuc vicissim impetrare non potuissent. Æquum videri, ut officia & satisfactiones reciprocâ fide præstentur. Ad hæc Ordines variis exceptionibus aut promissionibus, sed imprimis Reconventione transgressionum non minoris numeri & momenti ab Hispanis commissarum responderunt. quas heic omnes recensere longum foret. Sed Hispani maxime dolebant de tribus regionibus *transmosanis* & ditione *Gemertensi*, quam ut Majoratus *Buscoducensis* partem Ordines occupaverant. Hispani utriusque possessionem ad se pertinere magnopere contendebant, quâ spoliati ante omnia restituendi essent, eoque facto de pleno jure petitorio utriusque rei, judicio in Camerâ bipartitâ esse disputandum. De *Gemertio* Senatus Mechliniensis pro Hispanis, Suprema Hollandiæ Curia pro fœderatis, utrique admodum juridice responderant, ideoque partes aliquanto incertiores erant, quam pridem. Sed fœderati majore fiducia causam suam tuebantur, eo quod etsi Hollandis æque fixum esset quam Hispanis, belli evitare causas renovandi, Princeps tamen & qui sectam ejus sequebantur, ejusmodi occasiones minus extimescebant. Principe etiam satis indignè ferente,

quod

quod Hiſpani pactis ſecum initis minimè ſatisfacerent, quâ de re *menſe Auguſto* decretum eſt ab Ordinibus Generalibus, ſi Hiſpani longiores hac parte moras necterent, per modum *retorſionis* bona Sponſorum, qui ſcribendo adfuerant, pignori captum iri. Eodem tempore propoſitum eſt, Hiſpaniæ legato adhuc ſemel offerendam eſſe operam inter ipſos & Gallos conciliatoriam, quæ ſi non ſuccederet, *inde ab hoc tempore declarandum eſſe, Rempubl. ita Galliæ regno eſſe devinctam, ut auxilio illi præſtando deeſſe non poſſet.* Quod etſi poſt vim Amſtelodamenſibus factam & ſubactos Hollandiæ Rectores urgeretur, Hollandi tamen adeo vehementer ei reſtiterunt, ut tum quidem nihil, quam admonitio in eam ſententiam, abſque comminatione Legato facienda ſtatueretur. Ut tamen ex illis ſpeciminibus dubitari non poſſet, quin Principis animus ad renovationem belli cum Hiſpanis inclinaret; nec eſt incredibilis opinio, ſi diutius vixiſſet, cum res ita fuiſſe mixturum, ut novi belli cauſæ inextricabiles factæ fuiſſent. Ab hujuſmodi affectu mirandum non fuit, Hiſpaniæ legatum aſini Æſopici gratiam iniviſſe, quando poſt conventionem *Amſtelodamenſem* petebat audiri ſolenniter, ut Reipubl. gratularetur de litibus inteſtinis tam feliciter conſopitis; quâ cauſa tempus audiendi condixerat ei Dominus de *Wimmenum* Præſes *Ordinum Generalium*. Sed cum is in Conſeſſu retuliſſet, Hiſpanum mox adfuturum, ut ejuſmodi orationem gratulatoriam haberet, pleriſ-

que ridiculum & deforme visum fuit, eâ de re Hispaniæ Legatum publicè audire declamantem, quando satis constaret, eam gentem nihil lætius accepturam esse, quam ut Belgæ fœderati viscera sua dilacerarent; multi etiam in hac essent opinione, saltem ita videri vellent, Legatum illum pecuniis distributis excitasse plures, qui se Principi transversos objicerent. Quare cum & Principis amicis id officium esset ingratissimum, neque pars victa libenter audiret celebrari memoriam dolendæ cladis suæ, Præses obviam Legato ire jussus est eique seorsum abducto significare, Concilium esse nimis infrequens & in rebus quæ moram non paterentur, occupatum. Ex quo *Debrunius* homo perquam officiosus intelligere potuit, etiam gratulandi officium, etsi omnium, ut videtur, expeditissimum, habere suos recessus & aculeos, Idem deinde libentius auditus est, referens, quod inter *Leopoldum* Archiducem, Belgii Hispaniensis Gubernatorem & *Parisienses* actum esset de pace, tametsi absque successu. Petiit etiam, ut Ordines aliquot è suis delegarent, qui se medios inter *Hispanos & Arausionensem Principem*, super executione tractatuum patrimonialium exhiberent. Addebat querelas de variis excessibus, præter suprà commemoratos, à parte Fœderatorum, contra tenorem instrumenti Pacis commissis. Et tandem Regis sui literas tradebat, quibus hic varia, de quibus ab Ordinibus rogatus erat, in gratiam illorum concessisse, perquam amice nuntiabat, nec

in

in mora ſe futurum, quominus ſi quid Belgarum civibus damni vel incommodi illatum foret, id è continenti ſarciret & repararet, teſtabatur; etiam Judæos in Hollandiâ agentes, quando ita Fœderatos velle videret, eodem quo alios loco habiturum, modo ipſi in Hiſpaniàm, quod prohibitum eſſet, non intrarent. Neque multo poſt Tractatus rei maritimæ cum iiſdem Hiſpanis initus eſt, die XVII *Decembris*, pertinens ad explicationem pacti de Commerciis & Navigationibus initi apud Monaſterium, cujus materia compendium *heic* non recipiens, publicatum eſt anno ſequenti. Cæterum, poſt obitum *Arauſionenſis*, principatu Belgicarum rerum penes *Hollandiæ* optimates conſtabilito, Hiſpani de pacis obſervantiâ ſecuriores facti ſunt, etiam vero de ſatisfactione Principis ejusdem heredibus præſtanda; Quare etiam de Tractatu ſingulari, quem cum ſuperſtite iniverat Principe Debrunius, ſuper compenſatione Marchionatus Bergenſis ad Zomam, quem, ut conſtitutum erat, ei præſtare non poterant, rogatus ut inſtrumento ſubſcriberet, reſpondere non dubitavit, ſe cum *ipſo* Principe conveniſſe, quo mortuo, rem alio latere conſpici, nec ſcire ſe, quis heredum ſubſcripturus eſſet. Braſſetus Galliæ miniſter *huc* alludens in oratione publicâ ſuper obitu Principis habitâ, non veritus eſt dicere; ſane etiam poſſe fieri, ut quemadmodum Hiſpani jam reſilirent à Conventione cum Principe, quem amplius non vererentur, factâ, eodem modo futurum, ut

Tractatus cum Republ. initos, ubi ipsis opportunam videretur, retractarent. Quâ de re Ministri utriusque Regis admodum acerbis inter se libellis & invectivis, in publicum editis decertarunt; donec Hispanus *Bruxella* reversus aperte, se paratum esse conventionis cum Principe initæ instrumento subscribere, quam primum essent, qui justam ab altera parte subsignandi qualitatem haberent, declaravit. Hactenus cum Hispanis, amicitiâ intonante, paulatim convalescente transactus est hic annus. GALLORUM amicitia vetus & obsolescens offensæ fructum edebat acerbum, deprædationes in mari, imprimis mediterraneo navium Belgicarum adsiduas, sub prætextu, quod raptores essent piratæ, sed qui aditum in portus Gallicanos & conniventiam plusquam suspectam habebant. Placuit cùm hac gratiâ, tum novi Tractatus maritimi & pacis cum Hispano conciliandæ causa mitti Legatum *Boreellium* Civitatis Amstelodamensis Syndicum, qui mense Junio appulsus Lutetiam Parisiorum, Rege versus Burdigalam profecto, in Aquitaniam se contulit, in oppidum cui *Burgo maritimo* nomen, ubi nonnisi XXIV *Septembris* die, satis honorificè & benevole auditus est, Reginâ Regente & ipso Rege cum fratre ejus erectis & blando vultu illum recipientibus, Rege se non prius tegente, quam & legatum tegere se juberet. Responsio valde historica, Servientii opus, ut ex stylo satis Hagæ noto apparebat, simul argumentum orationis à Legato habitæ referens heic à nobis excerpi

cerpi meretur. *Grata fuit Regi commemoratio beneficiorum, quæ à Galliæ regno percepta Ordines adhuc in memoria habere Legatus copiosè testatus est: Etsi revera male Regem habuit, quod pacem cum hoste communi seorsim inierunt, aucta ægritudine postmodùm, per Hispanorum impudentiam, spargentium opinionem, quod Gallia pacem non cuperet, initoque cum Infante Hispanicâ matrimonio Rex socios elusurus esset. Quod utrumque mendacium evidenter refutatum est, prius abitu Penerandæ in Hispaniam, è continenti post Pacem cum Ordinibus conclusam, omni cum Rege tractatu abrupto. Alterum vero ex eo, quod matrimonium Infantis Hispanicæ cum Rege Hungariæ diu antea decretum, eo tempore publicatum est, cujus gratiâ rex ille brevi in Hispaniam profecturus est, & cujus respectu Imperator auxilia sua misit Hispano illis minimè indigenti; quippe, quo tempore à male animatis Gallis etiam in regni fines introducebatur. Notum est, Regem non semel obtulisse submissionem rerum adhuc inter Coronas controversarum, ut Ordinum judicio deciderentur, sive Arbitri è compromisso, seu mediatores esse vellent: ea lege duntaxat, ut si Hispani facere nollent, quod Ordines æquum censuissent, bellum junctis viribus illis inferretur. Sed nec ullius alterius arbitrium Galli recusarunt. Cum Hispani semel indicassent, velle se arbitram Sueciæ Reginam agnoscere, quamprimum id acceptatum est, resilierunt, Cumque de Ordinibus Imperii proponeretur, id inriserunt. Quis inde non videt, Hispanis nihil minus fuisse*

propositum, quam Pacem inire cum Gallis; id unice ab illis actum, ut hos & Belgas fœderatos separarent? Ideo cogi Gallos saluti suæ consulere, videntes Austriacos relegere viam vasti illius consilii Monarchiæ Universalis; quando Rex Hungariæ Imperator futurus Hispanico Matrimonio possidebit omnem vim & potestatem, quam Carolus V. reliquit; quo casu in promptu erit Austriacis, si Gallia destituetur à fœderatis suis, Leges omnibus præscribere. Eoque pertinet Hispanorum petitio facta Romæ, de publicando diplomate contra Pacem Germanicam, sicut eorundem instinctu Nuntius Papalis contra Pacem Belgicam prius & dein contra Germanicam Monasterii protestatus fuit. Quas rationes earumque probationes una cum legibus insidiosæ Pacis nuper ab illis propositæ Rex ideo cum Boreelio Legato communicatas voluit, ut Ordines, animadversio quid ab Hispanis agatur, cogitationes prudentiâ suâ dignas & securitati convenientes suscipiant. Non recusat quidem Rex operam Ordinum conciliatoriam Pacis à Pontifice Romano Venetisque jam susceptam; Sed multo satius est, ut Regi efficacius auxilium præstent; quandoquidem obligati sunt quibusdam Conventionibus, ad restituendum Regi, quod hic illis mutuo dedit, multorum summâ millionum. Aliis cautum Tractatibus, ut Regi bellum gerenti Ordines præbeant dimidium ejus, quod is ipsis in bello versantibus præstitit; item, ut redderent cohortes Gallicas sua stipendia facientes & commodarent naves Coronæ Gallicæ necessarias. Ad quas præstationes si maximè disertis Fœ-

derum

derum verbis non tenerentur, animi tamen grati memoria & agnitio beneficiorum ab Henrico Magno & Ludovico justo perceptorum, quibus Ordinum Respubl. ad hoc potentiæ fastigium pervenit, eas ipsis injungeret. Præter quod hac ratione justitiæ non tantum & affectui, sed etiam gloriæ & prudentiæ legibus satisfacerent, acquirendo sibi honorem restitutæ Pacis in Europâ & opponendo se Regum alteri belligerantium, qui semper ipsorum inimicus fuit nec unquam esse desinet. Mirum & novum nonnullis visum est, Gallos in hac oratione tam humiliter esse loquutos, ut veterem cantilenam Monarchiæ Universalis Austriacæ, quam pridem adeo contemserant, renovarent. Nisi potius illa fuit calliditas, nihil omittentium, quo Belgas fœderatos excitari posse crederent ad renovationem belli adversus Hispanos, extollendo eorum potentiam & simul adimendo metum Viciniæ Gallicanæ; qui jam per turbas eorum intestinas & aliquot Hispanorum victorias non parum in ipso Belgio refrixerat; Plerisque non recordantibus, quam brevi Gallia, postquam civilibus annorum triginta bellis exhausta fuerat, sub *Henrico IV.* ad prævalentem in Europâ potentiam convaluisset. Haud tamen de nihilo multis persuasum fuit, si Princeps *Arausionensis* qui, fractâ optimatium æmulatione, quicquid vellet jam posse videbatur, supervixisset, Gallos propositum suum fuisse consequuturos; Quam rerum constitutionem illi non ignorantes, hujusmodi orationibus spei sui libenter in-

ſerviebant animoſque populorum in Belgio ad veteris odii amicitiæque memoriam & deſiderium incitare ſatagebant; quod verſa per obitum Principis Republ. in irritum ſucceſſit. Etſi Galli deinceps è civilibus eluctati bellis, Hiſpanis magis magiſque à veteri induſtriâ & efficacia degenerantibus, ſoli non modo refutandis ſed etiam coarctandis ſuffecerunt. Quæ juxta Legationis fructum præſentis, hujus anni & opuſculi terminos egrediuntur. Cum *Anglis* communicatio rerum & officiorum hoc anno univerſæ Reipubl. exigua fuit, Ordinibus auctoritate Principis quo minus illos pro liberâ Republica agnoſcerent, impeditis; Striklandio illorum Legato jam à Belgis digreſſo, & Vetere Belgarum Legato *Joachimo* nullum ad ipſos habente neque ſperante mandatum. Quapropter Anglicanæ Reipubl. *Parlamentum* qua appellatione cognoſci volebant, diutius illum Londini ferendum non putantes, commeatum ei miſere, menſe Septembri; quo accepto, Senex nonagenarius in Patriam rediit, ita jam Anglico ſuetus cœlo ſoloque, ut non ſponte digreſſus etiam reditum deſideraret; Qui tamen primo rebus nondum maturis, deinde mutatis & turbatis, poſtremo ſenecta retardato interceptus eſt. Hollandi jam id prævidentes cum à Sociis impetrare non poſſent, ut Anglis honorem ab Hiſpanis aliiſque jam præſtitum, exhiberent, ipſi *Commiſſarium*, ita vocant, ſuo nomine, priuſquam *Joachimus* dimitteretur, miſere

Scha-

Schapium Senatorem Amſtelodamenſem, qui civium Hollandiæ res in Angliâ, quotiens uſus veniret, *Parlamento* & Collegiis Reipubl. ſubordinatis commendaret, hac inſcriptione literarum, *Wilhelmo Lenthalio Scutifero*, *Parlamenti Reipubl. Anglicanæ Oratori apud Weſt-Monaſterium congregato.* Subſcriptio, Veſtrarum *Illuſtritatum amici boni*, *Ordines Hollandiæ & Weſtfriſiæ*, Hagâ *d.* v. *Maji* MDCL. Nec defuerunt Angli illum prolixè benevoleque accipiendo, Et dimiſſo *Joachimo*, ſecurũ de affectu benevolentiâque ſuâ eſſe jubendo. Apparebat, Hollandos & præ cæteris Amſtelodamenſes id agere enixè nec imprudenter, ut Anglorum animos ſibi conciliarent, exiſtimantes, ſi ab illa parte ſecuri eſſent, nihil, ut tum res erant, foris grave Reipubl. eſſe metuendum. Hinc ortus eſt rumor, quem Principis amici ſpargebant alebantque, Optimates, ſi cum Principe aliquando decertandum ſibi foret, ut tum partes erant animatæ, in novam illam Rempubl. oculos præſidii extremi cauſa conjicere, eâque gratiâ, quod eundem haberent communem adverſarium, arctam cum illis & peculiarem colere neceſſitudinem. Ex quo Principio fluxit atrocis malitiæ libellus circa tempus obſidionis Amſtelodamenſis ſparſus, quo comprehenſi erant plures *articuli ſecretæ conventionis* inter Angliæ Parlamentum & Amſtelodami Rectores, de Societate belli ad deſtruendam Principis Arauſionenſis poteſtatem & Imperium Amſtelodami in reliquas Belgii Fœderati nationes

ſta-

ſtabiliendum. Quod commentum ut prudentioribus, ſicut erat, è continenti pellucebat, ita vulgus imperitum non leviter agitavit; Quapropter Rectores *Amſtelodamenſes* præfati id eſſe comparatum ad excitandam in populo diffidentiam, diſcordias & ſeditiones, præmium MCC. florenorum indici auctoris polliciti ſunt, Edicto publicato *die* XVI *Auguſti*. Quam vero illa falſa fictaque fuerint, ſequentium exitus annorum, Principe dudum extincto, docuit: Nam ſi Hollandis tanta cum Anglis amicitiæ fiducia fuiſſet, belli quod ſequutum eſt, funeſtiſſimi tempeſtas, quod in illos maxime deſæviit, evitari potuiſſet. Etſi verum eſt, eoſdem neque tum neque poſtea Regiæ familiæ reſtitutioni faviſſe, metu indubio nimis validæ cum Arauſionenſi domo illis gravi, conjunctionis. Quæ res illorum judicia præſtrinxit, ut minoris facerent periculum, quod Rex *Carolus I.* Belgarum legatis Oxoniæ prædixerat, futurum, ut ſi Anglia, quod inimicos ſuos adfectare credebat, in Rempubl. ſe redigerent, id Belgarum commodo minime cederet, & quod deinde *Mazarinio & de Haro* apud Pyrenæos, ut prior in *Epiſtolis* ſcriptum reliquit, videbatur, Anglos in Rempubl. ſtabili regimine firmatos vicinis ſuis, immenſo, ac ut ipſis loqui viſum, centuplo terribiliores futuros, quam ſub Rege fuiſſent aut futuri eſſent. Quod alio quam Belgicæ Reipubl. cum ſtatu ſub Rege comparatæ non eget argumento. Ejus autem mutationis ſenſus in

in nullos quam Belgas fœderatos, viciniæ commerciique æmulatione, celerius effundi poterat, quod à Regno libertate civium intonante perpetuâque æmulatione distracto multo minus esset reformidandum. Prudentiæ tamen erat, quod hoc tempore *Hollandi* Anglorum amicitiæ velificandum putarunt & rectè consuluissent deinde, si pari efficacia sine fraude in eo proposito continuassent. Quemadmodum hoc anno, vitandæ illorum offensionis causâ, librum *Claudii Salmasii*, quem inscripsit *Defensionem Regiam pro Carolo I. ad Carolum II.* non minus invectivis & execrationibus quam doctis dictis & rationibus refertum, Edicto, quod Ordines Generales edere noluerant, proscripserunt, edi vendique vetuerunt. Apologiam *Johannis Miltoni* pro populo Anglicano æquè acerbam in Regem mortuum & Salmasium non prohibuerunt; Quæ Argumenti novitate, Potestatum insectatione multitudini gratâ, profluente dialecticâ, facilitate & brevitate suâ legebatur frequentius, quam fuerat Salmasii liber, qui suetus Philologicis & desultoriis scriptionibus, in continuo & pragmatico opere non æquè pro magnitudine eruditionis & famæ, quâ prævenerat expectationem, plerisque satisfacere visus est. Denique, nec intercesserunt Ordines Hollandiæ nec quidem *Generales*, quominus Angli, Mercatores suæ nationis aliosque à Regimine domestico dependentes Belgii fœderati incolas ad novum adigerent jusjurandum, quo Regnum &

Re-

Regiam factionem, Domum Superiorem ejurarent, seque Parlamento Reipubl. Anglicanæ fideles fore, missis in eam rem formulis & jussionibus, promitterent. Rex interim exsul, cum aliquandiu in Galliâ & in Insula Jersæâ, quæ à suis tenebatur, commoratus nihil usquam præsidii, quo fretus in Hiberniam trajiceret, inveniret, animum rursus ad Scoticam transactionem, suadentibus etiam Matre, adfine Arausionensi, novisque à se adscitis consiliariis *Hamiltonio*, *Buckingamio* & *Neucastelio*, adjecit; Idque Sorori & Adfini mense Martio significans, hospitium petiit Bredanum, sed nihil amplius quam hospitium, habens unde se tueretur. Quod communis fama profectum volebat à Principe *Ruperto* (nam è Galliâ civilibus ardente turbis nihil percipiebat) qui arte piraticâ, habens refugium & stationem in ostio Tagi apud Lisbonam, pecuniâ abundare dicebatur. Et tamen in solo hospitio Bredæ procurando difficultas fuit, negantibus incolis, se amicos & aulicos Regis insolentiæ & spurcitiæ expertos tectis suis recepturos. Ut ægrè locus apud cives pro sexaginta præcipuis Comitibus Regis, idque nec sine Principis auctoritate sit repertus, reliquâ turba sibi ipsis prospicere jussâ, Illic renovato cum Scotis colloquio, in conditiones à *Commissariis* allatas consensit iisque nullâ fere impetrata moderatione, sicut erant, subactus necessitate, subscripsit. Inde mense *Junio*, salutato Principe atque Sorore, animoque

que ſcenicis hiſtrionum Gallicorum ludis paulisper recreato, tribus cum navibus à Principe ſubminiſtratis in Scotiam trajecit, paulo antequam ſex Anglicæ naves bellicæ in ipſum intentæ ante oſtium Moſæ conſpicerentur; nec ſine periculo captivitatis etiam ab aliis Anglorum navibus imminente, feliciter appulit Innerneſſum Scotiæ, Ubi quomodo acceptus, quid egerit, inferius commemorabitur. Res *Septentrionales* hoc anno moleſtas Reipubl. deliberationes pepererunt, è tractatu ſuperioris anni, quo redempta erant freti Orizundici vectigalia. Cum enim auctoritate duarum ſolummodo Provinciarum, reliquis aut diſcrepantibus, aut ſub conditione, quæ non extaret, adſentientibus, niteretur, duæ acceſſerunt aliæ difficultates; Prima, quod Regina Suetiæ non modo per Ordinarium ſuum Legatum *Appelbomium*, ſed etiam per *Laurentium Canterſtenium* extra ordinem eâ de re miſſum graviter conquereretur, tam de Fœdere defenſionis mutuæ cum Danis initæ, quam imprimis de *Redemptionis* Tractatu, ut quem in certis magni momenti capitibus derogare conventionibus cum regno Suetiæ anno MDCXL & XLV initis, eumque Suedicis mercatoribus graviſſimè præjudicare contenderet. Quod ne fieret, neve Tractatus rati haberentur, antequam Reginæ ſatisfactum eſſet, enixe poſtulabant: Non obſcure, ſed privatim, ſignificantes, quominus Regina ſibi ſuiſque eo modo illudi pateretur, retorſionibus aliiſque modis obviam ituram. Altera

difficultas erat, quod jam re ipsâ compertum erat, augmenta vectigalium domi instituta, juxta modum Orezundicum, æquare non posse quantitatem pecuniæ Danis pro redemptione promissæ, verum ultra centum florenorum millia deficere, Superadditis etiam his quæ Suedis & si qui alii in Freto erant liberi, in Hollandiam appulsis extorquerentur: Præter quod apud ipsum Fretum non exigui sumptus in ministros navesque prætemavigantibus excutiendis necessarias faciendi forent. Apparebat adeò præ nimiâ cupiditate fidem temere habitam esse nuper *Ulefeldio*, adfirmanti Regem suum à navibus Belgicis, inde ab anno sæculi XLV percepisse quotannis ducenta millia Imperalium, sed non probaverat. Interim Dani non cessabant, urgere Tractatus ratihabitionem & solutionem *ducentorum millium*, qui adhuc solvendi essent, Imperialium. Sed hæc res, diffidentibus Provinciis & errorem suum arguentibus, erat difficilioris explicatus, quam ratiocinatió contra Sueciæ Legatos, ad quorum libellum in tría capita distinctum ita responsum est; *In Defensionis Tractatu cum Danis inito nihil esse, quòd Suedicæ Conventioni adversaretur. Nam quod objectum erat, non posse Belgas & Suecis & Danis simul ad auxilia teneri, cum fieri posset, ut hi inter se collidentes ambo subsidia ex fœdere peterent, unde conflictus auxiliorum & mutui impedimenti causa nasceretur, id facile solvi posse; Quia Belgæ Suedis solummodo obligati essent in casum defensio-*

nis

nis, si ab aliis invasi fuissent; eodemque casu nec aliter, Danis. Proinde si Danus invaderet Suecos, non esse peccaturos Belgas in legem fœderis novissimi, mittendo auxilium Suecis: Nihil amplius fore peccati in eodem casu, si Suecus invaderet Danos. Quod vero ad Transactionem redemptorum vectigalium attineret, Ordines ita existimare, *Sibi pro jure Summæ Potestatis suæ liberum fuisse cum Dano transigere, quemadmodum è re suorum civium esse putarent. Eam vero transactionem ita se administraturos, ut nulla sociis atque amicis justa querendi causa daretur.* Ad tertium à Canterstenio propositum, de tractatu Redemptionis rato non habendo, *responsionem hisce dictis occupatam*, existimantes id silentio prætererierunt; quemadmodum & comminationes retorsionum, ad quas privatim tamen sæpe responsum erat, Suecos ita jampridem exteros domi suæ oneraffe Mercatores, ut, si adhuc onera putarent augenda, viderent ipsi, quis ad eos accessurus esset, mercaturæ causâ. Sed Redemptionis executio per se difficilius explicabatur, quatenus nec modus exigendi in Hollandiâ pecunias redemtionis, sufficiens & commodus inveniri poterat, nec in Freto quicquam solvebatur; quando quod propositum erat medium, ut Daniæ Rex *interim*, usque ad ratihabitionem, vectigalia, more consueto exigeret, non fuerat admissum; quippe tam Danis quam qui hic Redemptionis negotium urgebant, metuentibus, ne *provisio* illa transiret in peremptoriam *Tractatus*

abolutionem; in quâ postremo difficultatibus oppressa suis, at hoc anno serius, illa Redemptio desiit. Præter hæc *cum Exteris* in Republicâ Belgarum Fœderatorum nihil admodum hoc anno memorabile gestû, non utique cum Imperio *Germanico*, nec cum singulis quidé Principibus; nisi quod cum Electore *Brandeburgico* agi continuatum est, de fœdere, nihil tamen transactum, recusantibus adhuc Hollandiæ Ordinibus extensionem Fœderis *defensivi* pro vicinis Belgio ditionibus olim initi, ad omnes Electoris ditiones, eidemque cedere locũ dignitatis; quando æquum censebant, ut potentissima Resp. neminem habens superiorem præcederet Electores, qui Cæsares Dominos suos clementissimos agnoscere & vocare solent. Hac gratiâ, *Mauritius*, Comes Nassavius, Cliviæ Ducatui ab Electore præpositus, aliique duo sed charactere Legatorum dissimulato, in hujus anni Principio apud Hagã aliquandiu versati sunt; etiam ut viderent, an Civitates Clivenses Ordinum præsidio exoneratas recuperare possent. At cum Hollandos, ut dictum nihil remissuros animadverterent, ne quidem póst minas obiter jactatas, de conjunctione Electoris cum Suedis ineundâ; etsi apud reliquas Nationes auctoritate Principis adjuti, de Fœdere duntaxat facile confecturi fuissent, absque concursu tamen Hollandiæ nihil actum iri intelligentes, rem totam in aliud tempus, quod aliquando, etiam Principe è vivis sublato, opportunius illuxit, distulerunt. Etiam vero solutionem Æris *Hoefyseriani*, de quo alias dictum, quod à centum millibus

Im-

Imperialium jam creverat ad ſexcenta *octuaginta millia*, cum quo Brandeburgici compenſare vole-bant contributiones, ab Ordinibus *an. ſæculi* XXIX & ſequentibus è Cliviâ viciniſque ditionibus Electoralibus exactas; verum quas Ordines jam exputatas abolitaſque dicerent per Conventionem *anno* XXXVI. cum Electore contractam; præter quod jure belli in compenſationem damni à Cæſareanis illati Velaviæ anno XXIX, qui dein Electoralibus Provinciis recepti ibique *contributionibus* aucti fuerant, cedere deberent. Cum Palatino Neoburgico, ratione Ducatus Juliæ & Montium fuere contentiones *repreſſaliorum*, quibus ad inſtantiam quarundam Eccleſiarũ uſi fuerant Ordines, adverſus Sacrificulos & Clericos Neoburgico ſubjectos; propterea, quod hic Reformatos in exercitio Religionis ſuæ turbaret, quibus Ordines ex antiquorum ſententia fœderum, tuendis ſe obligatos putabant. Neoburgicus hac cauſâ miſit Legatos, qui exhibuit literas à Cæſare & Ordinibus Ratiſbonæ congregatis, accedente Legati Gallici commendatione. Magis tamen jure ſuo fidebat & ratione, cui Ordines ceſſuros arbitrabatur, quod loca, in quibus ipſe prohibuerat exercitium Reformatæ Religionis, non habuiſſent hoc jus *anno ſæculi* XXIV, ad quem ex ſolenni Conventione pacis *Monaſterienſis*, ſtatus Religionis in *Germaniâ* ubique redactus & redigendus eſſet. Rem eſſe novam & inſolentem, ut Ordines in alieno territorio, rogantibus aliquot Privatis, cauſâ non

cognitâ executiones armatas inſtituerent, in præjudicium pacis univerſâ Germaniâ receptæ. Ex adverſo diſputabatur, univerſale *Germaniæ* decretum non derogare propriis inter Electorem *Brandeburgicum* & *Neoburgicum* Pactis *Dortmundi* initis anno hujus ſeculi IX & Xantis anno XII & XIV, quibus *Ordines Generales* ex pacto uſuque temporum ſequutorum & occupatis Cliviæ munitis locis, vindicias debere dicebantur. In hanc ſententiam igitur exiit Ordinum decretum, quo, ne paci Germanicæ derogatum videretur, ſtatus Religionis in *Juliaci* & *Montium* Ducatibus redigebatur ad *annum* MDCXXIV, *ſalvis tamen pactionibus anni* XII & XIV; quâ clauſula prior Sanctio in illa hypotheſi Controverſiæ ſubverti videbatur. Sic, adeo non eſt ſublata Diſputationis materia, ut ſequenti anno inter Partes in ſubitum bellum eruperit. Minus atroces ſolent eſſe *Friſiæ Orientalis* diſceptationes, niſi quod perpetuæ ſunt, Ordine Reipublicæ ibi pridem in diſcordiâ conſtabilito. Quod tamen nunc agebatur pro tempore diſputari viſum eſt: Ordines Embdanique ita exiſtimabant, Comitem adoleſcentem adhuc peregre agentem, *ipſo jure quidem ſucceſſiſſe Parenti in bonis Patrimonialibus & domaniis ſuis, ſed Reipublicæ adminiſtrandæ non habere facultatem, niſi poſtquam redux factus jurejurando in Leges & privilegia adactus, fidem dediſſet, accepiſſet.* Ideo non agnoſcere Judices ab illo conſtitutos, non ſolvere ſalaria Adſeſſoribus Supremæ Curiæ,

non

non petere confirmationem Magiſtratuum Embdæ electorum, denique nec matri ut Tutrici, neque Principi Arauſionenſi ut Tutori in rebus ad Rempubl. ſpectantibus parere velle. Quin etiam Embdani detrectavere ſolutionem bis mille ſexcentorum Imperialium, quos pro eâ parte Civitatis, quam in territorio Comitis novam ædificaverant, ex pacto debebant. Cum de his rebus, qui res Comitis agebant, apud Ordines Generales queſti eſſent, auctoritate Principis factum eſt, ut literæ ad Ordines & Embdanos mitterentur die XVII Martii; quibus rogabantur, ut in illis omnibus officio ſuo deſiderioque Dominæ Tutricis ſatisfacerent Comitique ſuo Patris unico heredi, jure primogenituræ & ab inteſtato, nec minus ex inveſtiturà Cæſarea ipſiſque provincialibus Pactis & Tranſactionibus, ſupremo ſecundum Deum territoriali Domino ſuo reverentiam omnem & obedientiam præſtarent. Quod ſi non fieret, ſe tanquam Executores Teſtamenti Comitis *Ulrici*, manum auxiliatricem in eum finem Tutoribus non negaturos denuntiabant. Sed Hollandiæ delegati in illam epiſtolæ formam, ut à vetere agendi modo cum Tranſamaſianis, alienam non conſenſerunt; Volebant capita Querelæ nomine Comitis oblatæ ſimpliciter in literis referri, & conſequenter Ordines rogari, ut in illis Comiti vel Tutoribus ejus ſatisfacerent; niſi cauſam haberent juſtam aliter ſtatuendi, quas ubi primum poſſent, exponere ne cunctarentur. A reliquis tamen Sociis

ciis forma literarum, ut erat concepta, ita decreta & dimissa est; etsi Orientalis Frisiæ *Commissarii* priusquam mitterentur, adessent, rogantes, ut primo super illarum argumento, de quo mandatum haberent, audirentur. Inter Ordines etiam & Embdanos erat controversia, de jure suffragii in ordine Equestri, quod *Embdani* tanquam Domini *Oldershemii* & aliarum Equestrium jurisdictionum, quas hac spe, ingenti ære alieno, comparaverant, sibi deberi contendebant, à reliquis Nobilibus recusabatur, quorum ideo delegatos Embdani collegio *Administratorum*, quod *Embdæ* habetur, arcebant. Cum his de rebus ad nauseam partes Hagæ disceptassent moràque & sumptibus confecti decisionem *Ordinum Generalium* implorarent, ab his ita pronuntiatum est, *Primo inter Comitem & Ordines*, hoc modo; Comes *Enno Ludovicus* statim ut Dominus *territorialis Frisiæ Orientalis* agnoscetur & honorabitur, eâ lege, uti *cum ipse regimen auspicabitur*, Privilegia Ordinum, jura Pactionesque confirmet. Dum erit minor annis, *Juliana* Mater, ut Tutrix agnoscetur & honorabitur, eâ lege, ut secundum jura, privilegia, Pactionesque Reipubl. præsideat. Adsessoribus Supremæ Curiæ solventur honoraria, quæ jam cessere quæque cessura sunt. Embdani Magistratuum, quos elegerint Confirmationem à Matre tutrice petent & fidem in functionibus suis servandam dabûnt. Eadem civitas solvet & solvere perget Comiti *bis mille*

sex-

ſexcentos Imperiales in recognitionem dominii territorialis, ratione ſuburbiorum. Mater Comitis admonebitur, ut filium *Ennonem Ludovicum* quam primum in Patriam ſuam reverti curet, quod & ipſi per literas ſignificabitur. Fas non fore Comiti vel ulli alii, Contributiones in rem Communem ab Ordinibus in Comitiis decretas ſufflaminare, multo minus impedire. Comes & Tutrix operam dabunt, ut in Repub. gerendâ miniſtris utantur indigenis, utique Tales exteris præferantur, neque milites, ſi res ferat, abſque conſenſu *Ordinum* conſcribant, exceptis præſidiis in Arcibus ſuis neceſſariis, ſecundum veteres pactiones *Inter Ordines & Civitatem Embdanam.* Non licebit Embdanis Adminiſtratores ab Ordine Equeſtri conſtitutos arcere ſuis functionibus & tamen ad tributa *Bonis* Equeſtribus à ſe comparatis impoſita tenebuntur. Eadem civitas non exercebit imperium aut Jurisdictionem in Equeſtris Ordinis Viros, Conſiliarios Curiæ, vel Adminiſtratores, officii ratione vel privatim in Urbe ſua agentes, omnibuſque adverſus eos mandatis & *Arreſtis* abſtinebit; Rebus vero à Supremâ Curiâ judicatis quominus pareat, non committet. Sed Ordines Civitati ſolvent LX *millia florenorum* tribus penſionibus, in calculum ejus quod Civitati debetur. Cujus debiti *Liquidatio* apud *Ordines Generales*, non coram Curiâ transamaſiana fiet. Eadem Curia Sigillo Comitis utetur, & Gravamina adhuc indeciſa Conventione partium

vel Ordinum sententiâ Generalium, proximâ occasione definientur. Hæc non sine favore Principis Arausionensis in gratiam Comitis potius quam Ordinum Embdæque Civitatis instituta sunt. Principi vero creditum est fuisse consilium, posthac *Ordines Generales* eâ curâ disponendi *Transamasiana* liberare, derivato in se omni rerum arbitrio; Quod dissensione provincialium, facilitate Nationum fœderatarum, Hollandis quoque subactis, parum difficultatis habiturum videbatur; si modo præcipuos Frisiæ Orientalis aditus juxta *Leeroortam*, in potestate haberet, Cujus rei hac tempestate, commodam occasionem adeptus videbatur. *Hassi* enim satisfactione sua potiti *Frisiam Orientalem* adhuc stativis suis infessam dereliquerunt, actis etiam *Ordinibus* fœderatis pro favore præsidioque sibi præstito gratiis. Hisce digressis, ita præ se tulit *Arausionensis* Princeps, operam esse dandam, ne Comitatus ille Belgio proximus in se discors nec unquam suæ tutelæ futurus ab aliis Reipubl. Belgicæ suspectis occuparetur. Id impediri posse, præsidiis in arce *Dylensi*, *Stikhusanâ* & *Vredeburgensi* collocatis, quibus & *Gretana* deinceps addi posset. In quem finem turmas & cohortes aliquot transAmasin ablegavit, quasi ex *Ordinum Generalium* mandato, quod ex decreto de XXIV Julii superioris anni colligebat. Sed *Juliana* mater Comitis, etsi minus alioqui curis intenta virilibus, consilio Principis cognito, cum videret eum nullo adfinitatis respectu Comitem sibi ob-

noxium

noxium esse velle, non segniter egit, ut validam *Hessorum* cohortem stipendiis suis conduceret, eamque in arcibus suis, antequam Princeps eo pertingeret, collocavit, ita ut Belgicæ copiæ æstatem subdio transigere coactæ & dein *Lehroortam* missæ sint. *Juliana* re sua constabilitâ, per suos homines admodum reverenter & artificiose apud *Hagam* rationes suas, quare præsidia Belgica in ditiones suas admittere non posset, exposuit & se suumque filium multis verbis *Ordinibus* fœderatis officiosè commendavit. Cujusmodi submissæ humanitatis *complementa* Princeps, etsi proposito, quomodo adhuc erat, excidisset, vices suas in idonea tempora differens æqui bonique consuluit. Hactenus *Belgica cum exteris* acta. Priusquam ad externa digrediamur, de rebus Indiæ Occidentalis, quam vocant, Societatis addemus hæc, *Vitum Devitiium* Classis Brasilianæ Ducem cum suis navibus initio mensis Aprilis in Patriam esse reversum, sine veniâ vel Societatis vel Rectorum Brasiliæ. Quâ de re *Scoppius* Brasiliæ Præfectus Generalis cum suis Adsessoribus scripserant, nisi exemplum in Wittenium statueretur, actum esse de Brasilia, nec fore, uti quisquam rebus aliquanto difficilioribus, imperio Societatis pareret. Vittenius in Procœtone Principis Arausionensis spatiabatur, quando ejusdem Principis & Commissariorum aliquot Ordinum Generalium imperio prehensus, domum suam primo, sub noctem in Carcerem publicum abductus fuit, idemque, ut de reliquis navium præfectis, qui sub

co

eo militaverant, fieret, Amiralitatibus *Amstelodamensi* & *Roterodamensi*, uti curarent, imperatum est. Decreto simul, ut Thalassiarcha *Trompius* cum binis è singulis *Amiralitatum* Collegiis de illorum causa cognoscerent & judicarent. Sed Magistratus *Amstelodamenses*, effracto carcere *Amiralitatis*, captivos dimiserunt, idemque ut de *Vittenio* fieret, Ordines *Hollandiæ* à Principe & *Ordinibus Generalibus* enixè postularunt. His vero cunctantibus, die xxx Maji decreverunt, *Wittenium* domui suæ esse restituendum, quod exequi parabant, ni Princeps eos sponte prævenisset: hoc, scilicet, ante obsidionem Amstelodamensem, rigidis adhuc Optimatium animis in jure suo ad extremam lineam adserendo. Nam sic erat illorum ratio; *Ordinibus Generalibus* aut *Amiralitatibus* non esse jusprehensionis in cives singularum Provinciarum; hos coram suis judicibus esse conveniendos. Ordines Generales ex adverso, se quidem non esse Curiam Judicum, qualis nec ulli sint Ordines singularum nationum; nihilo secus *jubere* posse judicari tales, qui servitio ipsorum addicti sint; sine quo Imperium ipsorum inefficax & elumbe futurum sit. Ejusmodi imperium semper à se fuisse exercitum, adductis exemplis, perfidorum militum, qui anno seculi xxv, è Portu omnium Sanctorum venerint; Præfectorum, qui sub signis Thalassiarchæ *Patris* militaverant; nec non eorum, qui sub *Houtebeenio* male rem gesserant anno xxxix aliisque pluribus. Eandem potestatem sicut necessariam, ita fundatam

datam esse in mandato Instructionis, quod habeant à Sociis, Amiralitatum Collegia, denique in Articulis Criminalibus adversus homines marì militantes; quemadmodum idem manifesto & sine controversia in eos qui terrâ militarent, exerceatur. Hollandi tamen pertenderunt, sibi non esse ademptam Jurisdictionem in Cives suos, Ordinibus Generalibus servientes, ideoque jus avocandi à se pro lubitu exerceri posse. Quod tum ita quidem transiit, accedente *Wittenii* defensione causæ principalis, quâ probabat, suum mandatum, quod missus in Brasiliam habuisset ab *Ordinibus Generalibus*, annale fuisse; nec unquam sibi productionem ejus mandati insinuatam: Atqui se jam profectum esse cum imperio in Brasiliam anno XLVII. Præter quod Societas sibi jam deberet octuaginta florenorum millia, quâ gratiâ in hoc esse videri Socios occidentales, ut facerent, ne ipse Reus factus haberet personam standi contra illos in Judicio Recuperatorio. Cæterum, Princeps auctoritati Ordinum Hollandiæ tantisper in re parum, ut ipsi videbatur, dubia cedendum putavit; donec opportunó tempore vices suas illis redderet, quod brevi minimè segniter adsecutus est. Subjiciemus alibi res in Europâ gestas breviter & quidem GERMANICIS modo dictis ad res Belgicas respicientibus commode subjungi poterunt universi *Imperii*, si qua sunt hujus anni memorabilia. Nondum Pacis tam diu anhelatæ commodis *Germania* fruebatur, exercitibus non modo in locis,

quæ

quæ prius insederant, prætextu Ratihabitionis non factæ primo, dein Executionis adhuc faciendæ remanentibus, sed etiam quaquaversum se, nullo jam hostili metu, diffundentibus. Neque cessatum ab hac intemperie, post ratihabitiones hinc inde traditas, quod in loco Pacificationis factum die XVIII Februar. MDCXLIX. Sed quamdiu locorum invicem restituendorum facta non erat evacuatio, nulli etiam exercitus dimissi, omnes communi *Germaniæ* sumptu ali atque sustentari oportuit. Donec extrema tandem manus *Executionis* & *Amnistiæ* Tractatui imposita est *Noribergæ* die XXVI *Junii* hujus anni MDCL, Commissario Cæsaris ad eam rem *Octavio Piccolominæo* Principe Amalfitano, & nomine Regni Reginæque Svetiæ, *Carolo Gustavo* Palatino Principe *Bipontino*, Reginæ Consobrino, quam Conventionem Gallica Executionis Pactio *mense Julio* consequuta est. In priore Tractatu, qui juxta filum Instrumenti Monasteriensis erat compositus, hæc inprimis notanda videntur. *Quibus loca, bona, jura secundum Leges pacis liquidas & indubitatas restituenda forent, his adversus Possessores contumaces auxilio Cæsareæ vel Svedicæ militiæ, quin imo suis Copiis manuque militari licere uti*, sine fraude Pacis. Casus dubii & illiquidi ab utriusque Religionis Commissariis intra trimestre spatium deciderentur. Solutioni pecuniarum *Svedis* & *Hassis* in satisfactionem ab his, in quos adsignati fuerant, præstandarum termini exactè præscripti sunt, quibus qui non pare-

parerent, manu militari suis impensis, Sorte aliquando majoribus compulsi sunt; quos inter Leodienses eo modo coarctati sunt, ut & *Clivenses*; hi quidem innocenter: quando suam portionem Svedicæ satisfactionis in manus Principis sui pridem tradiderant; ubi cum integra non mansisset, ut fit, ingratiis & cum incremento bis solvere coacti sunt. Quod super evacuatione locorum hinc inde restituendorum & militum dimissione placuerat, secundum satisfactiones pecuniarias, in plerisque, suo tempore modoque rite sicut convenerat, administratum est: Nisi quod *Brandeburgicus* Elector non demolitus est *Lipstadiæ* munitiones, nec *Herfordam* Urbem libertati suæ commisit; nec *Colonienses* Religionis libertatem suis ex præscripto Pacis indulsere; nec alia quædam à Potentioribus, ut fit (his quorum interesset, imbecillioribus, quàm ut debitum querelis suis vigorem addere possent) fideliter executioni commissa fuerunt. Præcipua difficultas fuit in *Francodalio*, quod præposterâ *Jacobi* Regis prudentiâ & *Friderici* Palatini desperatâ facilitate fidei commissum erat Infantis *Isabellæ Eugenii* & ab ejus morte Regis *Hispaniæ* præsidio tenebatur, qui pace *Monasteriensi Germanicâ* non comprehensus, ad restitutionem Imperio vel Electori Palatino faciendam se non putabat obligatum, neque adhuc se paratum esse præferebat. Idcirco Imperator Ordinesque *Palatino* promiserunt, operam se daturos, ut evacuatio & restitutio *Francothalii* quam

pri-

primum fieret, quâ gratiâ literas ad Hispaniæ Regem miserunt. Interim addicebatur ipsi *Heilbrunnensis* Civitas, quam præsidio suo pignoris loco teneret. Alendis autem præsidiariis, è *Franconici & Svedici* Circulorum ærariis *octona* Imperialium *millia* singulis mensibus acciperet, cum potestate sibi ipsi jus dicendi & exequendi, defectu solutionis, adversus viciniam *Heilbrunnæ* circumjectam; salvis civitati juribus suis, quæ mox à Francothaliensi restitutione, Præsidio & omni pignoris onere liberaretur. Interea temporis Hispanicum Francodaliense præsidium sumptu inferioris Circuli Rhenensis, sine impensâ Electoris Palatini aleretur; Cui si quid hac parte secus eveniret, Imperator id refundi se curaturum promittebat; cum trinis Imperialium millibus in singulos menses *Francofurti* solvendis, pro reditibus, quibus dum *Francothalium* penes Hispanos maneret, ipsi carendum foret. Tametsi hæc res diuturnam Palatinatui universæque Germaniæ molestiã creavit. Ad hunc annum resque Germanicas pertinet etiam mors Ferdinandi Bavari, Electoris & Archiepiscopi Coloniensis, qui & Princeps simul ac Episcopus erat *Leodiensis*, *Hildeshemiensis*, *Monasteriensis* & *Paderbornensis*, potentiâ prudentiâque è Germaniæ primis, obita morte apud *Arnsbergum*, quo venandi studio, cui impensè deditus erat, se contulerat. Bene pransus eâdem vesperâ, hydropicus scilicet, è vitâ excessit, die XIII *Septemb.* MDCL. *Ætatis* LXXIV. Successorem vi-

vus

vus sibi designari curaverat *Adjutoris* titulo, Agnatum *Maximilianum Henricum*, apud *Coloniam*, *Leodium* & *Hildeshemium*. Idem parabat apud *Paderbornenses* & *Monasterienses* idque inveteratâ auctoritate suâ facile obtinuisset. Eo mortuo, Canonici de suis ibi corporibus Episcopos elegerunt. Et quidem Paderbornæ *Reckius*, Monasterii electus est ille deinceps adeo memorabilis *Christophorus Bernhardus à Galen*, ambo Nobiles indigenæ; Galenius arte suffragiorum vicit Decanum ætate, opibus & dignitate superiorem *Malincrotium*: qui æmulo, inferiori semper habito, ut tanquam Principi debito se obsequio submitteret, in animum inducere non poterat, varia molitus quasi electione malâ fide procuratâ; Sed à novo Episcopo juris sui exercendi tuendique eximiè gnaro, hac causa male habitus & diu vexatus est. At Præsulis hujus Acta bello quam pace notiora sequentibus aliquot annis utramque facient paginam. Cæterum, *Germania* tandem aliquando sibi restituta ab hoc tempore, se ad reparanda longissimi & funesti damna belli colligere cœpit, læta impræsentiarum mutatione, in futurum haud æquè secura duraturi status, cum, quod veteres æmulationum causæ factionesque fessæ potius quam placatæ manebant, tum quod duos Monarchas exteros cervicibus suis incumbentes habebat. Sed adversus *Svedos* potentia Principum inter *Rhenum* & *Albim* metu communi juncta, & facile, ubi res ferret, jungenda, prohibendis ab invasione

ſione *Germaniæ*, ſeptentrionalibus *armis* ſuffectura videbatur. *Gallis* longe per ſe validioribus alterum latus, diſpertitis modiciſque eâ parte Principum & populorum opibus, ſi quando illis opportunum foret, inſultare Germanorum diſcordiis, apertum & expoſitum apparebat. Verum præcipui Principes recordati, quàm *Cæſari*, nec minus poſtea Svedis obnoxii vixiſſent, eo quod mercenarias ordinataſque militum copias habuiſſent nullas aut imbecillimas, ita in animos induxere ſuos, id eſſe agendum, ut paulatim eâ parte melius inſtructi forent; edocti præterea belli experimento, *populos hac unâ ratione ſubactos multo plus conferre ſolere pecuniarum, quam in facultatibus eorum prius ineſſe credebatur*; Bellum enim docuerat, olim ignoratum, Germaniam ſatis eſſe pecunioſam, etſi tot dominantium ambitioni avaritiæque ne quidem hoc modo, quod ſatis eſt, ſuppeditari potuerit. Aliquanto igitur exinde gravior populis incubuit ſervitus, exemplo per omnem Europam propagato; poſtquam in *Italiâ*, *Galliâ* & *Hiſpaniâ* Plebes atrocibus inritiſque ſeditionibus impotentes Dominos ad remittendam Dominationis vim ſollicitaverant. Nec adeo, minus rigido Germaniæ populi ab hoc tempore, quam Galliæ pridem habiti fuerant, ſubdere colla jugo edocti ſunt; habituri pro ſolatio, quod populos liberos ad tuendam libertatem ſuam, non minus quam ipſos ad explendam ſervitutem, onerari, & quod Anglos victoriæ contra ſuum Rectorem idem

idem præmium consequutos videbant. In regnis septentrionalibus hoc anno res eodem fere statu, qui fuerat anno superiore, continuatæ sunt. Nisi quod in SVETIA celebratum est Sacrum Inaugurationis CHRISTINÆ Reginæ majore luxu & magnificentiâ, quam adhuc Septentrio viderat, Gallicanæ magis ac Italicæ inventionis, quam Sveonum Proceribus populoque probaretur, videntibus immensos è Germanica pace thesauros hoc & aliis Reginæ supervacui luxus institutis & largitionibus effundi atque consumi. Acta res apud *Stokholmiam* die XXVII *Octobris*. Et quanquam omnia publicis lætitiæ imitamentis atque festis clamoribus resonarent, in animis Ordinum tamen & tum & deinceps opinio Reginæ auctoritati contraria serpsit & invaluit. Etsi quicquid eruditorum in Europâ præcelleret, in Svetiam vocatum & honorariis excultum ingenii Christinæ dotes in cœlum usque laudibus efferrent, illa tamen præconia latius in exteras diffusa gentes resonuere, quam civium è propinquo venerationem excitavere: Dum alii habentes in conspectu regii sanguinis Principem verum Martis alumnum, militarem gentis gloriam sub fœmineo imperio detritum iri dolebant; Alii mores exoticos & enormitatem vitæ, ratione soli & cœli istius gravabantur; Omnes immensæ pecuniæ regiique patrimonii dissipationem ejusque causas vituperabant. Et Primores ingenii in adolescente Regina fiduciam judicii facultate majorem & absolutæ potestatis adfecta-

 tio-

tionem consiliis adulatorum subnixam, quorsum evaderet, suspiciebant. Accedentibus, qui, ut in omni Regimine fit, aliis postpositi, tralatitias querelarum causas acrius intendere & latius in spem mutationis propagare conabantur. Ita factionum fomenta rerumque novarum materia nondum ad eruptionem matura, paulatim ad eam quæ paucis annis postea suborta fuit vicissitudinem, viam parabant. In DANIA, cujus præcipua Coronæ gemma, vectigal Orizundicum est, tarditas ratihabitionis & solutionis duorum millium Imperialium, quæ hoc nomine ab Hollandia expectabantur, non modo difficultatem, sed etiam in regimine publico pariebat confusionem, dum nec in Freto quicquam solveretur, neque merces Redemptionis è Belgio præstaretur. Non omiserunt hanc occasionem quotquot *Vlefeldii* potentiæ invidebant & per ipsius stragem ad altiora grassabantur, arguendo, ipsius fraude vel culpâ tam male in hoc negotio esse consultum; Etsi revera de re Danicâ præclare meritus esset ille, procurato, quantum in ipso erat, ut *Svedi* naturaliter à vectigali *Orizundico* liberi, *Belgarum* periculo Fœderatorum ad illud ferendum adigerentur, ac ita fundamentum amicitiæ, tam diu gravissimo regni Danici præjudicio inter illas nationes continuatæ, subverteretur: Quâre nihil, ut tum res erant, majoris in rem Danicam momenti poterat elaborari. Sed *Vlefeldii* auctoritas & opes Regi Reginæque dudum graves apertum latus ejus inimicorum calumniis præ-

præbuerunt. Ut ex legatione domum reverſu comperto, dignitates ſuas ab aliis, ſe abſente fuiſſe adminiſtratas, nec ſibi tutam vel honorificam in Aulâ fore commorationem, domi ſe continens futuris malis ſuis, judicio adverſis rebus, ut fit in iis quos Deus perdere vult, perſtricto, viam præſtruebat. POLONIA pace cum *Tartaris* & *Coſaccis*, qui ſe ferali gentis ejus præjudicio conjunxerant, apud *Sboras*, neceſſitate magis quam conſilio inita, ſummo in periculo potius quam metu agebat, vel ſi metus non aberat, provida vis propulſandis barbarorum, quibus pax erat occaſio latriocinii facilioris, injuriis, procul erat in regno, cujus vires maximæ ſed diſtractæ nonniſi Regis ſtrenui vigilantia & âuctoritate conjungi poterant. Quæ facultas cum in *Caſimiro* Rege penitus deficeret, extrema calamitas & deſtructio à prudentioribus merito timebatur. Neque multo poſt recruduit bellum; cujus ad ſequentia tempora pertinet enarratio. Porro per Hungariam, in quâ hoc anno nihil ſingulare noſtræ ſe offert memoriæ, in ITALIAM pergemus. In quam nihil prius, quam inter Venetos & Turcas de Candiâ bellum à tot annis continuatum occurrit. Initio anni, Urbis Præſidio ſeptem millibus recentium militum corroborato, *Cuſſenius* Turcarum Dux eo modo ſe coarctatum vidit, ut omiſſâ oppugnatione, ſub arcem cui novæ Candiæ nomen, caſtra ſua tranſtulerit, Urbemque è longinquo cingere præſidiis ſuis inſtituerit, donec aut Veneta res la-

besfactata vel Turcica denuo instaurata majoris apparatus facultatem suppeditaret. Interim Mari prævalentes Veneti claudendo Hellesponto aliisque minoribus damnis Constantinopolin arctatant, adeo imparibus hac parte virium Turcis, ut in Senatu serio deliberatum sit, de classe Urbi admovendâ eamque per bombas & bombardas ejusmodi injuriæ situ suo pronam incendio & ruinis obruendi. Quod etsi à spe facultatis remotum non videretur & ardenti oratione *Jacobi Badoari* suaderetur, à senioribus tamen, ut nimis anceps, ob arctitudinem Hellesponti munitis locis obsepti & maris ventorumque incertitudinem, denique, si maxime succederet, irritandis potius ad immanitatem inreconciabilem quam subigendis barbaris serviturum haud immerito improbatum est. In Candiâ parvis commissionibus & locorum ultro citroque expugnationibus, æstas absque notabili partium discrimine transacta; dum Turcæ nullis quidem classibus, verumtamen singulis & frequentibus navigiis ventorum & noctium beneficio sæpe Venetos eludentibus, supplementa, commeatus aliaque necessaria, quibus subsisterent, non ut vincerent, accipiebant. Impedire tamen non potuere, quominus Veneti *fanum Theodosii* duabus arcibus non admodum validis munitum occuparent. E cujus portu subsidia in Caneam mittenda facilius impedire poterant. In quem finem magna pars Venetæ classis per omnem fere æstatem illic in statione permansit. Postrema tamen ejus æstivæ expeditio-

nis

nis actio Turcis proſpera fuit. Jacobus *Barbarus* & Marinus *Badoarus* Proviſor ille, dux alter militum, cum Georgio *Cornaro* Equitum Præfecto Veneti omnes, *Sittiâ* quam tenebant, in vicinas regiones ſe contulerant, incitati ab incolis defectionem à Turcis & auxilium promittentibus. Inexpectato illorum adventu Turcæ *Giram Petram* diruto caſtello dereliquere; Sed Veneti ad Eteam ſe converterunt, ubi Turcæ horreum omnis generis commeatu plenum habebant, itinere difficili & montibus cincto, quorum aditus hoſtes, auxiliis à Cuſſenio ſubmiſſis, obſederant, non modo jam loco ſed & numero ſuperiores. In his anguſtiis, nocte deprehenſi cum ſe velut indagine concluſos Veneti cernerent, quid agendum anxii deliberabant. Suadentes, ut beneficio tenebrarum retro ſe reciperent, obſtantibus hac parte hoſtibus facilius ſubmovendis, *Barbarus* & *Bodoarus* refutarunt, dedecoris & periculi, quod eſt in recepibus, obtentu; Lucem expectandam & ferro viam, quâ *Sittiam* peterent aperiendam. de horreo Turcico jam non quærebatur; etſi equites, diurno itinere Sittiam perrupcrint, pedites tamen cum auctoribus & ducibus ſuis *Barbaro* & *Badoaro* fortiter pugnantes, ingenti hoſtium ſtrage facta, ceciderunt, elapſis tamen centum, periere ſexcenti. Hic finis fuit expeditionis æſtivæ. Sed Veneti nullis Chriſtianorum auxiliis ſublevati longinquas coarctandis hoſtibus ſocietates circumſpicere cœperunt. Co-

ſaccos pace cum Polonis facta, quietis impatientes ſi cum Tartaris fœderatis contra *Portam* incitare poſſent, eam rem magno ſibi ad hoſtem ſuum terribilem avertendum commodo cedere poſſe exiſtimabant; nec cauſa deerat ſperandi, Turcas domi confuſos & diſcordes à tergo & fronte vexatos ad Pacis conſilia forte compulſum iri. Miſſus eſt hac gratiâ ad *Chimilinskium* Ducem Coſaccorum cum literis publicis *Albertus Viminas* Bellunenſis Reipubl. res Agens in Poloniâ, qui reperit eum in fœcundis *Ukraniæ* campis ingenti armatorum præſidio ſtipatum, ſub tentoriis, ſine faſtu & pompa, nihil quam ferrum & valorem præferentem. Audita Legati oratione *Chimilinskius* honorem ſibi à Senatu habitum non adſpernatus, reſpondit, ab ejuſmodi Conſilio ſe non abhorrere, modo à Polonis ſecuritas ſibi præſtaretur & Tartarorum Chamus ſecum vires ſuas conjungeret; de quo minus deſperandum videri volebat, quam ne Poloni occupatos ſe contra Turcas opprimerent, eo quod Pax inita recens haud adeo à Rege, quam à Nobilitate vicina Regi parum auſcultante levi momento turbari poſſet; quippe ſvetis Nobilibus, odiſſe *Coſaccos* & contemnere vixque dignos habere, quibus ut hominibus fides data ſervaretur. Intellecto Coſaccorum reſponſo, *Veneti*, minus de *Polonis* quam *Coſacci* dubitantes, *Viminam* ad Chamum *Tartariæ* hac causâ mittendum decreverunt; ad Polonos autem hactenus obfirmandos ut Coſaccis omni meliore modo cavere ne gravarentur

miſſus

missus est *Girolamus Cavazza*. Per quos antequam tanti momenti negotium ad finem suum perduci posset, usu venit, quod *Chimilinskius* prædixerat; ut bellum inter *Polonos* & *Cosaccos* recrudesceret, atque ita motus in Turcas abortiret; qui hoc etiam tempore Prætorem Venetum, quem adhuc Constantinopoli tulerant, expulerunt. Non erat alioqui dubium, quin Constantinopolitani à Cosaccis & Tartaris infestati gravissimis adfecti fuissent incommodis, durante domi discordiâ, per æmulationem Aviæ Matrisque pueri Imperatoris. Avia Regimini admota fuerat eique Vizirius & plerique ministri adhærebant. Sed Mater ex eorum æmulis collectâ factione validâ, militibus opinionem insinuavit, hoc agere Kiosem aviam, ut extincto præsenti Imperatore, nepos ex aliâ matre sibi obnoxiâ throno imponeretur, quod ab ejus ingenio & præsente rerum statu non esse alienum credebatur. Primo visum est, eripere illi Vizirium suum; cui proinde quicquid hac tempestate minus secundis auspiciis gestum fuerat, more tumultuantis populi & Militum imprimis, imputatum est. Idque jactatum illo imprimis tempore, quo Veneti Malvasiam aggressi pontem ejus abrupisse nec non urbem in periculo fuisse, denique Theodosii fanum occupasse nuntiabantur. Causæ satis ad efflagitandum caput Vizirii, qui gnarus periculi, thesauros in hujusmodi casum provisos in milites eorumque duces provide distribuendos cu-

ravit, eaque ratione fecit, ut evacuato Vizirii primo loco, Budæ, loco tutiore quo longinquiore, præficeretur. Neque successor ejus *Melech Achmet*, eadem quâ ipse contra suum antecessorem, usus est crudelitate; Sed in locum dignitatis suæ vitâ salvâ, quomodo adhuc erat, abire permisit. Consequenter totum se bello in Venetos instaurando, quod & Majestati Imperatoris & securitati suæ convenire putabat, incubuit. Legato Hispaniensi, quem antea novo exemplo *Constantinopolin* esse missum diximus, jam antea dimisso, & avocato ex Hispania, quem ipsi miserant, homine suo; cum nihil quidem utrimque peractum fuisset; quando Turcis nihil propositum fuerat, nisi ut à metu Classis quam Hispani tunc in Italia habebant, liberarentur. Quod non tam adseverationibus *Allegretti* Legati credidere, quam intellecto, vim Hispanicam in Gallos versam esse, ad eripiendum illis *Piombinum* & Portum *Longonem*, quod ductu *Johannis Austriaci* & Comitis *Ognati*, Gallorum rebus domi turbatis, consequuti sunt. In Cataloniâ quoque duas civitates *Tortosam* & *Flixum* iisdem Gallis eripuerunt Hispani, juvantibus ipsis Catalanis, quorum multi ad veterem dominum respicere cœperunt. Rex autem Hisp. unicam modo filiam habens ex *Elizabethe* Francicâ, nuper uxorem secundis votis duxerat *Mariam Annam* Imperatoris *Ferdinandi III.* filiam juvenculam & pulchram, ipse gravis admodum & senex: E quâ filii amissi tot regno-

rum

rum unici heredis damnum, Deo dante, repararet. Utebantur hoc anno Hispani tam rarâ fortunæ conditione per intestinas Gallorum confusiones, ut si quid de veteri vigore industriâque superfuisset, longe majores quam fecere, progressus ad amissa recuperanda facere potuissent. Nam in GALLIA, Rege puero, Reginæ auctoritas odio Cardinalis Mazarinii & Principum ambitione labefactata rebus in æquabili tenore continendis non sufficiebat. Princeps *Condæus* inprimis cum Regiæ agnationis prærogativa, tum maximè rerum gestarum gloriâ, quâ non modo sui temporis sed etiam veterum Galliæ Ducum laudes superaverat, inflatus, & amicorum clientiumque numero fretus, etsi popularem auram bello superioris anni, quo Parisios inclementer vexaverat, amisisset; ita se dictis, actionibus, minis & postulatis indies efferebat, ut non modo Cardinali intolerabilis, sed & Reginæ gravis & Regiæ potestati conatus ejus periculosi crederentur. Nullam ferebat repulsam ipse pro se petens Provincias & Imperia, pro amicis præfecturas & dignitates; planéque ita præ se ferebat, nihil esse in Regno potestatis cui cedendum sibi foret, eâque gratia in mentem ipsi venit, exercitum desiderare ab se dependentem solo, fere ad instar Sforzarum & Bracciorum in Italiâ quondam, vel præsenti Lotharingiæ Ducis exemplo: Nibil autem vilius & indignius quam Cardinalem, quo sibi maxime nocuit, habebat, opponens se nuptiis *Mer-*

cærii

cœrii Ducis cum Nepte *Mazarinii*, tanquam majeſtate Regiæ familiæ indignis, ipſumque mordacibus dicteriis & acribus facetiis atque carminibus exagitabat omniumque ludibrio exponebat. Quod Cardinalis diutius ferendum non arbitratus, Reginæ, Principis inſolentiam periculumque ipſi & Regi aliquando Filio ex ejuſmodi infinitâ Principis acerrimi & potentiſſimi licentia imminens ita repræſentavit, ut niſi prompto remedio illi occurreretur, extrema quæque brevi expectanda forent. Nec aliud eſſe remedium, quam ipſius Condæi & aliquot ejus Propinquorum, qui vices ejus ſupplere poſſent, ſubitam prehenſionem & Cuſtodiam, inculcabat. Reginâ facile conſentiente, data eſt opera, ut Dux *Aurelianenſis*, pridem invidens gloriæ Principis & ambitionem præ ſe quoque ſuſpectam habens, adſtipularetur. *Beaufortius* Dux & *Gondius* Archiepiſcopi Pariſienſis *Coadjutor*, populari gratiâ præcipui, cum *Chevreuſiâ Duce*, quæ omnibus ſe tricis & turbis miſcebat, eventu lætaturi præſumebantur, nec ipſius populi Condæi pridem infeſti offenſa metuebatur. Ergo ſelectâ ad executionem die XIII *Januarii*, Regina Conſilium in ſuam diætam, remotâ, quaſi male haberet, comitum turbâ indixit, vocatis nominatim Condæo & Contiæo fratribus, cum Lungavilla eorum adfine. Non deerat, qui Condæum periculi certiorem reddiderat; Sed vanitas ex immenſo hominum applauſu nimiaque felicitate judicium

Prin-

Principis ſolertiſſimi præſtrinxerat, ut non auſuros Reginam & Cardinalem, quod cavere potuiſſet, exiſtimaret. Deductus igitur in porticum Reginæ cubiculo propinquam & poſt eum frater ac adfinis, invenerunt ibi Centurionem Prætorianorum, cum manu militari, à qua per occultos gradus abducti in hortos, inde penſili vehiculo incluſi in ſylvam Vincennatem avecti ſunt, Condæo fruſtrà ſe, plauſtro in itinere fracto, recipere conato. Idque tam celeriter confectum, ut carcer eos haberet, antequam in urbe res innotuiſſet. Primus rumor ediderat, *Beaufortium* Ducem inter alios eſſe captum, quem plebs in oculis ferebat, ideoque res ad tumultum ſpectabat; niſi *Beaufortius* & *Gondius* Coadjutor equis per urbem vecti motum adeo ſedaſſent, ut Pariſini tota nocte publici indicia gaudii, lumina per urbem accenderint & Condæi captivitatem feſtis clamoribus celebraverint; Quâ re Condæa mater in urbe præſens, ægrius & acerbius quam ipſâ liberorum ſuorum incluſione ſe adfectam fatebatur. In Reginæ conſpectum admitti cupiens nihil impetravit; amicis adeo deſtituta ſubito, ut ne ſervi quidem à pedibus filiorum ſupereſſent, omnibus diſſipatis, cohortibus etiam, quibus Condæus ut Belli Dux ſtipatus fuerat, dimiſſis. Cauſæ prehenſionis, nomine Regis Edicto publico declaratæ ſunt; præmiſſis ingentibus beneficiis, quibus merita ejus militaria abunde penſata fuiſſent. Poſtulaſſe memorabatur, *exercitum ad occupandam*

Bur-

Burgundiam jure supremo *sibi addicendam*; *Eodem modo adfectasse Dunkercam & cætera in Belgis acquisita novissimis bellis. Superiori æstate in eo fuisse, ut omnem Equitatum ab exercitu abduceret Leodium, quo fratri suo dignitatem Coadjutoris ibi compararet; Portum Gratiæ voluisse occupare, quo Rhotomagum & Lutetiam haberet obnoxias, quemadmodum plerasque civitates ad Ligerim, Garumnam & Dordonam sibi pridem conciliaverat. In omnibus imperiosam exercuisse insolentiam, jactando palam, regnandi causa nihil esse nefas habendum: Factionem sibi in singulis ordinibus, maximè inter militares, inprimis exteros conciliasse, quos artibus non posset, hos subegisse minis. Non veritum esse legatis provincialibus de Comite Alaisio querentibus minari fustuarium; De domo sua fecisse asylum audacissimis criminum reis Patrocinium ejus adfectantibus. Denique, in eo fuisse totum, ut vim Regiæ potestatis in se derivaret & Regi speciem titulumque relinqueret inanem.* Plane conatus ejus intercipi Regisque & regni ruinam aliter quam eo quod *factum erat, nullo modo potuisse præverti.* Cæterùm, etsi Cardinalis & Regina *Beaufortio, Gondio* & *Chevreusiâ*, continendo in quiete populo uterentur ipsumque *Brussellium* similesque nuper adeo invisos aulæ, blande & liberaliter haberent, nihilo tamen minus illis merito diffidebant. Sicut enim priores Condæi incommodo lætati fuerant, ita Cardinalis ruinam æquè meditabantur, ut ejus loco *Gondium*, Cardinalem, uti postea fuit, *Retzii* no-

nomine, creandum substituerent remque publicam regni in suam potestatem redigerent. Hac gratiâ cum *Longuevillæ* uxore, *Condæi* sorore, pulchritudine & ingenioso luxu clientibus abundante, quâ ratione cum marito minus aliquantisper ei convenerat, arcana consilia communicabant. Quorum ex parte certiores facti Regentes, auctorem factionis novæ timentes Feminam, hujus quoque præhensionem decreverunt. Illa vero commonefacta magis quam fratri visum fuerat, ad animum revocans periculum, fugâ se proripuit in *Normandiam*, Rotomagensium Patrocinio se commendans; Sed huic provinciæ nec non Burgundiæ, cui præfuerat *Condæus*, Regii in tempore prospexerant. Quapropter instante periculo, *Diepam* festinavit; quo cũ intelligeret Regias properare cohortes Portũ Gratiæ petiit, ubi intempesta nocte, mari tumido, in Hollandicam navem se conjecit, qua cum *Marsillaco* & *Sillerio* aliisque Proceribus vecta Roterodamam, illic à Principe Arausionensi honestè recepta, navigio ejus per adversum Mosam, Trajectum profecta se contulit in Castra Vice-Comitis *Turennii*, Principum causam juxta fratrem Boulionæum Ducem complexi, redacta in potestatem *Stenæâ*, ubi Longavillia paulisper commorata summo cum Imperio, virili animo, factionem sustinebat. Hispanorum auxiliis ex fœdere utebantur & iisdem auxilio fuerunt ad occupandum varias urbes, *Castelletum*, *Capellam*, *Rhetelium*, *Castellum Portianum*, *Mouzonium* & *Doncherium*,

sed

ſed *Guiſam* commeatus inopia deſerere coacti ſunt : Interim prædas omni regno Lutetiam uſque Pariſiorum agentes ; Adeo, ut Regii, Principes captivos è Sylvâ Vincennate in Arcem Portus gratiæ, locum tutioris cuſtodiæ transducendos putaverint. Nec veritus eſt *Turennius* fœdere inito ſtipulari ab Hiſpanis quingenta ſcutatorum millia, præter menſtruum præſidii, quo Stenæam tenebat ſtipendium ; Accedebat promiſſio reciproca, de Pace nonniſi pariter facienda, nec aliter quam Lotharingiâ Carolo Duci & Sedano Duci Boulionæo reſtitutis, Denique Liberatis Principibus & in præſenti ſtatu remanente Stenæa. Ita tum moris erat & fuit ſemper Gallis rebellantibus, nihil omittere quod ſuſtinendæ perduellioni expediret ; ubi conditiones à ſuis ex voto habere poſſent vel ſuccumberent, fœdera cū hoſte nil morabantur. Sed belli ſedes ab extremis Picardiæ finibus in Aquitaniam brevi tranſlata eſt, Burdegalenſibus odio Cardinalis & Gubernatoris ſui Ducis *Epernonii*, recipientibus *Longavilliam* & *Boulionæum* alioſque partium Duces, quos inter *Rupiſocaldius*, cujus de hiſce turbis extat commentarius, qui exercitu, quoque in illis locis collecto, cum Hiſpanis etiam illa parte de auxilio maritimo tractabant. Ipſius Populi Pariſienſis favor nutabat, averſo ab illis *Beaufortio*, qui pro honorario florenorum octuaginta millium annuo & promiſſione ſucceſſionis in officium Thalaſſiarchæ ſe Cardinalis partibus aggregaverat : Adeoque jam revixerat oppoſitio

inter

inter *Frondores* (ita dicti sunt qui Parlamentum & populi studia sequebantur) atque *Mazarinistas*. Sed Regii ancipite periculo à parte Belgii & Aquitaniæ circumventi, cum prius hostili conjunctum longiorem vim moramque requireret, ad posterius opprimendum cunctis viribus se contulerunt, Rex & Regina prius, dein Cardinalis, cum omnibus, quas contrahere poterant copiis, Blayam Burdigalæ propinquam primo congressi, inde propius ad urbem copias admovebant. Ibi verò decretum est in Parlamento, *Mazarinium non esse recipiendum in urbem nec ullum à Rege majus præsidium*; Legatos ad Regem esse mittendos, qui rogarent humiliter, *ne Rex illud decretum pro servitio ipsius factum in deteriorem partem acciperet*; *Vitarent autem Mazarinii conspectum quovis modo*. Item arcano SenatusConsulto decretum est, à primo actu offensionis hostilis publicatum iri contra *Mazarinium*, ut auctorem confusionis in Regno, decretum olim adversus *Ancræum Marchionem* factum, *Ne ullus alienigena Regni Ministerio admoveretur*, idque literis circularibus cum cæteris regni Parlamentis esse communicandum *die* XXVII *Julii*. Bello viribusque Regni hoc modo ad interiora conversis, Archidux *Leopoldus* cum exercitu Hispanico Lutetiam versus se contulit, sperans alquid de pace cum Parlamento confectum, aut sane Confusionem publicam ita auctum iri, ut Regentes ipsi ad pacem bonis conditionibus ineundam adigerentur. Idcirco è castris ad *Bazo-*

chiam ſcripſit ad Ducem Aurelianenſem Urbi præſidentem, ſe ab Rege ſuo mandatum habere non modo belli gerendi ſed etiam pacis tractandæ, quam cum ſua Celſitudine potiſſimum confectam cuperet. Reſponſum accepit officioſum, ſed dilatorium, donec alter à Rege mandatum accepiſſet. Hæc *ſub finem Auguſti.* Menſe ſequenti, Rege conſentiente, miſſi ſunt in Caſtra Hiſpanica Commiſſarii, quos inter *Avauſius* qui tractatus Monaſterienſes gubernaverat; cum Nuntio Papæ & Veneto Legato, Parariis futuris. Galli nihil potius cenſebant, quam incipere illic, ubi deſitum fuerat Monaſterii & decidere capita controverſiarum, quæ tum ſuperfuerant, modicæ diſceptationis, & quæ Galli, ſicut tum res erant, negare non potuiſſent. Hiſpani vero æquum cenſebant, ut rebus, ab eo tempore notabiliter mutatis, de novis conditionibus ageretur. Quod cum longioris eſſet indaginis & Gallorum mandatum excederet, infecta re diſceſſum & Leopoldus ad ſua redire coactus eſt. Sed Burdegalæ cives & Togati in Parlamento, prædiorum vinearumque ſuarum vaſtatione aliiſque belli incommodis celeriter fatigati, cum Regiis nihil potius eſſet, quam extinguere hoc incendium, pace luculentis pro civitate conditionibus initâ, cum Rege Reginâque reconciliati ſunt, non æquè cum Cardinali, cujus introitum in urbem non aliter quam ſuo periculo conceſſerunt oppidani. Præterea non modo ſibi amneſtiam, ſed & immunitatem

pro

pro civitate ejusque jurisdictione triennalem & *Longavilliâ*, *Boulionao*, *Rupificaldio* omnibusque partium Ducibus incolumittatem bonorumque & honorum restitutionem stipulati sunt; *Epernonius* autem Dux ejusque posteri à Gubernaculo Provinciæ illius & Urbis removerentur, Magistratus in Urbe tempore seditionis creati ab Rege confirmarentur. Qui has conditiones etsi pro tempore suis rebus utilissimas, Hispanica classe brevi postea in auxilium Civitatis apparente, tamen sibi extortas ratus, alia occasione deinceps iisdem *Burdegalensibus* atroci vindictâ novæ seditionis rependit & obsequium Regi sine exceptione præstandum duriter inculcavit. Ingressus est Urbem, Cardinali *Mazarinio* periculum in tali comitatu floci faciente, cunctisque Proceribus & Prætorianis magnifice valideque stipatus *die* v. *Octobris*. Et brevi postea Lutetiam quasi victor & re bene gestâ reversus est. Cardinalis autem hyeme licet anni urgente, cum exercitu profectus in Campaniam, *Rhetelium*, profligato *Turennio*, ad auxilium occurrente pulsisque Hispanis ad deditionem coëgit, ac ita civili externâque potitus victoriâ, cum applausu populi mox odium vetus repetituri, ad Aulam Parisiosque rediit; etsi nondum expiatâ invidiâ superatisque difficultatibus, quarum causæ latentes graviorem in caput ejus anno sequente tempestatem excitarunt; cujus prænuntia fuit tabula, quinque publicis Lutetiæ Parisiorum locis adfixa, continens effigiem Mazarinii, cum hac inscri-

ptione; condemnatum esse *Julium Mazarinium* perduellionis, suspendio in persona vel in effigie luendo, quia Pacem Monasterii impedivit, quia frumentum Gallicum hostibus vendidit, quia bellum Parisiensibus intulit, Beneficia Ecclesiæ vendidit,& malis artibus animum Reginæ fascinavit. Cujusmodi libellus famosus heic locum non mereretur, nisi omen ejus, quod dein à magno Senatu contra eundem decretum est, repræsentaret. Quo pacto tantam odii vim postremò superaverit regnumque Galliæ furiis civilibus defunctum ejus maxime consiliis insistens ad terribilem universæ Europæ potentiam convaluerit, majoris operis argumentum, justæ nostri temporis Historiæ relinquemus. In magnâ *BRITANNIA* toti fuerunt hoc anno, in stabiliendo *Libertatis*, quam vocabant, id est, *Oligarchico* Statu, Veteris Parlamenti reliquiis omne jus Reipubl. sibi arrogantibus; etsi manifesto, factionem potius Sævam Togatorum quam populum repræsentarent, sola Militiâ, plurimum à tempore Regis extincti auctâ, fretis. Cujus Duces adhuc quidem *Parlamenti* illius prætextu vim suam exercebant; ut tamen non modo prudentiores, sed etiam vulgus prædicerent, Episcopis sub Rege successisse Legulejos in regimine publico; Brevi fore, ut his amotis, ordo Militaris surrogaretur, verbis, Anglorum dialecto rhytmum facientibus. Quomodo tunc erat, auctoritatem suam, concordi Militiâ, facile tuebantur, omnes novum jusjurandum recusan-

cusantes mulctis & exiliis coërcentes, dū pecuniis ex confiscatis Regalibus, Episcopalibus & perduellium bonis abundabant, præter quod tributis & vectigalibus modum quem vellent armati imponerent. In Hiberniâ, *Cromwellius* cum exercitus parte missus pleraque subjugaverat & Junio mense reversus à Parlamento cum laudibus & gratiarum actionibus receptus, brevi postea profectus est in Scotiam, non ut Legatus, sive *Locum Tenens*, quem vocant, sed ut Dux Supremus, quem *Generalem* vel *Generalissimum* appellant, postquam *Thomas Fairfaxius* Imperio renuntiaverat, prætextu infirmitatis, quam præ se ferebat & uxoris testimonio, sic ajunt annales, *Parlamento* adprobaverat: Verum satis constitit, *Cromwellii* factionem inter ordinum Ductores fuisse tam validam & vehementem, ut illâ magis abreptus & districtus, quam libero adductus judicio extremis in Regem consiliis præfuerit, multâque dissimulatione prudentiâque sibi opus esse crediderit, ad elabendum è statione, cujus moderamen non erat in ipsius arbitrio: Lætus recessu domestico, expers omnis bellicæ atque civilis curæ, superstes etiam Reipubl. quam fundaverat & suo tempore particeps factus Regiæ potestatis, quam destruxerat, restituendæ. Sed priusquam adversus *SCOTOS* bellum exequamur, quid illic ab adventu novi Regis actum sit, paucis referendum. Rex Carolus apud Bredam necessitate magis quam judicio cum *Parlamenti Scotici Commissariis* secundum

leges ab ipsis præscriptas transegerat; sed eodem tempore *Jacobum Gramum* Marchionem *Montrossium*, qui rebus Scoticis evolutus *Hagæ Batavorum* diu commoratus fuerat, amatus & laudatus ab omnibus qui ab externis dotibus homines æstimant, præmiserat in Scotiam; Uti videret, an factionem Politicorum Ecclesiasticis adversam in arma ciere posset; eoque conatu feliciter eveniente, transactio Bredana brevi in spongiam incubuisset; Quam invitus enim Argathelianis se committeret Carolus Rex, ignorabat nemo. Sed illa duplex agendi ratio in utramque partem nocuit Regiis: Ecclesiastici enim indigne ferebant, Regem eodem tempore, quo cum ipsis tractaret, hostem Presbyteriorum infestissimum, à quo tot malis adflicta fuerat Scotia, rursus cum ferro & flammâ immittere communi Patriæ. Politici ex adverso non minus ægrè ferebant, Regem eodem tempore, quo per *Montrossium* ipsos ad arma contra Ecclesiasticos incitaret, cum iisdem Bredæ tam spissè tractare, uti res successum habitura videretur. Quæ contrarietas in causa fuit, ut cum XII Millia *Cavalierorum*, (ita politicorum factio vocabatur) expectasset, sexcentis haud plures montanos colligeret; qui à quatuor hostilibus turmis deprehensi celeriter oppressi, dissipati sunt, captis *Hurrio*, *Hayo*, *Grayo*, *Spotswoodo*, & *Chartreno* tribunis, cum maximo Regis signo, depictum habente caput Regis Caroli I. sanguine stillans. cum his verbis; *Judica & vindica meam causam*,

ſam, O Domine. Montroſſius ipſe tranato fluvio ruſtica veſte indutus triduum in paludibus exegerat, donec fame compulſus, chirothecis ſuis jam abſumptis, an detectus, ut alii volunt, *Aſtonio* quondam amico, ſperans ab illo ſalutem, ſe dedidit. Verum is odii publici in Montroſſium gnarus, id in ſe derivare nolens, eum miſit ad *Davidem Leſlæum* Scotici exercitus Ducem; à quo miſſus *Edimburgum*, per ora populi ſanguinem ejus ſitientis contumelioſe traductus & ſtatim ad infame ſupplicium condemnatus eſt; Suſpenſus à furcâ triginta pedes altâ, chartam in pectore præferens, quâ cædes, incendia & quæ fert bellum ſcelera ipſi exprobrabantur. Ad ſententiam audiendam & ſupplicium progreſſus eſt quaſi ad triumphum, veſtitu ſplendido, hilari vultu indutus, & cum in pronuntianda ſententiâ *Cancellarius* verbis ad horrorem augendum compoſitis uteretur, ipſe ſine perturbatione reſpondit; quod caput ſuum pro hac cauſa, *Supra Carcerem publicum eſſet collocandum: (id enim ut fieret poſt tertiam à ſuſpendio horam, decretum erat) id ſibi tam honorificum videri, quam ſi effigies ſua in pulcherrimo Regis cubiculo penderet. Quod autem crura ſua & brachia in quatuor præcipuis Scotiæ Urbibus ſuſpenderentur, hoc ſolatii loco ſe capere, quo per omnem Scotiam teſtatior foret erga Regem ſua fidelitas, & optare ſe quo ſat carnium ſibi foret, quod per omnes Chriſtiani orbis populos diſtributum fidelitatem erga legitimos Principes ſuos omnibus inculcaret. In ſcalis furcæ pro cauſa fiden-*

tur, in malitiam inimicorum ardenter, pro Rege magnificè loquebatur, etiam sese purgans & mendacii arguens eos, qui sparserant, eum de Rege defuncto minus honorifice loquutum, cujus se nosse dicebat sanctitatem & cujus ut martyris loco, animam suam cuperet aggregari. Præsentem Regem esse talem, qui populos sibi subjectos felices reddere posset. Unum ægrius illum habere visum est, quam vita anteacta odiumque Presbyterianæ factionis ferre videretur, quod ab Ecclesiæ communione præclusus foret; Ad quam se cupere adjungi profitebatur; At quia negaretur, appellare se ad Deum Judicem. Postremo, si quid amplius haberent ignominiæ, esse paratum se, qui pro justissima causa nihil recusaret. Prorsus ita mortem obiit, ut acerbissimos inimicos in admiratione vel miseratione defixos relinqueret. Apud Regem vero tam caræ fuit memoriæ, ut ejus nomen, quod de alio vix ullo factum constat, exequiis publicis honorandam curaverit Rex Carolus in Anglia restitutus. Hæc *die* XXI *Maji hujus anni.* Super cadavera talium virorum; nam socii pariter Capitibus mulctati sunt; quos inter *Sibbaldus*, quem inter *Doreslari* sicarios fuisse volunt, Angliæ Legati apud Hagam Comitum interfecti; tum quidem Rex *mense sequenti* transiit in Scotiam: Ubi præcipuo cujuslibet Regiminis deficiente requisito, *Fiduciâ mutuâ*, satis frigide acceptus & ab Argathelianis, ut minor annis habitus, ad Consilia publica non admittebatur. Interim ex Anglia *Cromwellius* aderat cum exerci-

tu,

tu, præmisso Edicto manifesto de causis Belli, quæ fuere, quod *Scoti, post conventionem Neocastellanam duas urbes Berwycum & Carlilam occupassent; quod gratitudinis loco, cum Angli, post Hamiltonii cladem, Ecclesiasticum Ordinem non modo in sacris, sed etiam in Civili Regimine restituissent, hi statim Carolum II.* ab Anglis hostem judicatum Regem non modo Scotiæ, sed *etiam Angliæ & Hiberniæ* declarassent, ac ita bellum sibi necessarium fecissent. Cromwellius Scotiam ingressus hostes in castris egregie munitis, inde ab *Edimburgo Lethum* usque reperit inclusos, ubi hæsit usque *ad* III *Septembris, stylo Juliano.* Sed cum Scotos ad pugnam elicere non posset, simulans inopiam commeatus & tædium inutilis moræ, cum ægrotos classi imposuisset, retro se ad Angliæ fines recepit. Tum vero Scoti perculsis & fugientibus instandum rati, relictis munitionibus suis, apud *Dumbarum* Anglos adsecuti sunt, numero potiore; Sed Angli meliores arte disciplinâque & induratâ virtute, post acerrimum prælium Scotos in fugam egerunt, interfectis *quatuor*, captis *decem* millibus, quos inter plurimi ordinum Ductores & ipse peditum Legatus *Jacobus Lomsd nus*; cum triginta tormentis bellicis, ducentis & decem equitum peditumque signis, quæ juxta victoriæ Hamiltonianæ insignia in Aula West-monasteriensi suspensa sunt. Fructus victoriæ fuit *Edimburgum & Lethæ* captæ, sed arcem Edimburgensem Cromwellius obsessam pridie festi natalitii Ser-

vatoris humani generis ad deditionem coarctavit. De Regiis ita vulgo creditum & adfirmatum est, illos hac clade Scotorum esse lætatos, ut qui fractâ Ecclesiasticorum pervicacia, molliores adversus Regem fore crederent Argathelianos. Quemadmodum sane consequutum est, ut deinceps ad Consilia Regem admiserint & honorificentius habuerint; non tamen priusquam Ecclesiastici confessionem quandam impotentiæ plenam; si vera sunt quæ tum temporis publicata fuerunt, atque ab eorum qui tunc in Scotiâ prævalebant, ingeniis minime abhorrebant; illi extorsissent. Sic ajunt, illum ex præscripto fuisse confessum: Esse *quod se humiliaret, respectu vis armatæ, quâ Pater ejus se Fœderi nationali, propter quod tantum sanguinis effusum esset, opposuisset.* Item, *propter idololatriam Matris suæ in domo Regia toleratam. Confiteri se peccata sua domusque Paternæ. Se fœderi nationali non dicis gratia sed ex animo subscripsisse. Eosdem se amicos & inimicos, qui Fœderis illius essent, habiturum. Detestari se Papatum, Superstitionem, Idololatriam & Hierarchiam omnem. Nec non illis qui se Convenanto, prætextu ejus quod Regis interesset, opposuerunt. Se peccasse, tractando pacem cum Hibernis rebellibus; Revocare se quicquid mandatorum edidisset, nec ulla daturum, nisi hominibus Convenanto adhærentibus. Respectu Angliæ, signaturum se conditiones antehac utriusque nationis consensu receptas. Confirmaturum regimen Ecclesiasticum Westmonasterii quondam probatum. Angliam se guber-*

natu-

naturum per domum Procerum & Inferiorem. In causa Religionis prælaturum semper consilia Ecclesiasticorum. Promulgaturum se pro omnibus sibi adversatis veniam, paucis qui Patris necem procurassent, exceptis. Sperare se felicem exitum adversus hostes suos, divinæ bonitatis fiducia, tametsi causam dolendi haberet, ob peccata sua, dissensionesque in Republica. Hæc, quia continent hypothesin & indolem sectæ illius temporis presbyterianæ, ut tū divulgata sunt, compendio collocare visum est. Angli vero tam feliciter domi agentes non modo neminem foris habebant adversarium; sed etiam adæquatis Galliæ & Hispaniæ Regum viribus & Europæ rebus in æquilibrio constitutis, ita in animos inducebant, ut tuto expectare se posse crederent, dum ab externis Potestatibus ambirentur. Primus Hispaniarum Rex illos per Legatum suum, ut Rempublicam agnovit & salutavit, hauddubie ut illos sibi conciliaret adversus Gallos *Stuartorum* familiæ magis innexos, eo tamen usus prætextu, quod Rex Carolus I. olim primus Orbis Christiani Principum, Portugalliæ Regem defectionis ab Hispanis recentem agnovisset & legitimasset. Eâdem causâ, nec enim alia mihi constat, Portugalliæ Rex solus inter omnes Christianorum Potestates hanc musteam Rempubl. ausus est offendere, dans receptum Principi Ruperto ex Hiberniâ profugo & Anglos maritimis prædationibus infestanti: Qua ratione Classis Anglicana triginta vel quadraginta navium, Tagi Ostium & stationem Lisbonen-

bonenſem omni hac æſtate tenuit obſeſſas, ut Rupertinos includeret & Portugalliæ Regem ad hoſtium ſuorum deditionem compelleret. Verum hic conſtantiam Anglorum violentiæ opponens Ruperto claſſem ſuam pellendis Anglis commodavit. Qui tamen ultro prius inde recedentes, primo diviſi, deinde rurſus conjuncti, partem claſſis Portugallicæ è *Jeneiro* fluvio ſaccharum portantis interceperunt; Qua de re Legatûs Portugallicus Hagæ ad Reginam Bohemiæ Ruperti matrem: Princeps, inquit, Rupertus pretioſa claſſe nobis conſtat. Etſi autem Hiſpania Parlamento honorando tam prompta fuiſſet, ulciſci tamen non potuit aut noluit cædem *Aſchamii* à Parlamento Anglicano ad Regem ſuum legati, qui hac æſtate veſperi à ſex armatis hominibus, eodem modo quo *Doreſlarus* Hagæ, in hoſpitio trucidatus eſt; ſicariis in aſylum Eccleſiæ fugientibus nec unquam ſupplicio adfectis. Tam atroces erant victi, foris, in eos, quibus domi ſuccubuerant.

Hoc inſtabili ſuſpenſoque rerum Europæ ſtatu divina providentia naſci voluit Principem, cujus ætas matura præſidium ingens non modo Belgis & Anglis, ſed & omni, quâ Proteſtantes agunt aut prævalentem metuenti dominationem Europæ eſſet futura. Nam Hagæ Batavorũ editus eſt in lucem ex Maria magnæ Britanniæ Principe die XIV Novembris, octavo poſt obitum Principis Arauſionenſis Patre, eadem hora quâ is in fata conceſſerat WILHELMUS HENRICUS à

Patre

Patre avoque ita dictus, incredibili Belgicorum populorum lætitiâ, exceptis sectæ Patri nuper adversatæ studiosis, qui habentes in animo Aristocraticam potestatem sine Principatu stabilire, nihil huic inimicius consilio, quam ut succrescens ejumodi spes populorum & militum Nassavicæ Domus sacramento imbutorum in medio versaretur, esse intelligebant. Biduo ante felicem hanc nativitatem Ordines Hollandiæ in *Socialem Consessum Generalem* intulerant Decretum, quo declaratum est; existimare se *unicum servandæ Reipubl. fundamentum esse, Concordiam Nationum fœderatarum, quam ipsi enixe & inviolabiliter procuratam velint.* Secundum hanc, *Religionem juxta Consensionem Dordracenam; Unionemque secundum fœdus Ultrajectinum sancte fovendam & conservandam. Necessarium videri, ut Socii quam primum per Legatos extra ordinem solenniter conveniant, quâ gratiâ se missuros ad singulas Nationes. Interim Civilis & militaris rei administrationem continuandam, uti nunc se haberet, donec Regia Princeps Arausionensis (ita scriptum erat prius) partu levata foret.* Emendatum est ab his qui solœcismum Aristocraticum animadverterant, & substitutum est est ita, *Donec aliter à Sociis constitutum fuerit.* Nativitate Principis deinde sequuta, non intercessere tamen Ordines Hollandiæ, quominus lætitiæ publicæ signa passim ederentur, ipsi quoque de grati animi erga domum Nassavicam & Arausionensem memoria crebro loqui, præ se ferre synceram transversariorum, quæ fuerant, oblivio-

livionem; Concordiam, Unionem, amorem; Sociarum nationum esse colendam, fovendam, provehendam: ac ita palam. Inter se nihilo segnius de Optimatium jure stabiliendo, Principatu è Republ. tollendo, cavendoque, ne à Sociis, quorum intererat ad prævalentem Hollandiæ potestatem refellendam, habere Principem fœderi Nationum præsidentem, ad Præfectum eligendum cogerentur. Quo magis hoc adsequerentur, duarum nationum conjunctionem sibi perutilem fore præsumebant, *Zeelandorum* & *Ultrajectensium*; Quibus proinde conciliandis omnem inde ab initio dederunt operam; nec in *Ultrajectinis* operam luserunt, in *Zeelandis* hæsit industria, natura & instituto Batavorum studiis plerumque adversis & Domui Principis, quæ duas ibi è sex civitates haberet clientes, arcto Vinculo nexis; etsi quod ad se ipsos attineret, jus Principis quod *Johannes Knutius* tanquam princeps Nobilis cum jure septimi in Republ. suffragii exercebat, incontinenti extinxerint & Knutium sic satis invidiæ objectum omni potestate suâ spoliaverint. Cæterum, ad omnes singulásque nationes missi pariter ex Hollandiâ Legati, habitis ex sententia superioris decreti orationibus, facile, consensum de solenni extra Ordinem Hagæ Comitis celebrando Conventu impetraverunt. Sed etsi ex eo quod Batavi rogaverant, ut interim omnia manerent in statu quo tunc erant, intelligi poterat, eos ita existimare, non esse faciendum, ut è Sociis natio-

nissus

nibus ulla Præfectum sibi seorsim eligeret, Frisii tamen nihil cunctandum rati sunt, quin vicinos suos *Groning-Omlandos* missis Legatis hortarentur, ut secundum vetus institutum eidem præfecturæ se aggregare vellent. Quod illi è Republicâ futurum arbitrati, sine longiore mora decreverunt; unanimiter eligendo *Wilhelmum Fridericum* Frisiæ Gubernatorem, quos sequuti sunt, ut plerumque solebant *Drentini*. Idem commendationis officium parabant in Transisalaniam. Sed Comes Gubernator eorum, id ipse dissuadendum putavit, cum illa semper Arausionensium Principum fuisset Provincia; quam pro se adfectando Principem matrem aviamque nimis, quod minime vellet, offensum iri prævidebat; cum Groninga & Omlandia Patrem ejus, patruum, fratremque Gubernatores habuissent. Non cessabat Avia Princeps inde statim à nativitate nepotis sui, singulis nationibus per literas, merita Domus Arausionensis & necessitudinem ejus cum Republicâ Belgis Fœderatis in memoriam revocare puerumque Principem ad successionem dignitatum à majoribus suis tanto Patriæ bono, inde ab initio Reipubl. exercitarum, commendare. Quæ res cum Legatū sive *Vicarium* requireret ætate maturum, ad has partes offerebant se Nationibus *Wilhelmus Fridericus* Nassovius Frisiæ Gubernator, Johannes *Mauritius Nassovius*, & Dynasta *Brederodius* Principum adfinitate Domui ipsorum illigatus. Sed horum voluntas occulto Procerum *Hollandiæ* consilio de

Præ-

Præfecturâ, Optimatium poteſtati noxiâ & grave extinguenda, facile deinceps eluſa fuit. Ipſi vero nihil prius habuere, quam ſingulis Civitatibus adſcribere jus eligendi Magiſtratus ſuos, quod antea potiori parte Principes exercuerant. Planeque ita ſe comparaverunt Optimates, ut quam ad ſe pertinere crederent Reipublicæ poteſtatem, hanc vere Supremam & omni parte liberam occuparent, occupatam jure ſuo exercerent, neque ſane occaſionem inſperatâ Fatorum indulgentia ſibi datam, extinguendi æmulam & gravem Ordini ſuo Præfecturam negligerent. Quod inſtitutum quo pacto illis ſucceſſerit, ætatis ſequuturæ plena rerum memorabilium Hiſtoria tradet.

F I N I S.

INDEX.

Tom. III.

 cide-

Bic-

C.

Ca-

D.

E.

F.

G.

Galli

H.

Hiber-

I.

K.

L.

M.

Mor-

N.

O.

Ol-

Paci-

P.

Ponti-

S.

Sen-

T.

Tra-

V.

Urba-

W.

FINIS.

ER

E R R A T A.

Pag. 8. *ſub fin l. Parêre.*
23. *deleatur* &c, *&* *l.* atque ne ſic.
68. *ſub fin l* Nemo.
84. *l.* Parentem.
100. *l.* molæ æquatiles.
170. *l.* Exercitus.
101. *poſt verba*, Regi auctor fuit; *deleatur*, ut.
239. *l.* Imitamentis.
241. *l.* Corrupta.
272. *ſub fin. l.* Civitatem Londinenſem pertæſam.
307. *l.* habitus.
498. *l Studium.*
529. *l.* Miniſtri.
564. *l.* ſuorum.
592. *l* illuc.
604. *l.* periculo.
684. lin. penult. *deleatur*, Patre.